





CORNET
COR IESU
PREDICANDUM



619

BX2157
T6
c. 1

005026



1080021196

EX LIBRIS

HEMETHERII VALVERDE TELLEZ

Episcopi Leonensis



UANL

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN



DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

IGNATIUS TORRADEFLOT CORNET


PRESBYTER

COR IESU PRAEDICANDUM

SEU

EXPOSITIO ORATORIA LITANIARUM

SS. CORDIS IESU



Capilla Alfonsina
Biblioteca Universitaria

UNIVERSIDAD DE NUEVO LEÓN
Biblioteca Valverde y Tellez



ROMAE

DESCLÉE, LEFEBVRE ET SOC. EDITORES PONTIFICII


Via Santa Chiara, 20-21

1903

45601

Bx 2157

T6



FONDO LITTERARIO
VALVERDE Y TELLEZ

IMPRIMATUR

Fr. ALBERTUS LEPIDI, O. P. S. P. A. Magister.

IMPRIMATUR

IOSEPHUS CEPPETELLI, Archiep. Myren. Vicesg.

LITTERAE CAPELLANI SECRETI
SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI
LEONIS PAPAE XIII

Roma, Vaticano 4 Giugno 1903.

EGREGIO SIGNORE (*):

Ho ricevuto le due copie dell' Opera COR
JESU PRAEDICANDUM, del Sac. Ignazio To-
rradeflot Cornet, e mentre la ringrazio
di quella offerta a me, sono lieto di significarle
che ho rassegnato l' altra, elegantemente legata,
nelle auguste mani del Santo Padre. Sua Santità
aveva già inteso parlare di questo lavoro ascetico,
e siccome ad Essa torna oltre modo gradito quanto
si fa e si scrive in onore del Sacro Cuore di Gesù
e ad incremento di questa nobilissima devozione,
così si è degnata di accoglierne l' omaggio con be-
nevola compiacenza: e ad incoraggiare lo zelo e i
santi intendimenti del pio autore, con paterno af-
fetto invia al medesimo l' Apostolica Benedizione.

Con sensi di distinta stima ho il piacere di ri-
petermi

Di Lei Dmo.

Rinaldo Angeli

Capp. sec. d. S. S.

(*) D. Augustus Zucconi, qui operis exemplaria, auctoris nomine, in
Aulam Vaticanam detulit.

000026



DIVO IGNATIO A LOYOLA

PATRONO CARISSIMO

CUI IN LATEBRIS MANRESAE PATRIAE MEAE

VISIS COELESTIBUS A DEO INSTITUTO COMMISSUM FUIT

AD MAIOREM DEI GLORIAM PROPAGANDAM

ET AMOREM FILII SUI D. N. IESU CHRISTI UBIQUE PROMOENDUM

STRENUE PUGNARE

HUMILLIME PERAMANTERQUE

HOC OPUS

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

D. D.



DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

AD SPECUM S. IGNATII A LOYOLA, MANRESAE, FESTO
PURIFICATIONIS B. MARIAE VIRGINIS, ANNO M.CM.III.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA

DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

LECTORI BENEVOLO

PROLOGUS

QUIA, tibi fortasse videri potuit, amplissime lector, tibi, inquam, titulum huiusce voluminis primum legenti, hic procul dubio aestimabilissimorum codicum multitudinem fuisse congestam, de omnibus Religionis dogmatibus, de Christo, de B. Virgine, de Sanctis, de praeceptis moralibus et virtutibus, de omni re praedicabili, latissime, solidissime et optime, sub forma concionum, pertractantium, vel a sanctis Patribus et Doctoribus, vel a probatissimis theologis et oratoribus facundissimis conscriptorum, nostras publicas privatasque bibliothecas summopere excolentibus, quosque tua rara mens perspectos habet, quia non semel eorum folia volutasti; opus est, antequam hunc librum interius perspicias, advertas nihil novum in ipso esse neque quoad substantiam neque quoad dictionem; quinimo etiam precor ut nihil in eo notatu dignum reperire arbitreris. Nam Dominus Iesus Christus, Dux et Legifer noster, Rex omnium saeculorum, cui omnia vivunt, et famulatum praestant, cuiusque divina praeconia ita, a D. Ioannis Evangelistae ad nostra usque tempora, sancti sapientesque universi una voce cecinerunt, ut simillima appareat haec tanta et perennis et universalis laus laudi, quam angeli reddunt in altissimo coelo Domino exercituum, clamantes alter ad alterum et dicentes: *sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus exercituum, plena*

est omnis terra gloria eius (1), est similiter totum obiectum laudis praeconiorumque meorum, toto istius libri decursu; sed aliter ac plurimi, qui de Eo tam alte disseruerunt, ea tamen lege mihi proposita ut non nova sed vetera tibi, benevole lector, nove proponam. Nove, inquam; nam sicut devotio SS. Cordis Iesu non est quoad substantiam nova, sed tantummodo quoad speciem per solemnem et publicam Ecclesiae declarationem; ita, etiamsi non sit quoad substantiam novitas ulla de Christi titulis dissertationes in lucem prodere, est revera quoad formam quid novum conciones de Christo sub titulo sui SS. Cordis edere, praesertim conscriptas sub thematibus litaniarum recentiorum, iussu Leonis PP. XIII, in universali Ecclesia recitandarum.

Unde arbitror, praesertim tyronibus concionatoribus posse contingere quod mihi usque ad praesens acciderat, nescienti opera consulenda, quae conciones, schemata, vel orationes festivitatis SS. Cordis Iesu, hodiernis temporibus in dies crescentibus, accommodatas continerent. Itaque cum pene innumeri extent auctores cultum hunc alte et erudite pertractantes modo scholastico et mystico, historico et vindicativo, a quorum doctrinae et eruditionis copia etsi eloquentes et foecundae orationes coordinari valeant, tamen impares aliquantulum, aut saltem non muneri exercendo aptae videntur, vel ob temporis angustias, vel ob aliquem idonei oratoris defectum in concinnando sermone et ordinando; incipientium praecipue oratorum manibus trado provolvendum novissimum: *Cor Iesu praedicandum*, a me dum a concionibus vacabam conscriptum, indicatione et consilio doctissimi sacrae Theologiae Magistri in Seminario Tridentino Vicensi, et illustris doctoris domini Ioachim Sellas, almae illius Cathedralis Ecclesiae Lectoralis, olim, in Universitate Pontificia Gregoriana Romae, auditoris theologi, meritissime laureati; confidens fore ut opus quodcumque hoc, tum ex perspicuitate et sobrietate rerum, tum ex simplicitate expositionis et copia doctrinae Sanctorum

(1) ISAIAS, c. VI, v. 2.

Patrum et Doctorum, qua propositiones omnes explanare et corroborare curavi, nonnullis saltem aliquantulum sit profuturum.

Nota tamen primo: statuisse me non conciones absolutas conferre, sed potius illarum seriem, rerumque rationes et causas coordinare, ut oratores, sicut lingua sua vernacula, ita, modo quo sibi placeat, conceptus exponant; et ideo me latine scripsisse ut ab Apostolicae Ecclesiae ministris ubique gentium possint intelligi.

Nota secundo: vocabulum *Cor*, toties per singulas conciones iteratum, quandoque pro toto, seu persona Iesu, quandoque pro parte physica, vel pro anima eiusque affectionibus sumi, prout, in decursu operis, tui intellectus perspicuitas videbit.

Nota tertio: disquisitionem praecedentem de Cultu SS. Cordis ad concionatorum utilitatem, penitus necessarie praeposendam integro operi censui, ne quis vel inopportune et improprie, vel absque fructus possibilis obtentu disserat; etsi enim brevissima, sufficiens tamen est ut quis, solidis conceptibus super hoc cultu eruditus, valeat recte praedicare, cum sint conceptus a probatissimis theologis traditi.

Nota quarto: doctrinam traditam in tali disquisitione non meam esse, quinimo nec formam; consule, si placet, loca adnotata, et praesertim: *Theses* P. Martorell S. I., quarum nonnulli nostri paragraphi sunt ferme compendium.



I.

DE CULTU SS. CORDIS IESU IN GENERE

Cultus, qui generice sumptus est: reverentia alicui exhibita propter sui excellentiam (1); loquendo de Corde Iesu erit « testificatio excellentiae eius divinae ». Ad cuius evidentiam sciendum est, Cor Iesu, sicut caetera membra, v. g. manus, pedes, caput, unum perfectum efformare cum anima cui manet unitum, quod et compositum constituit humanitatem eius, et cum persona divina est inseparabiliter coniunctum; ita ut, etsi in triduo mortis anima fuit a corpore separata, tamen divinitas remansit utrique coniuncta. Ex hac ergo substantiali unione Verbi cum humanitate Christi oritur ratio cultus latriae redditae Cordi Iesu, non velut parti separatae a toto, sed totum et animam metaphorice et Verbi amorem symbolice repraesentanti; quamvis enim quaevis alia pars corporis Christi sit eiusdem adorationis digna ex coniunctione cum supposito divino, cuius est, ratio tamen singularissima super caetera membra militat pro cultu SS. Cordi tribuendo.

Et ideo primo: eadem ratio, (quae pro tota humanitate simul sumpta), militat pro cultu Cordis, quod est pars: « cum adoratur Christus non separatur humanitas a divinitate, sed utraque ut unum adoratur latria » (2). « Non dicimus quod carnem adoramus nudam; sed carnem Dei, idest incarnatum Deum » (3). Sed Cor physice sumptum est caro et pars humanitatis.

Deinde eadem ratio est, qua cultus caeteris partibus tribuitur, v. g. pretiosissimo sanguini Salvatoris, qui non colitur separatim a supposito huius sanguinis; terminus enim cultus est persona, non enim dicimus quod manus, aut pes hominis honorentur, sed homo. Et si aliquando, velut in nostro casu,

(1) *Sum. Tb.* 2-2, q. CIII, ad I.

(2) Septima Synod. act. V.

(3) S. IOAN. DAM. l. IV, c. 3.

dicitur adorari pars, scilicet sanguis, vel plagae, vel cor, hoc non dicitur ea ratione, qua hae partes secundum se colantur, sed quia in his, quod totum et integrum est, repraesentatur et honoratur. Sed cor est pars, sicut sanguis, sicut plagae.

Tandem rationes speciales militant pro cultu Cordis super caetera membra. Nam cor, physice sumptum, est organum vitae physicae, a quo omnia membra sumunt esse et operationem. Metaphorice significat vel totam animam, vel voluntatem et actum huius primarium, amorem nempe, vel appetitum sensitivum. Symbolice quatenus ipsum cor physicum est signum naturale amoris, quo Unigenitus Dei Filius humanam suscepit naturam, secundum illud: *Sic Deus dilexit mundum ut Filium suum unigenitum daret* (1). Cum ergo haec tantum Cor spectent, hinc oritur summa ratio cultus nostri ad Cor Iesu, super caetera membra.

Audiamus devotissimum P. Gallifet: « Cor Iesu ita colendum proponitur, ut ab aliis rebus maxime spiritualibus, quibus intime coniunctum est, minime separetur. Non separatur a persona Verbi, per quam ad divinum ordinem evehit: non ab anima Christi, a qua vitam et sensum obtinet, quaeque suam ei nobilitatem ac excellentiam totam quasi infundit et communicat; non a Spiritu Sancti donis, a quibus sanctitatem immensam participat... Haec autem omnia quum Cordi Iesu nexu indissolubili coniuncta sint, et ab his ipsius dignitatem, pretium, nobilitatem, sanctitatem, divinitatem, omnem denique perfectionem Cor accipiat, prorsus necesse est, ut cultus Cordi adhibitus haec omnia simul et indivise attingat adeo, ut... obiecto illo cultus nostri adaequate sumpto nihil esse possit, seu in terris, seu in coelis, nobilius, sanctius, sublimius, divinius » (2).

(1) IOAN. c. III, v. 16.

(2) Lib. I, c. 2.

II.

DE CULTU PRIVATO SS. CORDIS IESU

Certum est ex praecedentibus, non solum adorandam esse cultu patriae humanitatem Christi simul sumptam, sed et partes eius et Cor, dummodo ut pars illius humanitatis colatur. Nunc nostrum est inquirere quando et unde cultus Cordis Iesu trahit originem.

Cultus est vel publicus, vel privatus. Publicus est, qui nomine Ecclesiae exhibetur tamquam ab ea institutus. Privatus, qui ex privata tantum devotione procedit, etsi fiat coram aliis (1). Propterea quod cultus publicus talis est et dicitur, etiamsi in occulto fiat. Cultus ergo publicus incepit quando Ecclesia eum solemniter et lato decreto approbavit, ut infra dicemus.

Cultus autem privatus SS. mi Cordis potest dupliciter considerari: vel quoad substantiam: vel quoad speciem. Si quoad substantiam spectetur, certum est ab exordio religionis christianae redditum fuisse; cum enim ex tunc adorata fuerit tota simul sancta humanitas Christi, cultu patriae, ex personali coniunctione Verbi divini, oportuit simul et partes eius adorari; ideo et Cor. Si vero hic cultus quoad speciem consideretur, certum est Cor Iesu, sicut aliae partes humanitatis, speciali veneratione prosecutum fuisse a Sanctis nonnullis et animabus ferventioribus, licet et non a toto seiunctum; sicut patet de Sanguine et de SS. Vulneribus.

Quinque argumenta adducuntur a PP. Martorell et Castella S. I. ad hanc thesim ex monumentis historicis probandam (2). Primum: extat in Gallia percelebris inscriptio graeca saeculi II, quae versa in latinum legitur: «Piscis coelestis, divinum genus! utere Corde almo, immortalis vita quod est

(1) DEL VECCHIO, t. I, n. 700.

(2) *Theses de cultu SS. Cordis Iesu*, thesis I, partis I, pag. 28.

homini». Sciendum est quod piscis figurabatur in sculpturis, ex consuetudine Ecclesiae, tamquam imago Divinitatis. Vox *almo* idem est ac: *magna laus*; et dicitur Cor Iesu vita immortalis hominis. Unde tota sententia a P. Fita hoc ordine distincta proponitur: «Divinum genus! Utere augusto Corde Piscis coelestis suscipiens vitam immortalem in mortalibus». Secundum sumitur ab anno 1658, quo «Theodorus Fulden in metallo nuptias Agni mysticas caelabat, in quo Cor Christi cruce suffultum et flammis circumdatum exhibetur». Tertium ab anno 1456 quo Ludovicus Garcia presbyter Valentinus hymnum edidit in honorem Cordis Iesu sub titulo «Cobles en lahor del Sacratissim Cor de nostre Senyor Deu Jesu-Christ». Quartum a quibusdam picturis quibus Angli ante saeculum XVI solebant Cor Iesu proponere, vel quinque vulnera in ipso Corde depingendo, vel manus pedesque transfixos Cordi vulnerato coniunctim apponendo, vel Cor spinis undequaque circumdatum monstrando. Quintum «a plurimis libris e Societatis Iesu alumni, in quibus saeculis XVI et XVII, monogramma I. H. S. variis formis apparet cum SS. Corde Iesu colligatum».

His plurima adduntur documenta a piis SS. Cordis cultoribus patientissime collecta, quae consulere quis potest, quaeque nos omittimus, brevitatis gratia (1).

(1) Quantum ad Hispaniam attinet innumera adducuntur testimonia in opere cui titulus «Homenaje Nacional» celebratum Tarraconae anno 1880.



III.

SENTENTIAE PATRUM ET SANCTORUM

In medium proferemus nonnullas SS. Patrum, Doctorum, aliarumque animarum ferventiorum sententias, in ipsis eorum scriptis repertas, tum ad confirmationem eorum, quae de cultu privato supra diximus, tum ad ampliorem expositionem doctrinae a concionatoribus tradendae fidelibus.

« Cor autem significare dicam divinam vitam, quae vitam vim suam benigne in ea, quibus contulit, dispergit ». Dionisius Areopagita (1).

« Ut tamen ab antiquioribus exordiamur, apertio lateris Adae, ex cuius costa Eva formata fuit, apertionem lateris Christi, unde Ecclesia extracta fuit, non obscure praefiguravit ». S. Clemens papa (2).

Theophylus dicit: « Longinum lancea latus Christi aperuisse ut, contumeliam Christo inferens, Iudaeis complaceret; praeterea, quia, si miles ille percussit latus Christi, ut exploraret, aut perficeret mortem eius, verosimilius est Cor eius voluisse vulnerare; sic enim magis notum omnibus esset et manifestius Christum iam obisse » (3).

« Hos duos baptismos (aquae scilicet et sanguinis) de vulnere perfossi lateris emisit, quatenus qui in sanguinem eius crederet, aqua lavaretur; qui aqua lavissent etiam sanguinem potarent ». Tertullianus (4).

« In his enim certum est quod Ioannes in principalibus Cordis Iesu atque internis doctrinae eius sensibus requievisse, ibi requirens et perscrutans thesauros sapientiae et scientiae, qui reconditi erant in Christo Iesu ». Origenes (5).

(1) Fol. 46.

(2) Hieron. *Ad Ephes.* V.

(3) Glisand. q. LXXIV in feria VI Parasceve.

(4) Septim. Flor. *Tertull.* pag. 230.

(5) Pag. 566, editio 1545.

« De latere tuo, Christe, fons egredietur in vitam aeternam prosiliens: et de eadem consubstantialique origine divisim limitibus, aqua et sanguis emanant ad complementum perfectionemque totius iustitiae, sacramenta in perpetuum duratura, et fontis illius ubertas perenni lapsu universam Ecclesiam irrigat et foecundat ». S. Cyprianus (1).

« A sanguine Christi repurgati sumus ab omni peccato, aqua vero in mortem Domini baptizati ». Basilii Magnus (2).

« Vel latrones missi sunt, qui percuterent eum. Venientes invenerunt defunctum Dominum Iesum Christum. Tunc unus militum lancea tetigit latus eius, et de latere eius aqua fluxit et sanguis. Quare aqua? Quare sanguis? Aqua ut mundaret, sanguis ut redimeret. Quare de latere? Quia unde culpa, inde gratia. Culpa per foeminam, gratia per Dominum Iesum Christum ». S. Ambrosius (3).

« Lancea latus eius punxerunt ut impleretur Scriptura ». *Viderunt in quem transfixerunt. Exiit sanguis et aqua;* sicut ex latere Adae sumpta est Eva, ita ex latere Christi exiit redemptio Ecclesiae; per sanguinem remissio, per aquam baptismum ». S. Hieronymus (4).

« Non sine causa, vel casu hi fontes manaverunt, sed ex utroque Ecclesia constituta est ». S. Chrysostomus (5). Vocat Cor Iesu « reconditum divinitatis marsupium ».

« Per foramina corporis patent mihi arcana Cordis ». S. Augustinus. Et alibi, « aperuisse ardens suum desiderium fertur, ut omnis gens et omnis lingua confiteatur, et dicat: amemus, semper amemus Cor dulcissimum Iesu ». S. Augustinus: « Longinus aperuit mihi latus Christi lancea, et ego intravi, et ibi requiesco securus ». S. Augustinus (6).

« Et erunt duo in carne una. Utique duo sunt Deus et

(1) *De passione Christi*, pag. 477.

(2) Pag. 181.

(3) Folium 335, editio 1529.

(4) Tom. XI, pag. 65, editio 1771.

(5) Tom. VIII, pag. 287, editio 1759.

(6) Migne, tom. XL, pag. 949.

homo, Christus et Ecclesia, quae de sponsi carne prodiit, quando ex latere Crucifixi, manante sanguine et aqua, sacramentum redemptionis et regenerationis accepit ». Leo Magnus (1).

« Per foramina autem petrae, vulnera manuum et pedum Christi in cruce pendens libenter intellexerim. Cavernam vero maceriae, vulnus lateris, quod lancea factum est ». Gregorius Magnus (2).

« Nam quia ex latere eius sanguis et aqua manavit...: Ecce, inquit, aquae redundantes a latere dextro, scilicet, Christi. Item de eadem aqua, quae ex latere eius profluit, propheta alius sic dicit: *Flumina aquae viventis egrediuntur de ventre illius*. Aquae scilicet baptismatis, quae credentes vivificant, et quae sitientibus largiuntur quando impletur, quod scriptum est: *Lavamini, mundi estote; et: Lavabis me, et super nivem dealbabor* ». Isidorus Hispalensis (3).

Super illud: *erat recumbens super pectus Iesu* scribit Beda: « Mystice autem debetur intelligi quod de Domini pectoris fonte, ubi sunt thesauri sapientiae absconditi, potandus erat, qua eructaret illud divinum mysterium: *In principio erat Verbum* » (4).

« Ibi (in lateris plaga) velut ab accipitris incursu defenditur, quia sancta quaelibet anima totam propriae salutis spem in sui Redemptoris passione constituit. Ibi plane nidificat, quia illic foetus bonorum operum coacervat ». Iohannes Damascenus (5).

« De latere lancea aperto, quod aqua et sanguine manavit, Zacharias prophetavit: *Aspicient in eum quem confixerunt*. Et Moyses delineavit fluxum aquae ex latere; percussit enim ille petram, unde statim manavit aqua ad servandum populum: *petra autem erat Christus* ». Anastasius Abbas (6).

(1) Epist. X.

(2) In Cant. cant. c. II, pag. 7.

(3) Cap. XLVIII, pag. 558, editio 1601.

(4) In cap. I Ioann., tom. I, pag. 306, edit. 1636.

(5) Institut. mon. cap. I.

(6) Pag. 19.

« Dormivit Adam ut fieret Heva; mortuus est Christus ut fieret Ecclesia. Dormienti Adae facta est Heva de latere: mortuo Christo, lancea percussus est latus, ut profluerent sacramenta, quibus formaretur Ecclesia ». S. Anselmus (1).

S. Petrus Damianus vocat Cor Iesu: « Dei thesaurum et vitae fontem » (2) « coeleste gazophylacium et aerarium » (3).

« Quia semel venimus ad Cor dulcissimum Iesu et bonum est nos hic esse, ne sinamus nos facile avelli ab eo. Accedamus ad te, et laetabimur et exultabimus in te, memores Cordis tui. O quam bonum, et quam iucundum, habitare in corde hoc! Bonus thesaurus, bona margarita, Cor tuum, bone Iesu ». D. Bernardus (4).

S. Bonaventura ita se divitem existimabat sola Cordis Iesu possessione et coniunctione, ut vehementer desideraret habere « tabernaculum continuum in latere; ibi loquar ad Cor eius, et ab ipso quod voluero impetrabo » (5).

« Benedictus, qui, ut nidificare possem in foraminibus petrae, latus perforari sibi tulit; et se mihi totum aperuit, ut ingrediar in locum tabernaculi admirabilis...; tuta habitatio, fratres mei, turrisque fortitudinis a facie inimici... Ideo latus suum aperuit, ut spiritus Cordis quasi patenti et libero meatu aspiraret; ibi tuto latebis..., ibi deliciis afflues ». Guerricus Abbas (6).

« O amantissima vulnera Domini nostri Iesu Christi!... Quanta putas animam frui dulcedine, quae per illa foramina coniungitur Cordi Christi...? Ecce aperta est apotheca, omnibus aromatibus plena. Ecce aperta est ianua Paradisi, et per lanceam militis gladius versatilis amotus est; ecce apertus est thesaurus sapientiae charitatis aeternae. O si fuisset loco illius lanceae, exire de Christi latere noluissem, sed dixissem: haec

(1) Cap. V, fol. 18.

(2) Serm. II Exalt. S. Crucis.

(3) Sermo de S. Ioann. Evang.

(4) De passione, c. III.

(5) Stigmat. amoris, c. I.

(6) MILLER, sectio III, c. II.

requies mea in saeculum saeculi; hic habitabo quoniam elegi eam... Ecce sponsus tuus dulcissimus prae nimio amore aperuit tibi latus, ut tibi tribuat Cor suum ». D. Bonaventura (1).

« Fudit sanguinem de vulnere Lateris et Cordis ut discipulos in fide dubios, et alios multos et bonae vitae stabilitate tentatos, et ideo frigidos et quasi mortuos, calefaceret, et revivificatis suo sanguine iter coeleste significaret, ut post ipsum reverenter currerent... Curre coram nobis, ut fera corde vulnerata; sanguine tuo coelestem semitam nobis ostende, donec te comprehendamus et in te delicias aeternas capiamus ». D. Thomas Aquin. (2).

« Turtur ipsa est casta et gemebunda Ecclesia, sponsi sui solatio viduata, cui in hac viduitate gemitus continuus pro cantu est... Nidus turturis pectus est dilecti sui, in quo per lateris aperturam subintrans, secunda nidificat ». S. Thomas a Villanova (3).

Sancta Theresia caeteros admonebat « ut oculos ad latus Christi apertum converterent, ibique conspicerent ipsius Cor, ac tenerrimum amorem quo nos prosequutus est, quando Cor illud nostrum esse nidum, nostrumque refugium declaravit » (4).

« Quam magna Dei dignatio, quam Verbi veneranda descensio, quando peregrinantem et in tenerrimo corporis carcere constitutam animam visere dignatur... lancea materiali in carne, spiculo vero flagrantissimae charitatis fuit transfixum in corde; semel et ab uno in corpore; multipliciter et ab innumeris sauciatur in corde ». S. Laurentius Iustinianus (5).

« O tenerrimum, o vehementer dulce Cor quod nostris movetur affectibus ad repetendam vicissitudinem dilectionis... Magna et violenta est charitatis vis, dum Cor Christi vulnerare potest. Acutus et efficax et vere violentus affectus est, Iesu

(1) *Stim. amoris*, c. I.

(2) *Opus* 18.

(3) *Conc.* II in *Ascen. Dom.*

(4) *Epist.* 8.

(5) *De casto connub. Verb. et animae*, c. 14.

bone, qui, transfigere pectus tuum valet ». Ven. Alphonsus de Horozco, *Ordinis Eremitarum S. Augustini* (1).

« Praeter haec omnia addidisti etiam mihi inestimabilem amicitiae familiaritatem, impendere nobilissimam illam Deitatis arcam, scilicet deificatum Cor tuum diversis modis mihi praebendo in copiam omnium delectationum mearum ». S. Gertrudis (2).

Sancta Mechtildis narrat hoc nuntiatum esse sibi a Iesu per visum: « Sicut homo manus suas saepius respicit, sic ab infantia usque ad diem passionis meae quotidie mortem in Corde meo revolvebam ».

« Heri videbam te conspicientem latus apertum Domini nostri, volentemque apprehendere Cor ipsius, ut illud in tuo corde veluti Regem in parvo regno collocares...; quam bonus est iste Dominus, dilecta filia, quam amabile ipsius Cor! vivamus semper in hoc sancto domicilio ». S. Franciscus Salesius (3).

« Christus vulnerari voluit in ea parte corporis, qua eius Cor hominibus quasi patere posset, ut intelligerent sibi apertum ostium, per quod in Cor Christi ingredi, illicque possent requiescere ». Eximius Doctor Suarez (4).

(1) *Sup. Cant.*, c. IV.

(2) *Ex eius vita*, lib. II c. 23.

(3) *Epist.* 555.

(4) 3. part., disp. 41, sect. I.



IV.

DE CULTU PUBLICO SS. CORDIS

Certum est, innumerisque argumentis comprobatum, cultum privatum SS. Cordis semper in Ecclesia extitisse. Sed non ita semper viguit cultus publicus, qui nomine Ecclesiae exhibetur, tamquam ab ea institutus; non enim cultus Sanctissimi Cordis fuit semper ab Ecclesia recognitus. Tria ergo proponuntur nobis consideranda. Primum: an detur in praesenti verus cultus publicus. Secundum: quo tempore incepit. Tertium: unde originem trahit. Quoad factum, nullum dubium est nunc in toto orbe terrarum cultum publicum Sanctissimi Cordis splendescere; extant enim Summorum Pontificum concessionem et Sacrarum Congregationum decreta, Missa et Officium, templa et altaria, sodalitates indulgentiarum decoratae, virorum ac feminarum coetus religiosi sub titulo Cordis Iesu erecti et approbati, innumeraeque pia exercitia profusis indulgentiarum thesauris ditata.

Quoad tempus institutionis cultus publici, distinguendum est an de simplici et particulari, an de publica et solemni institutione agatur. Institutio solennis, qua aliquis cultus ultimum gradum solemnitatis attingit, dignoscitur per concessionem Missae et Officii; quo facto hic cultus approbatur atque amplificatur solenni auctoritatis Pontificiae iudicio. Et hoc sensu cultus publicus SS. Cordis Iesu originem habet a Clemente PP. XIII, qui die vi Februarii, anno 1765, concessit Officium et Missam propriam de SS. Corde Episcopis Poloniae. Institutio vero simplicis et particularis alicuius cultus publici est, quae ab Episcopis comprobatur, et in particularibus Ecclesiis circumscripta, gratis spiritualibus locupletatur. Et sic cultus publicus SS. Cordis exstat a primaevis confraternitatibus indulgentiis ditatis anno 1694 et 1695 (vide § XIV), et a concessione festi pro Monialibus totius Ordinis Visitationis anno 1697; et ab erectione altarium, ut constat sub Inno-

centio PP. XII, eodem anno 1697 (1); nam haec omnia ecclesiasticam sanctionem cultus publici adstruunt. Haec autem omnia intelligenda sunt formaliter, in quantum, scilicet, hic cultus publicus originem trahit a praescriptionibus Ecclesiae; si enim non esset ab ea praescriptus, esset tantum cultus privatus, etiamsi B. Margaritae revelationes extarent.

Materialiter vero, seu in sensu historico et cronologico, cultus publicus Cordis Iesu originem habet a B. Margarita Alacoque, cuius revelationes viam panderunt; nam ante eas nullum fuit factum ordinatum ad huiusmodi institutionem. Ita fuit a Pio PP. IX recognitum et declaratum, in Bulla beatificationis Margaritae Alacoque, his verbis: Hunc vero charitatis ignem ut magis incenderet, SS. sui Cordis venerationem cultumque institui in Ecclesia voluit ac promoveri... Iam vero ad tam salutarem ac debitum pietatis cultum instituendum lateque inter homines propagandum, eligere Servator noster dignatus est venerabilem famulam suam Margaritam Mariam Alacoque». Non possunt haec verba referri ad cultum privatum, qui ante Margaritam in Ecclesia vigeat. Ergo ad cultum publicum. Praeterquamquod loquitur hic de cultu prout tunc erat institutus (anno 1864), qui erat apertissime publicus. Alia argumenta adduci possent tum ex Officio B. Margaritae, tum ex revelationibus ipsi factis, quae brevitate gratia omittimus.

(1) In memoriali oblato S. R. C. sub Innocentio XII anno 1697 a Frigidiano Castagnorio, ut Festum cum Missa propria in honorem SS. Cordis Iesu concederetur, constat tunc esse iam altaria in honorem Ipsi erecta, his verbis « Idcirco benignissimus Dominus paucis abhinc annis priorum virorum inflammavit animos ad amorem sui Sacratissimi Cordis in Anglia, ubi religio adhuc affulget, in Gallia, aliisque Europae regionibus, ita ut altaria et sodalita sub invocatione eiusdem Sacratissimi Cordis erecta fuerint » (NILLES, Sect. I, c. I, § I). Certe quod de primaevis altaribus S. Cordi Iesu dicatis Postulator loquitur, sicut etiam de antiquioribus sodalitatibus iuxta illud: « paucis abhinc annis priorum virorum inflammavit animos ».

V.

SYNOPSIS HISTORIAE CULTUS PUBLICI

Certum est cultum publicum SS. Cordis Iesu originem ducere a B. Margarita Alacoque; tum ex documentis canonicis, tum ex testimonio ipsius B. Margaritae, ut suo loco probatur.

Nunc nobis est cursum huiusce cultus sub brevibus per documenta S. R. C. narrare.

Septem annis elapsis ab illo, quo B. Margarita terras reliquit, anno 1697 apud S. R. C. petitio facta est a Maria, Angliae Regina exule, ut Festum cum Missa propria decerneretur in honorem SS. Cordis Iesu pro Ecclesiis Monialium Visitationis Beatae Virginis, institutarum a Sancta Ioanna Francisca Fremiot de Chantal anno 1620, dirigente et cooperante divo Francisco Salesio.

Quibus precibus Innocentius Papa XII, audito S. R. C. consulto, die 3 aprilis eiusdem anni 1697 benigne annuit ita; « Concedatur Missa quinque vulnerum Christi pro feria sexta immediate post octavam Corporis Christi Pro Monialibus totius Ordinis Visitationis. Die 30 Martii 1697 ». Decret S. R. C.

Non fuit totaliter concessa gratia petita, quia Promotor Fidei opposuit novitatem Festi adversantem Ecclesiae disciplinae. Unde S. R. C., prudenti temperamento usa, mediam viam inivit, concedendo tantum Missam praedictam (1).

Hoc autem privilegium tunc non concessum fuit aliis Ordinibus; nam Monialibus Ursulinis civitatis Viennensis idem postulantes, S. Congregatio, re mature perpensa, censuit respondendum: « Non expedire » (5 Octobris 1697). Et hoc nonnisi, ait Benedictus XIV, quia a Promotore Fidei exce-

(1) NILLES, Sect. I, c. I, par. 1 et 2.

ptio novitatis opposita fuit (1). Nota tamen quomodo sub hoc Pontifice amplificatus fuit cultus SS. Cordis Iesu variis sodalitatibus, ipso regnante erectis, et ab eo indulgentiarum thesauro locupletatis, ut suo loco adnotatur.

Postea, sub Benedicto XIII, iterata fuit non semel petitio Festi SS. Cordis cum Missa propria. Et primo Episcopus Massiliensis cum universo suae Dioecesis clero, testes beneficii, quo SS. Cor Iesu liberavit civitatem illam a pestilentia saeviente anno 1721 et 1722, postulavit a SS.mo ut Massiliae celebraretur Festum SS. Cordis cum Officio et Missa propria tam a Clero regulari, quam a saeculari.

Anno 1726, die 6 Maii, Episcopus Cracoviensis idem postulavit pro Ecclesia universali. Augustus Rex Poloniae, pro suo regno et pro toto christiano orbe, die 15 eiusdem mensis et anni, postulavit ut hic cultus suprema Pontificis auctoritate confirmaretur. Pro suo regno et ditionibus suis idem petiit Philippus V Hispaniarum Rex, die 10 Maii anno 1727. Ipsae Moniales Visitationis B. M. V. sicut anno 1697, petierunt a SS.mo ut dignaretur oblatam Missam una cum officio SS. Cordis Iesu approbare, die 6 Iunii anni 1725.

His vero petitionibus S. R. C. die 12 Iulii 1726 rescripsit: « Non proposita »; idest, notavit ut postulantes admonerentur a petitionibus esse abstinendum. Sed cum postulatorem de novo exorassent, S. R. C. vel quia quaestionem nondum putaret maturam decisioni, vel quia difficultates non erant sufficienter solutae, die 30 Iulii 1729 respondit « Negative ».

Rationes negationis adductae a Promotore Fidei, qui tunc erat Prosper Lambertini, postea Benedictus XIV, fuerunt tum quia obstaculum de novitate nondum videbatur sufficienter absolutum, et ex tali concessione possent promoveri consimiles instantiae ad multiplicationem festorum, ex. gr. in honorem Lateris, Oculorum et Linguae SS.mi Redemptoris; tum quia revelationes B. Margaritae, adductae a Postulatore causae Iosepho Gallifet S. I., nondum erant iuridice probatae; tum

(1) De Canon. SS. lib. IV, part. 2, c. 21.

denique quia Ecclesia prudenter abstinere debet ab edendo decreto, quod quaestionem philosophicam de sede affectionum humanarum tangeret (1).

Benedicto XIII e vivis sublato, anno 1730, causa instaurata fuit sub Clemente XIII, qui die 6 Februarii anno 1765 concessit Officium et Missam propriam in honorem SS. Cordis, Episcopis Regni Poloniae specialiter suplicantibus, et Archiconfraternitati Urbis, sub titulo eiusdem SS. Cordis Iesu. Hoc anno, die 10 Iulii, eandem gratiam pro feria sexta post octavam Corporis Christi, sub ritu duplici maioris concessit Ordini Sanctimonialium Visitationis B. M. V. Adverte tamen quomodo augebatur in dies numerus sodalitatium sub Pontificibus praecedentibus, Benedicto XIV et Clemente XII (2).

Item Pius VI, die 7 Iulii anni 1779, precibus annuens Mariae Franciscae, Lusitaniae et Algarbiorum Reginae, concessit, ut in regnis praedictis festum SS. Cordis Iesu quotannis sub ritu duplici primae classis celebraretur feria sexta post Octavam SS. Corporis Christi, cum vigilia ac ieiunio, iniuncto omnibus insuper a quocumque servili opere abstinendi praecepto.

Deinde Pius VII, die 28 Septembris 1819, piis supplicationibus Custodis Terrae sanctae inclinatus, concessit idem festum sub ritu duplici primae classis in Palaestina, cuius « loca praesentia Salvatoris nostri Iesu Christi sanctificata, intensissimi eiusdem erga homines amoris argumenta praebent, quodque in singulis illis locis longe lateque diffusa Sacratissimi Cordis Iesu devotio in dies augetur » (3).

Sed quamvis omnibus Ecclesiis, sive familiis religiosis, privilegium petentibus, gratia concederetur, numquam tamen Pontifices passi sunt, ut aliorum rogatu alienis populis praescriberetur, usque ad annum 1856; ita constanter repudiarunt eorum preces, qui pro festo in totum orbem extendendo

(1) NILLES, Sect. I, II.

(2) *De Sodalitatibus*, § c. XIV.

(3) Verba Decreti.

supplicarunt, sicut Clemens XIII negative respondit Mariae Carolinae Franciae Reginae, anno 1769.

His non obstantibus, tantus fervor exurgit in populis erga SS. Cor Iesu colendum, quod S. R. C. anno 1856, testata fuit « ad immensam divini huius Cordis charitatem recolendam tanto ubivis ardore fideles populos se excitatos sensisse, ut eo tempore nulla iam pene extiterit Ecclesia, quae privilegium eiusdem festi paragendi ab Apostolica Sede se non impetravisse laetata sit » (1).

Solo duodecim annorum spatio 1753-1765 elevatae fuerunt ad Summum Pontificem 155 petitiones ab Episcopis, Capitulis, aliisque personis authenticis pro concessione festi SS. Cordis Iesu cum Officio et Missa (2). Ex Polonia 8: a. 1762-1764. Ex catholicis Hispaniarum regnis 32: a. 1663-1764. Ex America 16: a. 1753-1754. Ex Germania 8: a. 1864. Ex Italia 15: a. 1764. Ex ditione Pontificia 44: a. 1763-1765. Ex utraque Sicilia 17: a. 1764. Ex Hetruria 10: a. 1764. Ex partibus Orientis 5: a. 1764.

His adduntur epistolae Reginae Franciae, anno 1740; Maiestatis Augusti III, Regis Poloniae, 1762; Maiestatis Stanislai, Regis Poloniae, a. 1763; Serenissimi Principis Clementis Francisci, Ducis Bavariae a. 1764 (3).

Ita cultus SS. Cordis coelesti quodam impulsu in populos extendebatur, et stabiliebatur in animis quin a S. Sede imponetur, donec Deus Pium IX ad Ecclesiam universalem regendam vocavit.

Ex tunc cultus SS. Cordis, qui in omnibus fere Ecclesiis celebrabatur ex privilegio, universae praescriptus fuit Ecclesiae ex decreto 23 Aug. anni 1856. En verba « Sanctitas Sua novaque cupiens praebere incitamenta fidelibus ad amandum, redamandum, amplectendum vulneratum Cor Eius, qui dilexit nos et lavit nos a peccatis nostris in Sanguine suo, Officium

(1) Decret. extens. fest. ad univ. Eccl.

(2) Catalogus eorum, qui in praesenti supplicant; NILLES, *Sec. addititia* c. III.

(3) Textum, vide NILLES loc. cit.

SS. Cordis Iesu pro Regno Poloniae et Clero Urbis a S. R. C. probatum die 11 Maii 1765 cum respondente Missa « Miseretur » in universa Ecclesia quotannis celebrari mandavit sub ritu duplici maiori, feria VI post Octavam SS. mi Corporis Christi, servatis tamen rubricis... ».

Testis quisque est quantum in cultu SS. Cordis promovendo adlaboret SS. D. N. Leo PP. XIII, qui ex Decreto 28 Iunii 1889 ad ritum duplicis primae classis hoc festum elevavit, et ex Literis Encyclicis datis die 25 Maii anni 1899 universum Orbem Sacro Iesu Cordi consecravit; qua occasione, caeteris omnibus derogatis, recentiores de Sacro Corde Litanias ad universam extendit Ecclesiam per S. R. C. Decretum, datum die 2 Aprilis eiusdem anni 1899.



VI.

DE OBIECTO CULTUS SS. CORDIS

Cum omnis cultus speciem desumat ab obiecto cui tribuitur, post considerationem existentiae et historiae ipsius, oportet inquirere quid constituat obiectum huiusce cultus SS. Cordis Iesu, quo ab aliis festis, puta Nativitatis, Sanguinis et Lanceae, distinguatur. Obiectum cultus dicitur generice illa res, quae honoratur. Obiectum ergo cultus SS. Cordis est illud, cui sub hac specie, cultus tribuitur. Sed sciendum est aliquid fieri obiectum cultus dupliciter. Primo formaliter; secundo materialiter. Formaliter quidem quando attenditur ratio, qua honoratur, seu id, propter quod colitur. Materialiter vero quando res ipsa prout est in se, quacumque perfectione praedita, honoratur; sive id, quod colitur. Obiectum ergo materiale est id quod colitur, obiectum autem formale est excellentia, qua colitur.

Sunt inter catholicos opiniones circa id, quid cadat sub obiecto materiali cultus Cordis Iesu. Quidam enim volunt ut Cor Christi et physice et symbolice et metaphorice ipsamque ipsius divinam personam, totum scilicet Iesum Christum, sit obiectum materiale primum et mediatum huius cultus (1); cadit enim sub obiecto materiali cuiuscumque cultus non solum res sensibilis, sicut reliquiae sanctorum, sed et spiritualis, sicut in cultu angelorum accidit. Ratio est quia iuxta Angelicum « proprie honor exhibetur toti rei subsistenti; non enim dicimus quod manus hominis honoratur, sed quod homo honoretur. Et si quandoque contingat, quod dicatur honorari manus, vel pes alicuius, hoc non dicitur ea ratione, quod huiusmodi partes secundum se honorentur, sed quia in istis partibus honoratur totum; per quem etiam modum aliquis homo potest honorari in aliquo exteriori, puta

(1) Vide BUCCERONI, *Commentarii in Cultum SS. Cordis Iesu*, pag. 12.

in veste, aut in imagine, aut in nuntio » (1). Obiectum vero materiale secundarium seu immediatum, sive id cui proxime cultus exhibetur, esse Cor physicum Christi sine praecisione aut separatione a divinitate, sed ut est Cor Iesu, Cor personae divinae Verbi, cui manet inseparabiliter unitum. Formale vero obiectum esse excellentiam personae Christi, cuius Cor honoratur. Seu « alterum generale et commune, alterum speciale et proprium. Obiectum formale generale est ipsamet dignitas et excellentia infinita divinae Iesu Christi Personae; obiectum autem formale speciale proprium est ardentissimus ille erga homines amor, cuius symbolum est Sacrosanctum illud Cor » (2).

Alii simpliciter dicunt obiectum materiale cultus SS. mi Cordis esse cor carneum; et formale seu mysticum esse summam, vel complexum affectionum animae Christi, et praesertim charitatis in compendium caeteras affectiones redigentis (3). Unusquisque, prout placeat, quamlibet sequatur.

Sed tamen contra Iansenistas nolentes recognoscere cultum Cordis carnei, et nonnullos alios nolentes recognoscere cultum Cordis mystici, dico:

Primo: Cor carneum, seu physicum Iesu esse obiectum materiale huius cultus. Semper enim in omnibus festis, quae a fidelibus celebrantur, duplex est obiectum, materiale seu sensibile, et spirituale seu formale; materiale circa quod facilius versatur cultus externus; et formale quo devotio fidelium informatur; sicut in Festo pretiosissimi Sanguinis, obiectum materiale est sanguis Christi, spirituale est redemptio, quae pretio illius peracta est. Item in Festo plagarum, obiectum materiale sunt quinque plagae, seu partes vulneratae; spirituale est dolor in his partibus toleratus. Unde quoad cultum SS. Cordis Iesu oportet quod detur aliquid sensibile, nisi hoc ab aliis festis distinctum propugnari velit. Praeterea

(1) III Part. q. XXV, a. s.

(2) BUCCERONI, pag. 20.

(3) Vide NILLES, sect. II, cap. I et II, et GALLIFET, Par. I, cap. IV; et FRANCO, cap. II et III.

in cultu Cordis Iesu animadvertendum est quod cor physicum est res signans, vel signum; amor vero Christi est res signata; et intima et inexplicabilis cohaerentia amoris cum corde physico est ratio significandi, sive fundamentum relationis inter signum et significatum. Quia vero hoc fundamentum est in Corde physico, velut in subiecto, et per consequens Cor reale est quoddam compositum ex subiecto et relatione eius, sequitur quod, si colendum est cor mysticum, colendum sit et cor physicum. Ita concessum fuit Episcopis Poloniae Officium et Missa a Benedicto XIV; hoc ipso sensu ait Pius Papa IX in Brevi Beatificationis Beatae Margaritae « Equis non provocetur ad prosequendum omnis observantiae studio Cor illud sacratissimum, cuius ex vulnere aqua et Sanguis, fons scilicet nostrae vitae ac salutis, effluxit? ». Ideo velut captiosa, et in fideles Cordis Christi cultores iniuriosa, doctrina contraria tenenda est, prout ait Pius PP. VI, in prop. 63 qua Iansenistarum errorem damnavit (1).

Secundo: Cor Iesu mysticum est obiectum formale huius cultus. Constat ex auctoritate Ecclesiae in hoc sensu cultum Cordis Iesu permittentis et concedentis. Ita Pius PP. VI, ait: « Substantia illius devotionis eo spectat, ut in symbolica Cordis imagine immensam charitatem effusumque amorem divini Redemptoris nostri meditemur ac veneremur » (2). Ideo in memoriali Episcoporum Poloniae sub Clemente XIII legitur: « Obiectum festi Cordis Iesu nequaquam consistit in Corde solo... materialiter sumpto...; sed in admirabili illa ac prorsus divina rerum complexione formata tum ex Corde Iesu corporeo, ac vulnerato..., tum ex amore immenso, quo ardet » (3). Quibus verbis exponitur duplex festi obiectum. Hanc doctrinam Ecclesia tenet in liturgia tum in Missa tum in Officio SS. Cordis. In oratione enim Missae *Miserebitur* legitur: « Ut qui in sanctissimo di-


(1) Vide MARTORELL, *Theses*, pag. 77 et seq.

(2) Decret. dat. 29 Iunii 1781.

(3) NILLES.

lecti Filii tui Corde gloriantes praecipua in nos charitatis eius beneficia recolimus». Constat tandem ex revelationibus B. Margaritae; ex tot Sanctis, qui in deliciis habuerunt cultum Cordis mystici; ex auctoritate eminentissimorum doctorum ac theologorum asserentium cum D. Alphonso «huius devotionis obiectum spirituale est amor» (1).

(1) Vide MARTORELL, *Theses*, ubi diffuse pertractat, pag. 71.



VII.

DE MOTIVO CULTUS SS. CORDIS


Motivum est ratio specialis, qua cultus Cordi Iesu potius, quam caeteris partibus deferatur. Certum est omnia Christi membra ob generalem rationem desumptam ab excellentia, orta ab unione hypostatica, esse digna cultu et adoratione patriae; quo sensu cor et caput, plagae et sanguis aliaque colenda sunt eodem motivo generali. Sed tamen, quia certum est non omnes Christi partes ab Ecclesia proponi fidelibus cultu publico honorandas, sed eas tantummodo, quae aliquod speciale mysterium referunt, utpote sanguinem et vulnera, unde oritur speciale motivum cultus et adorationis earum, investigandum est, unde originem trahat illud motivum speciale, quo hic cultus patriae Cordi Iesu, potius quam caeteris partibus, ab Ecclesia deferatur.

Multiplex adduci a contemplativis solet ratio, secundum multiplices praerogativas huius Cordis, quibus caeteris membris praestat, sicut sunt sua propria excellentia, voluntas Iesu quod sub Cordis symbolo colatur, exhibitio eius tamquam suarum affectionum sedes, esse praecipuum vitae theandricae organum, amor quo ardet, perforatio eius in cruce, ingratitude hominum, magna gratiarum praemia promissa colentibus illud, augmentum pietatis, aliaque. Quae omnia, ab hoc, velut ab unica speciali ratione procedunt, scilicet, quod Cor est symbolum amoris caeterarumque animi affectionum.

Nam, colentes Cor Iesu, colimus simul Cor carneum et amorem omnesque affectiones animae eius, ita quod, liceat duo videantur obiecta adorationis nostrae, quia unica adoratione colimus, unum obiectum constituent ex corde carneo et mystico compositum. Quia tamen sunt inter se distincta, cor physicum et cor mysticum, oportet sub aliquo communi aspectu coli et adorari, si enim sub aliquo respectu non unirentur, duae essent distinctae devotiones. In hoc

lecti Filii tui Corde gloriantes praecipua in nos charitatis eius beneficia recolimus». Constat tandem ex revelationibus B. Margaritae; ex tot Sanctis, qui in deliciis habuerunt cultum Cordis mystici; ex auctoritate eminentissimorum doctorum ac theologorum asserentium cum D. Alphonso «huius devotionis obiectum spirituale est amor» (1).

(1) Vide MARTORELL, *Theses*, ubi diffuse pertractat, pag. 71.



VII.

DE MOTIVO CULTUS SS. CORDIS

Motivum est ratio specialis, qua cultus Cordi Iesu potius, quam caeteris partibus deferatur. Certum est omnia Christi membra ob generalem rationem desumptam ab excellentia, orta ab unione hypostatica, esse digna cultu et adoratione patriae; quo sensu cor et caput, plagae et sanguis aliaque colenda sunt eodem motivo generali. Sed tamen, quia certum est non omnes Christi partes ab Ecclesia proponi fidelibus cultu publico honorandas, sed eas tantummodo, quae aliquod speciale mysterium referunt, utpote sanguinem et vulnera, unde oritur speciale motivum cultus et adorationis earum, investigandum est, unde originem trahat illud motivum speciale, quo hic cultus patriae Cordi Iesu, potius quam caeteris partibus, ab Ecclesia deferatur.

Multiplex adduci a contemplativis solet ratio, secundum multiplices praerogativas huius Cordis, quibus caeteris membris praestat, sicut sunt sua propria excellentia, voluntas Iesu quod sub Cordis symbolo colatur, exhibitio eius tamquam suarum affectionum sedes, esse praecipuum vitae theandricae organum, amor quo ardet, perforatio eius in cruce, ingratitude hominum, magna gratiarum praemia promissa colentibus illud, augmentum pietatis, aliaque. Quae omnia, ab hoc, velut ab unica speciali ratione procedunt, scilicet, quod Cor est symbolum amoris caeterarumque animi affectionum.

Nam, colentes Cor Iesu, colimus simul Cor carneum et amorem omnesque affectiones animae eius, ita quod, liceat duo videantur obiecta adorationis nostrae, quia unica adoratione colimus, unum obiectum constituent ex corde carneo et mystico compositum. Quia tamen sunt inter se distincta, cor physicum et cor mysticum, oportet sub aliquo communi aspectu coli et adorari, si enim sub aliquo respectu non unirentur, duae essent distinctae devotiones. In hoc

ergo stat motivum speciale cultus Cordis Iesu, quod, quia invenimus hanc intimam unionem inter Cor physicum ac affectiones animae Christi, consideramus haec duo quasi unum obiectum constituentia; tali autem pacto quod, (cum necesse sit nos per sensibilia insensibilia attingere, et per visibilia ad invisibilia pervenire, et per consequens indigeamus aliquo signo sensibili ardentissimi amoris Christi, quo ferventius moveamur ad eius adorationem), colamus sub specie cordis carnei, Cor mysticum cuius illud est naturale signum. Hinc est quod motivum speciale huius cultus sit symbolismus, ex hoc quod videmus amorem repraesentatum sub specie cordis carnei. « Ut igitur aliae Corporis Christi partes, ob peculiaria motiva quae in illis reperiuntur, peculiari cultu honorantur; ita pars haec Corporis Christi nobilissima, Sacrosanctum eius Cor, ob eam, quam habet praerogativam et excellentiam, ipsum Christi amorem et charitatem significandi, suoque vulnere contestandi, dignissima est, quae peculiari cultu honoretur » (1).

Hoc motivum speciale indicat decretum primum concessionis Missae et Officii, anno 1765: « Huius Officii ac Missae celebratione symbolice renovari memoriam divini amoris Christi ». Idem dicit Pius PP. VI, « ut symbolica Cordis imagine immensam charitatem effusumque amorem divini Redemptoris nostri meditemur atque veneremur ». Idem Pius PP. IX in decreto Beatificationis B. Margaritae.

Quapropter « Motivum formale huius cultus in eo est ut Sanctissimum Cor Iesu colatur, non solum propter illam universalem rationem ex hypostatica coniunctione cum Verbo petitam, qua honore infinito omnes Christi Corporis partes in communi digne redduntur; sed vero maxime propter intimam Cordis cum amore colligationem et analogiam, hoc est, propter symbolicam, quae illi inhaeret, eius infinitae charitatis significationem, seu quatenus symbolum reale ac naturale est immensi eius amoris » (2).

(1) BUCCERONI, *Commentarii in Cultum SS. Cordis Iesu*, p. 25.

(2) NILLES, *De rationibus fectorum SS. Cordis...* lib. I, part. II, c. 2.

VIII.

DE FUNDAMENTO CULTUS SS. CORDIS

Certum est ex praecedentibus cultum tribui Cordi mystico Iesu, sub symbolo Cordis physici. Cum autem agamus de re tanti momenti, oportet inquirere an adsit obiectum formale particulare huius cultus, sive fundamentum, quo symbolismus nitatur. Et profecto: est ne intima relatio inter amorem et cor physicum, et consequenter non arbitraria, sed potius super naturam fundata ratio, qua cor carneum in symbolum amoris usurpetur? Probatissimos auctores sequendo, affirmative respondeo, et reor dicendum:

Primo: dari in nobis hanc relationem, seu coniunctissimum nexum inter affectiones animae et cor physicum; quod quidem patet ex S. Scriptura, in qua verbum *cor* saepissime legitur pro voluntate caeterisque animi affectionibus usurpatum: *Diliges Dominum Deum tuum, ex toto corde* (1); et, quod plus est, haec intima relatio apertissime demonstratur quando v. g. dicitur: *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis?* (2). Nunc autem, nullatenus cor usurparetur pro affectionibus animae, et multo minus in corde physico per sentirentur affectus animae intimi, si nulla interesset analogia vel connexio inter cor carneum et affectus animae. Ideo Ecclesia pluries in sua lithurgia suscipit cor pro tota anima, vel pro voluntate: *Veni, Sancte Spiritus, reple tuorum corda fidelium, et tui amoris in eis ignem accende*, modum S. Scripturae loquendi insequens.

Idem loquendi modus reperitur in omnibus gentibus et populis et linguis, ita ut sensus ipse et usus communis vulgares teneat locutiones, quibus virtutes et vitia, bona vel mala indoles per cor significantur. Unde homo docilis, be-

(1) DEUT. VI, 5.

(2) LUC. XXIV, 32.

nescius, magnanimus, dicitur cor docile, misericors, magnanimum. Experientia etiam patet, animae motus exterius manifestari, vel in facie, sicut verecundis et iracundis, vel in toto corpore, sicut meticulosis et nimio timore correptis contingit. Hae autem affectiones, quae motus sunt animi, cordi tribuuntur; unde: *Cor hominis immutat faciem illius, sive in bona, sive in mala* (1).

Consulat praeterea unusquisque seipsum attente, et quotidiana experientia comprobatum habebit nonnullos cordis motus respondere diversis affectionibus animi; sic cor dilatatur et facilius aspirat quando anima laetitia quadam insperate afficitur; et, e contra, comprimitur et difficilius suos motus exerit, dum magno moerore conficitur. Continuus animi dolor vitam imminuit; et quotidie accidit diurnam anxietatem et insperatum nuntium repente vitam absumere. Similiter cor carneum dolet quoties spiritus anxiatur. Unde ergo hi motus cordis sensibilis respondentes affectionibus animi, si nulla inter utrosque relatio interesset? Unde effectus sensibiles, quos sancti in corpore persentiebant, ex vi amoris divini procedentes, sicut dilatio sinus in Sancto Philippo, ut cor continere non valeret, ardores B. Petri de Alcantara, et incendia S. Stanislai Kostka, si amor nullum haberet cum corde physico nexum?

Secundo; dico idem posse affirmari de Christo, qui veram ac perfectam assumpsit naturam humanam. Ideo: *Discite a me quia mitis sum et humilis corde*. Non est revera cor humile, sed anima, et tamen cordis sui humilitatem commendat. Unde Ecclesia attribuit haec verba Christo: *Ego dormio et cor meum vigilat*. Neque cor physicum evigilat, sicut nec dormit; sed tamen indistinctim utrumque de corde physico ac de anima dicitur.

Argumenta proferemus ex facto; legimus enim diversos motus cordis physici respondere in Christo diversis affectionibus animae Eius, quia similis nobis quoad naturam hu-

(1) Eccli. XIII, 31.

manam. Et revera, dum appropinquaret Ierusalem, videns civitatem, flevit super eam. Quare flevit? Quia contristatus in conspectu civitatis perfidae, praevidens ruinam eius. Et tantopere contristatus est, quod moeror, qui affectus est animi, impulit Eum, ut fleret. Similiter, quando *factus in agonia prolixius orabat, factus est sudor eius tamquam guttae sanguinis decurrentis in terram*. Quae autem, quaeso, fuit huius sudoris sanguinei causa? Non physica; nemo enim Eum physice torquebat; sed spiritualis, tristitia nempe, qua repleta fuit anima eius passionem amarissimam susceptura: *Tristis est anima mea usque ad mortem*; vel gaudium ex consolatione per Angelum proveniens, ut scribit Billot: «Et recte explicabis agoniam Christi in horto et sudorem sanguineum, qui consolationem ab angelo allatam, consequutus est» (1). Quomodo ergo posset tristitia ita torquere carnem Eius, vel gaudium ita in totum corpus effectum inducere, ut sanguis velut coagulatus, ob difficillimam circulationem ortam a cordis compressione, erumperet per pellis meatus, si coniunctissimus nexus non interfuisset cor inter physicum ac animam in Eius sanctissima humanitate?

(1) *Comment. in III part., Thes. XXIV.*



IX.

DE FINE CULTUS SS. CORDIS

Cum finis sit illud, cuius gratia aliquid fit, quaerere quisnam, sit finis cultus SS. Cordis Iesu, idem est ac investigare quid sibi proponant cultores Cordis Iesu iuxta intentionem Ecclesiae approbantis hunc cultum; nisi enim esset haec ratio sufficiens, qua a caeteris hoc festum distingueretur, superfluum videretur colere cor super caeteras corporis partes, etiam super eas, quas speciali cultu prosequitur, sicut sunt sanguis et vulnera. Si enim colendo pretiosissimum sanguinem intendit bonum redemptionis Ecclesia colere, et sacris vulneribus cultum reddendo, summum Christi dolorem venerari, aliquid aliud praeter finem generalem venerationis personae divinae Iesu intendit Ecclesia, non solum quia haec in omnibus festis reperitur, sed etiam quia Ecclesia hoc non facit frustra.

Finis ergo huius cultus est redamare cor amore plenum, ita ut adimpleatur illud: *Ignem veni mittere in terram, et quid volo nisi ut accendatur?* (1). Etsi enim in omnibus Christi festis inveniatur haec ratio, qua scilicet homines ad amorem Eius accendantur, hoc tamen est velut commune illis, proprium; nam est aliqua virtus vel mysterium, cuius consideratione amor in Christum succrescit. Sic ex. gr. proprium nativitatis est meditari exinanitionem Verbi, quod propter nos homo factum est, ut inde Eum amemus, qui non recusavit exinanire semetipsum ut salvos nos faceret. Finis autem proprius festorum SS. Cordis Illum est redamare, qui prior dilexit nos: « Hunc vero charitatis ignem ut magis incenderet, Sanctissimi sui Cordis venerationem cultumque institui in Ecclesia voluit ac promoveri » ait Pius PP. IX (2).

(1) Luc. XII, 49.

(2) Brev. Beatif. B. Margaritae.

Unde in decreto extensionis festi Cordis Iesu ad universam Ecclesiam declarat se « festum in honorem SS. Cordis Iesu... idcirco in universa Ecclesia quotannis agi mandasse, quod nova cuperet praebere incitamenta fidelibus ad amandum, redamandum, amplectendum vulneratum Cor Eius, qui *dilexit nos, et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo* ».

Sed quid apertius desiderari potest ut finis hic dignoscatur quam ipsa Christi verba? En quomodo in altera apparitionum loquutus est B. Margaritae, sicut ipsa testatur: « amatissimus Dominus mihi manifestum fecit se vehementer exoptare ab hominibus redamari, seque, hoc ardenti desiderio excitatum, Cor suum hominibus patefacere, statuisse ». Diximus supra, motivum huius cultus consistere praecipue in amore animae Christi, sub symbolo cordis carnei, propterea quod obiectum sit amor Christi. Quid ergo rationalius quam quod finis sit redamatio?

« Et sane motivum huius cultus proprium amor est Iesu Christi erga homines. Amor natura sua ad amorem movet, unde inter amoris causas potissimum ipsemet amor recensetur. Ipse enim amor quidpiam est vel maxime amabile, quod proinde amantem maxime reddit amabilem; ipseque amor est qui unit quodammodo amantem amato, atque adeo efficit, ut bonum amantis sit quodammodo amati, et, hinc consequitur quod ab amato diligatur » (1).

Modus autem, quo amor erga Iesum manifestus fiat, iuxta intentionem Ecclesiae, quemque alii finem particularem huius cultus vocant, est iniuriarum reparatio. Sicut enim amor amantis gignit amorem in amato, etsi inimico, dicente Paulo: *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum; si sitit, potum da illi. Hoc enim faciens, carbones ignis congeres super caput eius* (2); ita amor causat in amato talem erga amantem benevolentiam et amicitiam, qua et gaudeat de eius bonis, et doleat de contumeliis. Unde postquam de amore benevolentiae et

(1) BUCCERONI, pag. 45.

(2) ROM. XII, 20.

amicitiae loquutus est, scribit Bucceroni (1): «Huic amoris et charitatis actui alius specialis omnino subnectendus est, nempe reparationis omnium iniuriarum, quibus divinum hoc Cor tot pravorum hominum malitia afficitur. Actus hic ex proxime praecedenti dimanat. Si enim amare est velle bonum, non potest amicus amicum amare quin aegre ferat iniurias omnes ipsi illatas, easque, quantum possit, reparare conetur. Insuper amicus reputat bona vel mala amici sicut sua, et voluntatem amici sicut suam; ut quasi ipse in suo amico videatur bona vel mala pati, et affici. Et propter hoc proprium est amicorum eadem velle, et in eodem tristari, et gaudere, ut ait Thomas» (2).

Patet hic finis particularis seu potius consecrarius amoris ex ipso Christo dicente B. Margaritae: «A te requiro ut feria VI, quae post octavam festi Corporis mei proxima sequitur, Cordi meo colendo peculiariter sit dicata, qua die ad sacram mensam accedendo, iniuriae Cordi meo in altaris mysterio inflictae, eo maxime tempore, quo palam fidelium venerationi expositus sum, violati honoris reparatione sarciantur». Hinc est quod sub Innocentio XII, inter alias, hanc causam Postulator commendat, ut festum instituatur; et P. Gallifet, sub Benedicto XIII, propugnet; et Episcopi Poloni sub Clemente XIII adducant dicentes: «Accedit alia iustissima ratio huius festi instituendi, ex fine nempe reparandi iniurias illatas Christo Domino in Sacramento Eucharistiae».

(1) Pag. 48. n. 12.

(2) I, II, q. XXVIII, a. 2.



X.

DE SPECIALITATE CULTUS SS. CORDIS

Ex dictis, super obiecto, motivo, et fine, iam eruitur agi de cultu distincto ab alio quocumque tributo Iesu Christo, caeteris quibuscumque festis. Quia tamen festum SS. Cordis habet aliquam connexionem cum aliquibus festis, puta sanguinis et sacrorum vulnerum, et praecipue cum festo SS. Corporis, unde aliqui censent superfluum festum Cordis, existimantes unum esse et idem ac festum SS. Corporis, non erit otiosum aliquantulum immorari in specialitate huius cultus declaranda.

Certum est semper cultum terminari in subiecto, «proprie enim honor exhibetur toti rei subsistenti» ait Angelicus, et per consequens in omnibus Christi festis honorari totum Iesum Christum. Sed similiter certum est omnia festa speciali ratione ad invicem distingui, vel quia diversa mysteria memorantur, sicut de Incarnatione et Resurrectione patet, vel quia diversa motiva adsunt, sicut in festis passionis, sindonis, vulnerum et sanguinis contingit. Unde sicut haec ad invicem, ita ab omnibus, etiam a festo Corporis, festum Cordis distinguitur.

Et in primis: hoc festum distinguitur a caeteris similibus, sanguinis, passionis, vulnerum, etc. Ratio est quia obiectum materiale illorum est distinctum; sunt enim sanguis, vel facies verberata, vel caput cruentatum, vel partes vulneratae, vel totum corpus plagatum; sicut distinctum est formale particulare, puta redemptio nostra, vel dolor sensibilis, vel verecundia, vel exinanitio. In festo autem SS. Cordis, ut diximus, obiectum materiale est cor physicum; formale autem ipsa charitas Salvatoris. Et idem dicendum de motivo ac de fine. Unde (1) P. Gallifet «in responsione ad obiectionem quod

(1) NILLES, Sectio II, cap. I, § 1.

novum hoc festum non distinguatur ab aliis festis, v. g. Passionis, Corporis Christi, etc. », ac proinde superfluum sit, obiectum ac finem festi petiti explicando, ait: « Obiectum proximum festorum in obiectione designatorum, videlicet Passionis, Vulnerum, Coronae, Clavorum, etc., non est proprie amor Christi. In festo autem Cordis Iesu amor, quo Cor illud sanctissimum ardet, est obiectum proximum festi, indivisum cum Corde ipso, adeo ut affirmari vere possit, amorem Christi erga homines in hoc festo propriissime ac immediate attingi; quod sane ad festi huius commendationem magna consideratione dignum est. Finis autem duplex huius pii officii proprius, nimirum respondendi amoris Christi et reparandi iniurias Ei in Sacramento inflictas, considerari debet ut ratio peculiaris colendi Cordis divinissimi ».

Cum autem hoc festum intimam habeat relationem cum festo SS. Corporis, ita ut, ad cultum Cordis tribuendum, communiter SS. Eucharistiae Sacramentum publicae fidelium venerationi exponatur, et ab ipsis fidelibus frequenter iuxta consilium Ecclesiae sumatur, dico specialius, cultum SS. Cordis a cultu SS. Corporis aperte distingui, ita quod cultus Cordis sit vere cultus specialis.

Quod patet primo ex obiecto amborum. Nam obiectum materiale cultus SS. Cordis est tantum cor physicum, non autem caeterae corporis partes, quibus compositum coalescit; sicut obiectum spirituale est amor Christi, seu compendium affectionum animae eius, ut supra diximus (§ VI). Similiter motivum est ratio specialis, qua non temere illum amorem animae colimus sub symbolo cordis physici repraesentatum; seu brevius, motivum est symbolismus (§ VII). Item finis cultus Cordis est redamare; cuius amoris forma praecipua est reparatio iniuriarum Christo ab ingratis hominibus illatarum (§ IX). In cultu autem SS. Corporis obiectum materiale est totum corpus et sanguis et anima, idest tota simul humanitas Christi sub speciebus panis et vini contenta; et spirituale, est miraculum iuge, quo Christi humanitas sub speciebus sacramentalibus velata continetur. Item motivum

cultus SS. Sacramenti est magnitudo miraculi, quod quotidie patratur, et finis est veneratio, maxima cum solemnitate tributa; nota enim characteristic huius finis est solemnitas. Ad rem P. Gallifet: « Finis in cultu solenni sacrosanctae Eucharistiae propositus hic est, ut nimirum Iesu inter homines residenti debitus adhibeatur honor, gratesque dignae pro tanto beneficio amoreque rependantur. Huc spectant omnia ab Ecclesia in honorem tanti mysterii instituta, huc festi dies, huc solemnes supplicationes, huc templorum ornamenta. In cultu autem sacrosancti Cordis Iesu finis propositus in hoc praecipue consistit, ut amoris Iesu ab ingratis hominibus repudiato faciamus satis voluntaria expiatione ad Cor Iesu » (1). Et quia diversus est cultus, ideo Ecclesia in eo reddendo distinctis utitur in sua liturgia manifestationibus; unde aliud est Officium Cordis Iesu, aliud SS. Corporis et Sanguinis; alia Missa Cordis, alia Missa SS. Eucharistiae.

(1) Eod. loco.



XI.

DE EXCELLENTIA CULTUS SS. CORDIS

Ex dictis super natura cultus SS. Cordis Iesu, iam eruitur esse cultum excellentissimum. Non tamen incogruum erit aliquantulum inmorari in expositione huius proprietatis, quam aliqui derivatam pertractant ab origine et obiecto sensibili, et spirituali, et a fine (1) Alii vero ab obiecto tantum sensibili et spirituali (2). Nos vero sub aspectu materiali, morali et personali recensemus (3).

Et primo: excellentia materialis sumitur ab obiecto materiali huius cultus, idest, a corde carneo Christi, quod quidem magna excellentia et veneratione dignum est. Si enim totum Corpus Christi est in ratione corporis super naturam physicam perexcellens, iuxta illud: *Speciosus forma prae filiis hominum* (4), ita quod sit tamquam causa exemplaris, cui caeteri homines debebant conformari, ut censent plures Patres exponendo locum: «*Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram*», et tradit Suarez (5); quanta excellentia praeditum erit Eius Cor, quod est quasi pars principalissima Corporis Christi a qua vitam caetera membra sumebant aestimabilissimam? Si causa tum materialis tum efficiens attenditur, excellentissimum est. Materialis quidem, quia ut ait Beda: «*Non enim carnem de nihilo, non aliunde, sed materna traxit ex carne Christus conceptus in utero virginali*» (6); efformatum enim fuit ex purissimo sanguine B. Mariae Virginis. Et efficiens etiam; efformatum namque fuit actione

(1) Vide FRANCO.

(2) MARTORELL, *Theses*, pag. 129.

(3) Sic quaestionem proponit Dr. BALCELLS Magist. Tarraconensis alumnus illius Seminarii Pontificii.

(4) PSAL. XLIV, 3.

(5) *De incarnat.* Disput. V, sect. 2.

(6) *Lib. IV, c. 49, in Lucam. III.*

directa et immediata Spiritus S. sicut totum corpus conceptum de Spiritu S. fuit.

Praeterea Cor physicum Iesu est fons unde manavit sanguis in pretium redemptionis nostrae: *Redempti estis... pretioso sanguine quasi agni immaculati* (1); et a quo perenniter manat sanguinis quo abluimur, sanctificamur, et ditamur. Fuit enim illud Cor fons Eucharistiae; sanguis namque quo in Eucharistia quotidie potamur ab ipso et in ipso fuit elaboratus. Quamobrem tam perexcellens illud Cor est, quam aestimabile opus, quod singulis diebus perficitur mediante sanguine, cuius Cor est principium; ideoque exhortamur accedere ad hoc sacrum poculum eadem reverentia, ac si Sanguinem ex eodem Latere Christi manantem adissemus suscepturi, iuxta Chrysostomum: «*Sanguis in craterem, in nostram purificationem, ex immaculato Corde effusus est...; quasi divino et impolluto lateri admotis labiis, sic salutari sanguine participemus*» (2).

Tandem etiam physice est magna excellentia praeditum, quia propter nos lancea vulneratum. Et hoc, tum quia vulnus Cordis excellentiori veneratione dignum est quam stigmata B. Francisci, et transfixio cordis Sanctae Teresiae et caeterae corporis Christi partes plagatae, quas Ecclesia proponit colendas, ex hoc ipso quod Cor est praecipuum corporis organum, tum ex mirabilibus significationibus quae ad vulnus lateris referri solitae leguntur (3), scilicet 1° Ecclesiae institutio ac formatio; 2° mysterium ipsum divinitatis et humanitatis cum Verbo inexplicabili unione copulatae; 3° Ecclesiae redemptio et ablutio; 4° sacramentorum institutio; 5° duplex baptismum, aquae et sanguinis; 6° abundantia gratiae a Christo provenientis (4).

Secundo: altera excellentia est moralis desumpta ab obiecto spirituali huius cultus, quod est affectiones Animae

(1) I, PETRI, I, 19.

(2) Homil. IX, *De Poenitent.*

(3) SUAREZ, *De Misteriis Christi*, Disp. XLI, sect. I.

(4) Vide *Thes.* MARTORELL, pag. 137.

Christi, et praesertim charitas. Quae quidem excellentia maxima est, si attendatur quod omnia bona nostra, sive naturalia, sive spiritualia, sive gloriosa, a charitate Christi procedunt. Naturalia: nam non solum esse et operari nostrum, sed cuncta naturalia ab ipso et propter ipsum condita sunt. Spiritualia, seu bona gratiae, quae nobis gratis elargitus est; ideoque ex charitate. Unde: *Gratia et veritas per Iesum Christum facta est* (1). Et ideo ab eo velut a capite in nos, qui sumus membra eius, gratia transfunditur: *Unicuique autem nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi* (2). Et etiam dona gloriae advenient nobis ex charitate Christi; nam gratia est semen gloriae, vel quasi gloria inchoata, et ad hoc praecedat nos ascendendo, ut aperiret coelestem ianuam iuxta illud: *Quia vado parare vobis locum* (3).

Tertio est excellentia personalis, ex hoc quod cultus hic tribuitur personae; unde patet excellentia maxima. Nam quamvis in hoc cultu adoremus Cor carneum et affectiones Animae Christi et praesertim ardentissimam Eius charitatem, non adoramus praecisam a persona, cuius sunt et cor et affectiones et anima, sed finaliter ipsam personam colimus, Verbi, scilicet, a qua inseparabilia remanent; Cor enim Christi subsistit hypostatice in persona Verbi. Inde est quod, adorando Cor physicum et affectiones animae, colamus ipsum Filium Unigenitum Dei, quo nullum dari potest obiectum adorationis, sublimius et excellentius.

(1) I. IOANN. I, 17.

(2) EPH. IV, 7.

(3) IOANN. XIV, 2.



XII.

DE FELICITATE CULTUS SS. CORDIS

Altera huius cultus proprietas est felicitas qua reddit homines iucundos et sacros in eorum nobilissimis facultatibus intellectu, scilicet, et voluntate, quantum in statu viae fas est, ex possessione et cognitione veri summe stabilis, et boni summe appetibilis et summe delectabilis. Cum conditi simus ad hoc ut in aeternum Deum facie ad faciem videamus, et eum cognoscendo amemus, unde perfecta felicitas orietur ex coniunctione dilecti inamissibiliter possessi, mirum non est, si motu quodam naturali ad eum tendamus, sicut corpus leve fertur sursum, et grave deorsum, ut enim ait Augustinus: «Fecisti nos, Domine, ad te». Itaque sicut ea, quae tendunt ad aliquem finem, amoto fine quiescunt, ita nos, adepto Deo, saturabimur. Sed tamen quia Deum, velut ultimum finem hic perfecte minime possidemus, ingemiscimus lacrymantes, non felices, sed moerore confecti; ideo: «Et inquietum est cor nostrum donec requiescat in te». Ideo sicut felicitas absoluta non est viatorum patrimonium, est vere patrimonium relative in quantum, scilicet, eundem Deum, quem intellectu et voluntate in altera vita Sancti attingent, in hac, etsi non aequaliter perfecte, iisdem facultatibus attingunt; unde ex cognitione et amore Dei provenit intellectui et voluntati iustorum viatorum felicitas relative perfecta; nam ait Suarez «beatitudo huius vitae consistit in actibus intellectus et voluntatis, quibus aeterna felicitas vitae futurae maxime participatur» (1). Unde devotio, qua mediante, intellectus altius illustretur contemplatione veritatis et voluntas perfectius compleatur possessione bonitatis, erit absdubio aptissima ut cultores suos iucundos faciat. Talis est devotio SS. Cordis.

Nam primo haec devotio fovet cognitionem Dei exina-

(1) De actib. human., Tract. I, disp. VII, sect. II, n. 3.

niti, nati et passi; stupendorum miraculorum, quae, ut hac nova forma indueretur, operatus est; cognitionem suae coelestis doctrinae, sapientiae, virtutum et operum; cognitionem tandem eorum omnium, quae a Patre didicerat. Unde est quod intellectum satiet et tristitiam ab eo depellens, laetificet; ostendens enim D. Thomas quomodo per contemplationem veritatis tristitia mitigetur, scribit: « quod in contemplatione veritatis maxima delectatio consistit; omnis autem delectatio dolorem mitigat: et ideo contemplatio mitigat dolorem vel tristitiam; et tanto magis quanto perfectius aliquis est amator sapientiae. Et ideo homines ex contemplatione divina et futurae beatitudinis, in tribulationibus gaudent, secundum illud: *Omne gaudium existimate, fratres mei, cum in tentationes varias incideritis* » (1). Et quod est amplius etiam inter corporis cruciatus huiusmodi gaudium invenitur, sicut Tiburtius martyr, cum nudatis plantis super ardentes prunas incederet, dixit: « Videtur mihi, quod super roseos flores incedam in nomine Iesu Christi » (2).

Et idem dicendum de voluntate, quam totam explet obiectum cultus huius, Christus, scilicet, Filius Dei sub forma appetibiliore simul et explebiliore humanae voluntatis, amoris, scilicet Verbi divini, cum quo aliquo modo unum efformat cor amans iuxta Dionysium: « Amor est vis unitiva » (3). Et hinc laetitia et complacentia, quam experiuntur colentes Cor Iesu, quod est summum bonum; ut enim scribit Angelicus: « quando affectus, vel appetitus omnino imbuitur forma boni, quod est sibi obiectum, complacet sibi in illo, et adhaeret ei quasi fixum in ipso, et tunc dicitur amare ipsum; unde amor nihil aliud est, quam quaedam transformatio affectus in rem amatam; et quia omne quod efficitur forma alicuius, efficitur unum cum illo, ideo per amorem amans fit unum cum amato, quod est factum forma amantis » (4). Et ideo haec connexio

(1) IACOB. I, 2.

(2) I. II^{ae}, q. XXXVIII, a. 4.

(3) *De divin. nom.*, cap. V.

(4) *III Sent.*, dist. XXVII, quaest. I, a. 1.

et transformatio cum sit persimilis illi quae in gloria efficienda est, certe reddit felices cultores SS. Cordis Iesu.

Ex alio capite ostendi potest felicitas cultorum Cor Iesu; ex promissionibus, scilicet, factis ab ipso Iesu, quas quidem praecipuas sub brevibus sequenti paragrapho adnotabimus.



XIII.

DE MAGNIS GRATIARUM
PRAEMIIS, COLENTIBUS COR IESU PROMISSIS

Cum non parum deserviat concionatori, ut facilius auditores ad amorem et cultum Cordis Iesu perducatur, in rem producere praemia promissa B. Margaritae, pro colentibus illud; huc afferemus ea ut possit quis his argumentis doctrinam exponendam corroborare.

I. Quoad gratias, in genere, ait B. Margarita: «Christum Dominum statuisse Cor suum hominibus patefacere, et hunc thesaurum amoris et misericordiae, gratiarumque omnium ad salutem perfectionemque conducentium reserare eo fine, ut quotquot huic Sacrosancto Cordi debitam reverentiam et amorem adhibere vellent, infinitarum, quas complectitur, gratiarum participes efficerentur» (1).

II. Quoad gratias, ut sui quisque status munera adimplere valeat, legitur: «Saeculares quidem in hac amabili devotione omnia invenient auxilia, ipsorum statui necessaria» (2).

III. Quoad bonum pacis: «Quinimo genus religionis efficacissimum esse doce, quo pax inter dissidentes familias restitui, amor erga me qua calidissimus qua tenerrimus accendi possit» (3).

IV. Quoad solatium laborantibus praestandum: «In hac amabili devotione omnia invenient auxilia..., in laboribus solatium..., in adversis consolationem...» (4).

V. Quoad asylum et in vita et in morte promissum: «In hac amabili devotione invenient... in tota vita, maxime vero ultimo vitae discrimine, refugium optatissimum» (5).

(1) *Vie et Œuvres*, tom. I, pag. 86.

(2) *Ibid.*, tom. II, pag. 286.

(3) *Ibid.*, tom. II, pag. 285.

(4) *Tom. II*, pag. 286.

(5) *Eod. loc.*

VI. Quoad benedictiones, hac devotione, omnibus negotiis obtinendas: «In hac amabili devotione invenient coelestes benedictiones in suis negotiis» (1).

VII. Quoad misericordiam in peccatores: «Amantissimus Dominus mihi aperuit cupere se vehementer ab hominibus redamari; seque hoc desiderio excitatum statuisse Cor suum illis manifestare, et hunc thesaurum amoris et misericordiae, gratiarumque omnium ad salutem et perfectionem conducentium reserare...» (2).

VIII. Quoad triumphum de pravis affectionibus: «Commenda (hanc devotionem) fidelibus omnibus ut modum praestantissimum, quo de indomitis animi affectionibus plenum dominium reportent» (3).

IX. Quoad tepiditatem depellendam, amoremque divinum consequendum: «Cura ut haec devotio ubique locorum innotescat, eamque hominibus summe commenda tamquam non modo tutum, sed etiam suave et admodum facile medium verum Dei amorem consequendi» (4).

X. Quod sanctitatem obtinendam: «Quinimo genus religionis efficacissimum esse doce..., quo amor erga me qua calidissimus, qua tenerrimus accendi, denique, et per brevi tempore et ratione quam facillima, virtutis apex obtineri possit» (5).

XI. Quoad certitudinem salvationis: «Divinus magister, ibidem subiungit, mihi spopondit, nullum eorum, qui huic Cordi sese dedicaverint, perituro fore» (6).

XII. Quoad eos qui se Sacro Cordi consecraverint: «Neque permittet ullum perire, qui huic Sacro Cordi fuerit consecratus» (7).

XIII. Quoad copiam benedictionum infundendarum locis

(1) *Eod. loc.*

(2) *Tom. I*, pag. 86.

(3) *Tom. II*, pag. 285.

(4) *Tom. II*, pag. 285.

(5) *Eod. loc.*

(6) *Tom. II*, pag. 64.

(7) *Tom. II*, pag. 199.

in quibus sacra Sui imago exponatur: « Pollicitus est se copiosissime gratias omnes esse concessurum locis illis, in quibus amabilis sui Cordis imago exponatur, ut in his honor ipsi atque amor exhibeatur » (1).

XIV. Quoad fructum, qui ex imaginis Sui expositione in peccatores proveniet: « Ostendit... velle se ut imago Cordis Sui coloribus expressa, fidelium oculis palam exponeretur, quo emolliiri eorum durities, specie tam amabili, posset » (2).

XV. Quoad omnes indiscriminam hanc imaginem colentes: « Pollicens insuper eos omnes, qui talem imaginem peculiariter colerent, maximis gratiis ab huius divinissimi Cordis plenitudine cumulandos » (3).

XVI. Quoad propagatores huius devotionis: « Qui vero in hanc devotionem propagandam incubuerint, hi amicitiam et coelestes benedictiones huius amabilis Cordis Iesu sibi comparabunt » (4).

XVII. Quoad sacerdotes et religiosos: « Commenda Sacerdotibus et Religiosis ut viam certissimam, qua ad status sui perfectionem perveniant » (5).

XVIII. Quoad animarum pastores: « Animarum pastoribus (commenda) ut instrumentum aptissimum, quo corda saxis duriora ad poenitentiae lacrymas emolliant » (6).

XIX. Quoad familias religiosas: « Cura in primis, ut personae religiosae hanc devotionem amplectantur; ex hoc enim tot tantaque auxilia derivabunt, ut nihil aliud opus sit ad primaevum fervorem instaurandum, et exactissimam regularum observantiam in communitatibus minus ordinatis; illas vero, in quibus absoluta observantia viget, ad perfectionis culmen perducendas » (7).

- (1) Tom. II, pag. 64.
- (2) Tom. I, pag. 87.
- (3) Tom. I, pag. 86.
- (4) Tom. II, pag. 189.
- (5) Tom. II, pag. 285.
- (6) Tom. II, eod. loc.
- (7) Tom. II, pag. 286.

XX. Quoad familias religiosas suam imaginem colentes: « Ille suavem ardentis charitatis unctionem effundet in communitates omnes, in quibus veneratio sui Cordis imagini deferatur » (1).

XXI. Quoad religiosas familias ad praesidia sui Cordis confugientes: « atque in illas, quae ipsius Cordi religionis significationem praestabunt, et sub praesidium speciale ipsius confugient » (2).

XXII. Quoad perseverantiam finalem: « Promitto in excessu misericordiae et in meam fidem recipio, mei Cordis omnipotentem amorem concessurum fore omnibus, qui primis diebus veneris novem mensium subsequentium eucharistico pane refecti fuerint, gratiam poenitentiae finalis; ipsosque nec in peccato decessuros, nec sacramentis destitutos, sed me in hac ultima hora fore ipsorum asylum securissimum » (3).

- (1) Tom. II, pag. 65.

- (2) Tom. II, pag. 68.

- (3) Tom. I, pag. 291.



UNIVERSIDAD DE NÚMERO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

XIV.

DE SODALITATIBUS SUB TITULO SS. CORDIS IESU

Innumerae sunt ubique terrarum diffusae sodalitates, etiam nunc in modum mirandum crescentes, et devotionem fidelium erga Cor Iesu propugnantes. Sed quaestio est de primaevis sodalitatibus, scilicet de tempore, loco et auctoribus institutionis, seu approbationis earum.

A temporibus B. Margaritae Alacoque, quae e vita discessit anno 1690, et quam « Servator noster eligere dignatus est ad tam salutarem ac debitum pietatis cultum instituendum, lateque inter homines propagandum » teste Pio PP. IX (1), originem trahunt confraternitates antiquiores, prout ex sequentibus patet.

Sub Innocentio XII anno 1697, Postulator institutionis Festi cum Missa propria in honorem SS. Cordis Iesu, sic ait « Benignissimus Dominus paucis abhinc annis piorum virorum inflammavit animos ad amorem sui Sacratissimi Cordis in Anglia, ubi religio adhuc effulget, in Gallia aliisque Europae regionibus, ita ut Altaria et sodalitia sub invocatione eiusdem Sacratissimi Cordis erecta fuerint cum assiduis eximiae devotionis exercitationibus a SSmo etiam Domino Nostro locupletata indulgentiarum thesauro, ut ex documento penes Eñum D. Relatorem, quo expressae sodalitati fidelium, erectae sub titulo Cordis Iesu, Sanctitas Sua indulgentias elargiri declarat ad augmentum dictae piae confraternitatis ». Confraternitas, de qua fit sermo, fuerat approbata et indulgentiis ditata a SSmo b. m. Innocentio PP. XII per Breve datum 8 Ianuarii 1694, et erecta in Ecclesia Monialium de Notre-Dame de Poitiers (2).

Sub eodem Papa Innocentio XII « Confraternitatem sub titulo Cordis Iesu et perpetui amoris eiusdem Domini nostri

(1) Brev. Beatif. B. Margarit., dat. 19 Aug. 1864.

(2) NILLES, Sect. I, cap. I, § 1.

Iesu Christi erectam legimus die 3 Maii ann. 1695 in Ecclesia Conventus Fratrum Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia Recollectorum nuncupatorum, civitatis Versaliensis, Dioecesis Parisiensis » (1).

Anno 1697 plura erant iam altaria et sodalitia erecta paucis abhinc annis, sub invocatione SSmi Cordis Iesu, ut patet supra.

Anno 1698 die 13 Septembris constitutam item reperimus confraternitatem sub titulo Cordis Iesu et perpetui amoris eiusdem, in Ecclesia eorundem Fratrum Minorum S. Fr. de Obs. oppidi de Montargis Dioecesis Senonen (2).

Eodem anno 1698 die 22 Aprilis legimus solemniter decoratam multarum indulgentiarum literis Confraternitatem erectam in Ecclesia Monialium Ursularum civitatis Viennensis (3).

Duorum annorum spatio 1697-1698, non minus 17 confraternitates SSmi Cordis Iesu erectas atque indulgentiis ditatas ab Innocentio XII legimus. Una Sacro Cordi Iesu simul ac Mariae, altera Cordi Iesu B. Mariae V. et Sancto Iosepho, et tertia sub titulo Cordis Iesu ac perpetui amoris eiusdem consecrata est. Coeterae soli Sacro Cordi Iesu reperiuntur dicatae (4).

Sicut Innocentius XII ita Successores eius, Clemens XI, Innocentius XIII, Benedictus XIII, Clemens XII, Benedictus XIV et Clemens XIII, congregationes suis temporibus erectas indulgentiis ditarunt, ita ut, cum Clemens XIII primum Decretum edidit, concedens pro gratia et pro Episcopis regni Poloniae, Officium et Missam propriam in honorem SS. Cordis Iesu, anno 1765, tunc non minus quam 1090 Confraternitates SS. Cordis Iesu indulgentiis ditatae numerabantur (5).

Ex tunc est impossibile enumerare quot erectae fue-

(1) NILLES, Sect. II, cap. I, § 1.

(2) NILLES, eod. loc.

(3) NILLES, Sect. I, cap. I, § 11.

(4) Eod. loc., Nota.

(5) NILLES, Sect. I, cap. III, in princ.

rint Confraternitates in universo mundo, quod incrementum coepit cultus SS. Cordis, etiam apud dissitas Orbis terrae partes; nam, ut ait Pius PP. IX in Bulla extensionis Festi ad universam Ecclesiam: « Ex quo Clemens Papa XIII in honorem SS. Cordis Iesu Festum cum Officio et Missa nonnullis Ecclesiis celebrare permisit, ad immensam huius Cordis charitatem recolendam, tanto ubivis ardore fideles populi se excitatos senserunt, ut nulla iam pene extet Dioecesis, quae privilegium eiusdem festi peragendi ab Apostolica Sede se non impetrare laetetur ».

Ad decus et ornamentum Hispanorum catholicorum oportet in medium proferre duas praecipuas sodalitates, antiquiores annotatis hucusque, de quibus etsi non constent an fuerint a Sanctitate Sua per Breve speciale approbatae, tamen demonstrant Hispaniam, non dicam anteire, sed in aequo saltem stare Galliis, Angliae, caeterisque Europae regionibus in cultu Cordis Iesu promovendo. Prima est, quam anno 1691 fundavit Dominus Emmanuel Colon a Portu Gallorum, Novi Continentis repertoris perillustris prognatus, in cappella *del Cristo moreno* in Cathedrali Cartogonovae, quae triginta et tribus aequitibus constabat (1).

Alteram, quae vere prima, nihil enim in contrarium obstat, fundavit in Hispaniis poenitentissima capuccinea Venerabilis Mater Maria Angelorum Astorch, Catalauna, die Transfigurationis Domini, anno 1640, sub titulo « *Monte de Piedad Sacri Cordis Iesu in levamen animarum Purgatorii* ».

Quae sodalitas cum variis cultus externi praxibus constaret, obiectum enim eius erat per Cor Iesu solamen animabus purgantibus praestare, certum est non celebratum fuisse primum Festum in honorem SS. Cordis Iesu in Paray-le-Monial, quando B. Margarita suas novitias assumpsit in sacello illius Coenobii ut Cor Iesu colerent, praesertim quia sodalitas a V. Astorch fundata fuit 33 annis ante primam revelationem factam B. Margaritae Alacoque (2).

(1) *Homenaje Nacional de Tarragona*, pag. 285.

(2) Vide *Homenaje Nacional*, pag. 118.

Et tanta celebritate et mentione digna apparet in historia confraternitatum, Confraternitas fundata a V. Astorch, quod antiquiores sodalitates praecedat ab ipso P. Gallifet citatas (1). Legitur enim ibi, Franciscum de Lomenie de Brienne, Episcopum Constantiensem, Confraternitatem statuisset in Ecclesia sui Seminarii, die 25 Ianuarii 1688; quam Confraternitatem approbaverat et indulgentiis ditaverat Clemens PP. X ex brevi dato 4 Octobris 1674, quod tamen non fuit publicatum usque ad 1688 (2). Quamobrem ipsum celeberrimum P. Eudes Missionarium Normandiae, qui e vita decessit anno 1680, cuique idem Papa Clemens X ab ipso rogatus, sex Brevia misit, devotionem Cordis Iesu obsignantia, concedens ut in Ecclesiis suae Congregationis sodalitates sub titulo SS. Cordium Iesu et Mariae valerent erigere, nostra monialis anteivit.

(1) Cap. II.

(2) Vide etiam NILLES, part. II, cap. I.



XV.

FACTA SANCTORUM MIRABILIA

Cum non parum deserviat concionatori doctrinam exemplis authenticis confirmare per modum argumenti de facto, adnotabimus nonnulla facta clariora eminentium sanctorum, vel ex amore quo aestuabant in Deus, vel a charismatibus quibus a Deo remunerabantur, causata; ex Breviario, vel ex eorum vita deprompta.

1. Postquam, novus homo Franciscus novo et stupendo miraculo claruit, cum singulari privilegio praecedentibus saeculis non concesso, insignitus apparuit, sacris videlicet stigmatibus decoratus, descendit de monte secum ferens Crucifixi effigiem, non in tabulis lapideis, vel ligneis manu figuratam artificis, sed in carneis membris descriptam digito Dei vivi. (*Ex D. Bonaventura 17 Septembris*).

2. Rosa Limana, supernis abundans deliciis, illustrata visionibus, colliquescentis seraphicis ardoribus, atque inter assiduas apparitiones versata, a Christo has voces audire meruit « Rosa Cordis mei, tu mihi sponsa esto ». (*Ex Brev. Rom., 30 Aug.*).

3. Philippus Neri charitate Dei vulneratus, languebat iugiter; tantoque cor eius aestuabat ardore, ut cum intra fines suos contineri non posset, illius pectus, confractis atque elatis duabus costulis, mirabiliter Dominus ampliaverit. (*Ex Brev. Rom., 26 Maii*).

4. Divini amoris B. Gertrudes in frequentes ferebatur extases, altissimaeque contemplationis et divinae unionis donum obtinuit. Ut meritum acceptissimae sibi sponsae Christus ostenderet, in corde eius iucundam sibi esse mansionem testatus est. (*Ex Brev. Rom., 15 Novem.*). Praeterea S. Gertrudis suae stigmata passionis Iesus impressit, ut legitur in eius vita. (*lib. II, c. IV*).

5. Sanctae Catharinae Genuensis Cor, tanto amoris in-

cendio iugiter ardebat, ut partes tum pectoris, tum dorsi cordi respondentes, sensibili vulnere quasi sauciatae apparerent. (*Ex eius vita c. 37*).

6. Sancta Catharina Senensis, fuit sacris Domini stigmatibus decorata; quae primo colorem sanguineum in lucidum mutaverunt, et postea dolorem persentiebat in manibus, pedibus et corde, cum tamen signa cruenta non apparerent. (*Ex Brev. Rom., 30 April.*). Praeterea de ea legitur; Christum Cor suum, proprio illius sublato, ei commutasse: « Ecce, filia carissima, sicut pridie abstuli cor tuum, sic trado tibi Cor meum, quo semper vivas ». (*Ex eius vita, Part. II, cap. VII*).

7. Sancta Catharina de Riccis supernorum charismatum copia singularis enituit, annulo desponsationis, sacrisque stigmatibus, quae non semel spectanda se exhibuerunt, acceptis. (*Ex Brev. Rom., 13 Februar.*). De ea auditores Rotae dixerunt: « Raptam nempe in coelum proprio esse privatam corde, aliud ibidem reponente Deo ». (*Relatio Canon., p. II*).

8. Tres praeterea enumerantur ex Familia Dominicana Beatae, sacris stigmatibus decoratae, scilicet, B. Catalina Racconigi, B. Lucia de Narni et B. Stephania de Quinzanis.

9. S. Stanislaus Kostka ita charitate erga Deum, in quem assidue alienatus a sensibus rapiebatur, ardebat, ut illi facies semper accensa, nonnumquam radians videretur; perennes lacrymas effundebat; et ardor in pectore illius tantus erat, ut media quoque hyeme foret ingesta identidem gelida aqua temperandus. (*Ex Brev. Rom., 13 Nov.*).

10. Charitas Dei et proximi, in corde B. Petri de Alcantara diffusa, tantum quandoque excitabat incendium, ut e cellae angustiis in apertum campum prosilire, aerisque refrigerio conceptum ardorem temperare cogeretur. (*Ex Brev. Rom., 19 Octob.*).

11. S. Franciscus Xavierius, D. Ignatio Duce, eo brevi devenit ut in rerum divinarum contemplatione defixus, a terra aliquando sublimis elevaretur, quod illi sacrificanti coram populi multitudine aliquoties evenit. (*Ex Brev. Rom., 3 Dec.*).

12. Tanto divini amoris incendio cor Teresiae conflagra-

vit, ut merito viderit Angelum ignito iaculo sibi praecordia transverberantem, et audierit Christum, data dextera, dicentem sibi: Deinceps, ut vera sponsa, meum zelabis honorem. (*Ex Brev. Rom., 15 Octob.*).

13. S. Ioannes a Cruce ob assiduam rerum divinarum contemplationem, diuturnas et mirabiles extases frequenter patiebatur, tantoque in Deum aestuabat amore, ut cum divinus ignis sese intro continere non posset, foras erumpere cogeretur, eiusque vultus irradiare visus sit. (*Ex Brev. Rom., 24 Nov.*).

14. S. Felix a Cantalicio, in oratione pernoctans, dulcissima frequenter extasi fructus est, et aliquando in ulnis suis reclinatum a Virgine Matre puerum Iesum suavissime complecti meruit. (*Ex Brev. Rom., 21 Maii*).

15. S. Michael a Sanctis illo divinae bonitatis praeclarissimo enituit prodigio, quo Christus ipse divini sui Cordis mysticam commutationem cum corde illius inire dignatus sit. (*Ex Brev. Rom., 5 Iulii*).

16. Uberrimis gratiae suae donis victricem sponsam S. Veronicam de Iulianis virginem, locupletabat Iesus. Sacris stigmatibus eam fuisse signatam, itemque corona spinarum alte confixarum et Passionis insignibus in corde decoratam, ac iugibus pene extasibus recreatam, multiplici testimonio traditum est. (*Ex Brev. Rom., 9 Iulii*).

17. Cum S. Raymundus Nonnatus, extremo morbo confectus, ecclesiasticis sacramentis muniri summis precibus postulasset, eiusque morbus ingravesceret, et sacerdos diutius tardaret, angelorum ministerio sub specie religiosorum sui Ordinis apparentium, salutari Viatico refectus fuit. (*Ex Brev. Rom., 31 Augusti*).

18. S. Laurentius Iustinianus cum aliquando nocte dominicae Nativitatis sacrum faceret, Christum Iesum sub pulcherrimi infantis specie videre promeruit. (*Ex Brev. Rom., 5 Sept.*).

19. Nicolaus Tolentinus sex ante obitum mensibus, singulis noctibus angelicum concentum audivit; cuius suavitate

cum iam paradisi gaudia praegustaret, crebro illud Apostoli repetebat: *Cupio dissolvi, et esse cum Christo*. (*Ex Brev. Rom., 10 Sept.*).

20. S. Ioseph a Cupertino, Ordinis S. Francisci, eluxit ardentissima charitate, ut extasibus suavissimis, stupendiisque ad Deum raptibus frequenter afficeretur. (*18 Sept.*).

21. S. Birgittae, quae, audita Christi voce in somnis, arctiorem vitae formam est aggressa, arcana multa fuerunt divinitus revelata. (*Ex Brev. Rom., 8 Octob.*).

22. S. Franciscus Borgia, cuius vultus interdum radians apparuit aut in concionando, aut sacram hostiam in offerendo, sanctissimum Christi Corpus, in Eucharistia latens, ubi aservaretur, instinctu coelesti sentiebat. (*Ex Brev. Rom., 10 Octobris*).

23. Tantus fuit S. Eduardi Regis in Christum amor et fides, ut illum aliquando inter missarum solemnias videre meruerit blando vultu et divina luce fulgentem. (*Ex Brev. Rom., 13 Octob.*).

24. S. Caietanus, Romae nocte Natalitia ad praesepe Domini, infantem Iesum accipere meruit a Deipara in ulnas suas. (*Ex Brev. Rom., 7 Augusti*).

25. S. Iosephum Calasancium Deus coram discipulis crebris miraculis illustravit; et interdum ei B. Virgo cum puero Iesu, illis orantibus benedicente, apparuit. (*27 Aug.*).

26. S. Maria Magdalena de Pazzis tanto igne divini amoris aestuabat, ut, huic ferendo impar, ingesta aqua pectus refrigerare cogeretur. (*Ex Brev. Rom., 27 Maii*). Praeterea legitur quod: « Sponsus coelestis eam divino suo Corde muneratus, illius Cordi verba: *Verbum caro factum est* aureis sanguineis et notis per manus S. Augustini inscripsit ». (ALOISIUS GUERRA, *Epitome Pontificarum Constitutionum, tom. I, pag. 88*).

27. S. Ignatius a Loyola, miro in Deum raptu elevatus, fuit Manresae ab eo claris adeo illustrationibus recreatus, ut postea dicere solitus sit: Si sacrae litterae non extarent, se tamen pro fide mori paratum ex iis solum, quae sibi Manresae patefecerat Dominus. (*Ex Brev. Rom., 31 Iulii*).

28. S. Angela Mericia angelorum pane, quem unice esuriebat, frequentissime refecta, tanta charitatis vi ferebatur in Deum, ut saepius extra sensus raperetur. (31 Maii).

29. S. Franciscus Caracciolus erga divinissimum Eucharistiae mysterium ardenti aestuans amore, noctes paene integras in eius adoratione insomnes ducebat. (4 Iunii).

30. S. Paschalis Baylon erga divinam Eucharistiam ardenti tenebatur affectu, quem defunctus etiam in cadavere retinere visus est, nam iacens in feretro, ad sacrae Hostiae elevationem bis oculos aperuit et clausit. (17 Maii).

31. Quadam die Salvator divinus, suscepta peregrini forma candido vestitus amictu humeris crucem ferens, in corde S. Clarae a Cruce de Montefalco virginis, redemptionis mysteria impressit mirificis signis, quae in praesentem usque diem cernuntur. (Ex Brev. Rom., 18 Augusti).

32. B. Iuliana Cornelionensis, cui Deus revelavit instituentem esse in Ecclesia singularem Corporis Christi festivitatem. (Ex Brev. Rom., 5 April.).

33. B. Nicolaus Factor, qui interdum a terra elevatus visus est, ac frequentes extases passus, facie plurimum inflammata, et luce ex ea radiante, et fulgentibus carnibus, inter Eucharistiam distribuendam, sacras formas inter digitos suos saltare, raro prodigio, conspexisse perhibetur. (Ex Brev. Rom., 23 Decembr.).



URBIS ET ORBIS

SANCTISSIMUS Dominus Noster Leo Papa XIII per decretum Sacrorum Rituum Congregationis d. d. 27 Iunii superioris anni, Litanias Sacratissimi Cordis Iesu approbavit, illasque publice recitari vel decantari in Ecclesiis et Oratoriis dioecesium Massilien, et Augustodunen, atque Ordinis Visitationis B. M. V. benigne indulsit. Ex eo tempore R. morum Sacrorum Antistitum et religiosarum familiarum piarumque consociationum petitiones ita frequentes ad Apostolicam Sedem pervenerunt, ut in omnium votis pateret esse, maiorem gloriam et laudem ipsius SS. mi Cordis cum incremento pietatis per invocationes approbatas, ubique diffundi, prout SS. Nomen Iesu per Litanias proprias, Rituali Romano insertas, in toto Orbe catholico a Christi fidelibus publica et communi laude celebratur. Accedit etiam quod Sanctissimus Dominus Noster pro devotione quam fervet erga Amantissimum Cor Iesu, atque studio remedium afferendi malis, quibus magis in dies premitur, eidem Sacratissimo Cordi consecrare intendit mundum universum. Haec autem consecratio, ut solemniore ritu fiat, triduanas preces, praedictis invocationibus adhibitis, propediem indicare decrevit. Eapropter Sanctissimus Dominus No-

ster ut Litaniae Sacratissimi Cordis Iesu iam probatae et indulgentiis tercentum dierum auctae ubique terrarum tum privatim tum publice recitari et decantari in posterum valeant, concedere dignatus est. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 2 Aprilis 1899.

C. Episcopus Praenestinus Card. MAZZELLA

S. R. C. Praefectus

DIOMEDES PANICI *S. R. C. Secretarius.*



LITANIAE DE SACRO CORDE IESU

- Kyrie, eleison.
 Christe, eleison.
 Kyrie, eleison.
 Christe, audi nos.
 Christe, exaudi nos.
 Pater de coelis Deus, miserere nobis.
 Fili Redemptor mundi Deus, miserere nobis.
 Spiritus Sancte Deus, miserere nobis.
 Sancta Trinitas, unus Deus, miserere nobis.
1. Cor Iesu, Filii Patris aeterni, miserere nobis.
 2. Cor Iesu, in sinu Virginis Matris a Spiritu Sancto formatum, miserere nobis.
 3. Cor Iesu, Verbo Dei substantialiter unitum, miserere nobis.
 4. Cor Iesu, Maiestatis infinitae, miserere nobis.
 5. Cor Iesu, Templum Dei sanctum, miserere nobis.
 6. Cor Iesu, Tabernaculum Altissimi, miserere nobis.
 7. Cor Iesu, Domus Dei et porta coeli, miserere nobis.
 8. Cor Iesu, Fornax ardens charitatis, miserere nobis.
 9. Cor Iesu, iustitiae et amoris receptaculum, miserere nobis.
 10. Cor Iesu, bonitate et amore plenum, miserere nobis.
 11. Cor Iesu, virtutum omnium abyssus, miserere nobis.
 12. Cor Iesu, omni laude dignissimum, miserere nobis.
 13. Cor Iesu, Rex et centrum omnium cordium, miserere nobis.
 14. Cor Iesu, in quo sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae, miserere nobis.
 15. Cor Iesu, in quo habitat omnis plenitudo divinitatis, miserere nobis.
 16. Cor Iesu, in quo Pater sibi bene complacuit, miserere nobis.
 17. Cor Iesu, de cuius plenitudine omnes nos accepimus, miserere nobis.
 18. Cor Iesu, Desiderium collium aeternorum, miserere nobis.
 19. Cor Iesu, patiens et multae misericordiae, miserere nobis.
 20. Cor Iesu, Dives in omnes qui invocant Te, miserere nobis.
 21. Cor Iesu, Fons vitae et sanctitatis, miserere nobis.
 22. Cor Iesu, Propitiatio pro peccatis nostris, miserere nobis.

23. Cor Iesu, saturatum opprobriis, miserere nobis.
 24. Cor Iesu, attritum propter scelera nostra, miserere nobis.
 25. Cor Iesu, usque ad mortem obediens factum, miserere nobis.
 26. Cor Iesu, lancea perforatum, miserere nobis.
 27. Cor Iesu, Fons totius consolationis, miserere nobis.
 28. Cor Iesu, Vita et resurrectio nostra, miserere nobis.
 29. Cor Iesu, Pax et reconciliatio nostra, miserere nobis.
 30. Cor Iesu, Victima peccatorum, miserere nobis.
 31. Cor Iesu, Salus in Te sperantium, miserere nobis.
 32. Cor Iesu, Spes in Te morientium, miserere nobis.
 33. Cor Iesu, Deliciae Sanctorum omnium, miserere nobis.
- Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, parce nobis, Domine.
 Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, exaudi nos, Domine.
 Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis.
- ¶ Iesu mitis et humilis Corde,
 ¶ Fac cor nostrum secundum Cor tuum.

OREMUS

Omnipotens sempiterne Deus, respice in Cor dilectissimi Filii tui, et in laudes et satisfactiones, quas in nomine peccatorum tibi persolvit, iisque misericordiam tuam petentibus Tu veniam concede placatus, in nomine eiusdem Filii tui Iesu Christi, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. Amen.

Concordat cum originali a S. R. C. approbato die 27 Iunii 1898.

In fidem, etc.

Ex secretaria Sacrorum Rituum Congregationis hac die 2 Aprilis 1899.

L. ✠ S.

D: PANICI, S. R. C. Secretarius.



CONCIO I.

THEMA: Hic est Filius meus carissimus.

(Marc. IX, 6).

IDEA CONCIONIS

PROP. Cor Iesu adorandum, quia est Cor Filii Patris Aeterni.

DIVISIO. Est Cor Eius qui est Filius: I verus, II proprius, III consubstantialis Patris Aeterni.

PARS I. Est Filius verus: quia a) non adoptivus; b) non nuncupativus; c) non creatus.

PARS II. Est Filius proprius: quia a) genitus; b) unigenitus; c) primogenitus.

PARS III. Est Filius consubstantialis: quia a) Verbum; b) quia Splendor; c) quia Forma Dei.

Exordium. Maximus ex actibus religionis est adoratio, quae ordinatur in reverentiam Dei, propter summam eius excellentiam. Huius adorationis Dominum esse sibi vindicem aperte primum legis mandatum ostendit: « Non habebis deos alienos coram me... Non facies tibi sculptile... Non adorabis ea, neque coles; Ego enim sum Dominus Deus tuus fortis, zelotes » (1). Cuius mandati non raro fit mentio, praecipue in Deuteronomio: « Dominum Deum timebis, et illi soli servies » (2); quod quidem Christus, quasi exponens ait: « Scriptum est: Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies » (3); nam timere Deum, hebraice idem est ac adorare, et colere illum.

(1) Exod. XX, 3, 4, 5.

(2) VI, 13.

(3) MATTH. IV, 10.

23. Cor Iesu, saturatum opprobriis, miserere nobis.
 24. Cor Iesu, attritum propter scelera nostra, miserere nobis.
 25. Cor Iesu, usque ad mortem obediens factum, miserere nobis.
 26. Cor Iesu, lancea perforatum, miserere nobis.
 27. Cor Iesu, Fons totius consolationis, miserere nobis.
 28. Cor Iesu, Vita et resurrectio nostra, miserere nobis.
 29. Cor Iesu, Pax et reconciliatio nostra, miserere nobis.
 30. Cor Iesu, Victima peccatorum, miserere nobis.
 31. Cor Iesu, Salus in Te sperantium, miserere nobis.
 32. Cor Iesu, Spes in Te morientium, miserere nobis.
 33. Cor Iesu, Deliciae Sanctorum omnium, miserere nobis.
- Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, parce nobis, Domine.
 Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, exaudi nos, Domine.
 Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis.
- ¶ Iesu mitis et humilis Corde,
 ¶ Fac cor nostrum secundum Cor tuum.

OREMUS

Omnipotens sempiterne Deus, respice in Cor dilectissimi Filii tui, et in laudes et satisfactiones, quas in nomine peccatorum tibi persolvit, iisque misericordiam tuam petentibus Tu veniam concede placatus, in nomine eiusdem Filii tui Iesu Christi, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. Amen.

Concordat cum originali a S. R. C. approbato die 27 Iunii 1898.

In fidem, etc.

Ex secretaria Sacrorum Rituum Congregationis hac die 2 Aprilis 1899.

L. ✠ S.

D: PANICI, S. R. C. Secretarius.



CONCIO I.

THEMA: Hic est Filius meus carissimus.

(Marc. IX, 6).

IDEA CONCIONIS

PROP. Cor Iesu adorandum, quia est Cor Filii Patris Aeterni.

DIVISIO. Est Cor Eius qui est Filius: I verus, II proprius, III consubstantialis Patris Aeterni.

PARS I. Est Filius verus: quia a) non adoptivus; b) non nuncupativus; c) non creatus.

PARS II. Est Filius proprius: quia a) genitus; b) unigenitus; c) primogenitus.

PARS III. Est Filius consubstantialis: quia a) Verbum; b) quia Splendor; c) quia Forma Dei.

Exordium. Maximus ex actibus religionis est adoratio, quae ordinatur in reverentiam Dei, propter summam eius excellentiam. Huius adorationis Dominum esse sibi vindicem aperte primum legis mandatum ostendit: « Non habebis deos alienos coram me... Non facies tibi sculptile... Non adorabis ea, neque coles; Ego enim sum Dominus Deus tuus fortis, zelotes » (1). Cuius mandati non raro fit mentio, praecipue in Deuteronomio: « Dominum Deum timebis, et illi soli servies » (2); quod quidem Christus, quasi exponens ait: « Scriptum est: Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies » (3); nam timere Deum, hebraice idem est ac adorare, et colere illum.

(1) Exod. XX, 3, 4, 5.

(2) VI, 13.

(3) MATTH. IV, 10.

Angeli in coelo Deum adorant, prout ante thronum maiestatis, tremantes et faciem velantes suam. Sancti illic eum adorant, videntes eum sicuti est, ac torrente voluptatis eius inamissibiliter fruantes. Iusti viatores eum adoraverunt, ut legimus de Abraham, de Isaac et de plurimis aliis. Et cum angelis ac sanctis nos etiam Deum adorare debemus, quia Deus est, et quia nos, sicut illi, omnes creati, et conservati sumus ab Ipso ut glorificemus Eum, in sanctitate et iustitia coram Ipso omnibus diebus nostris.

Hic autem Deus, cuius sedes est coelum, ad ima descendit et in mediis hominibus personaliter morans, eos corde carneo dilexit assumpto a Verbo in unitatem personae. Est ergo SSum Cor Iesu, Cor Verbi divini: et quia Verbum est Filius, Sanctissimum Cor Eius est Cor Filii Patris Aeterni. En ergo.

Propositio. *Cor Iesu adorandum, quia est Cor Filii Patris Aeterni.*

Ad clariorem rei intelligentiam notare debemus, cordis vocabulum plures habere significationes, usu loquendi, sive sacro, sive profano, nempe propriam, metaphoricam et symbolicam. Acceptione propria, nomen cordis significat nobilissimum humani corporis organum, quod per suam compressionem, vel dilatationem, scilicet, per *sistolem*, et *diastolem*, ut sacro medicis vocabulo utar, distribuit sanguinem in omnes corporis partes. Metaphorica, sumitur vel pro tota anima, vel pro voluntate et eius actu primario, nempe amore, vel pro appetitu sensitivo. Et symbolica, qua utimur ad significandum ipsum cor physicum quatenus est signum naturale ducens nos in cognitionem interiorum affectionum animae propter analogiam, qua cum illis intime connectitur (1). In altera acceptione, etsi latissima, quandoque sumitur vocabulum *cor*: ad significandam totam integre personam, ut accidit in cultu SS. Cordis Iesu, in quo ad exprimendam personam divinam Iesu, simpliciter utimur vocabulo: *cordis*.

(1) *Theses de cultu SS. Cordis Iesu* a PP. MARTORELL. et CASTELLA. Not. praemitt. pag. 14.

In prima significatione accipiendum est vocabulum: *cor*, complectens simul cor physicum et eius amorem, cum dicimus, Cor Iesu venerandum, quia est Cor Filii Patris aeterni.

« Numquam enim in hoc cultu obiectum a motivo separari aut dispesci debet, ut plenus ille habeatur. Exurgit enim hic cultus ex utroque obiecto materiali, ut vocant, et formali simul sumptis, seu colitur Cor Iesu in se, ac prout est amoris symbolum.

Cor enim verum et reale, seu physicum, est subiectum eiusdem symboli, quod quidem symbolum sine ipso vero corde concipi nequit. Obiectum autem formale, seu motivum, rationem suppeditat quare Cor potius, quam aliud corporis Christi membrum a fidelibus colatur et adoretur, seu cur fideles dirigant speciali modo cultum suum ad Cor, quatenus in eiusdem Christi corpore reperitur seu in totalitate cum caeteris partibus coexistit, et in persona Verbi subsistit » (1). Sic ergo cum Deo debeatur adoratio, etiam Sacratissimo Cordi Iesu reddenda est, quia est Cor Eius, qui est:

Divisio. I. *Filius verus.* II. *Filius proprius.* III. *Filius consubstantialis Patris Aeterni.*

PARS I. — EST FILIUS VERUS.

Est Filius verus, id est, non adoptivus, ut aiebat Photinus; non nuncupativus, ut volebat Sabellius; non creatus, ut ponebat Arius (2). « Hic verus et proprius est Filius, origine non adoptione; veritate, non nuncupatione; nativitate, non creatione » (3).

a) Non *adoptivus*. « Circa hanc filiationem tripliciter aliqui erraverunt. Quidam enim dixerunt eum filiationem

(1) PERRONE, *Praelection. theolog. De devotion. erga SS. Cor Iesu*.

(2) D. THOM. in *Epist. ad Rom.*, c. I, lec. 2^a.

(3) S. HILARIUS, lib. 30 de *Trinit.* 3.

habere adoptivam, sicut Photinus, qui posuit Christum initium sumpsisse ex Maria Virgine quasi hominem purum, qui per vitae meritum ad hanc celsitudinem pervenit, ut prae caeteris sanctis Filius Dei diceretur. Sed secundum hoc Christo non competeret descensus ad humanitatem, sed magis ascensus ad divinitatem contra id quod dicitur (1), *Descendi de coelo* » (2). Ideo Concilium Francofordiense in epistola synodica a Romanis Pontificibus approbata, praesertim ab Adriano I, declaravit: « Christum, in utraque natura subsistentem, Filium Dei proprium et naturalem, nequaquam adoptivum ». Et S. Fulgentius ad Donatistas: « Iesus Christus non sic est Dei Patris Filius sicut et nos; Ille est enim proprius, nos redempti; Ille natus, nos facti; Ille verus, nos adoptivi; Ille autem qui verus est Filius, ipse etiam verus est Deus, non adoptione generatus, sed de Patre naturaliter natus ».

Tandem en argumentum a clarissimo P. Perrone adductum (3): « Adoptio est assumptio personae extraneae in propriam haereditatem; « atqui Christus qua hic homo est, dici nequit persona Deo extranea, nisi duas in ipso personas Dei et hominis esse velimus. Cum igitur Christi Dei et hominis una sit persona, Filius Dei proprius et naturalis, necessario consequitur, Christum et qua Deum, et qua hominem, sensu exposito, naturalem esse Dei Filium, neque enim filii ratio ad naturam, sed ad personam refertur ».

b) Non *nuncupativus*. Quidam vero posuerunt, huiusmodi filiationem solummodo nuncupativam, sicut Sabellius, qui dixit ipsum Patrem incarnatum, et ex hoc Filium nominari; ita quod eadem sit persona, et solum nomina sint diversa. Sed secundum hoc non competeret Filio mitti a Patre: quod falsum est, cum ipse dicat (4) Se descendisse ut faceret voluntatem eius, qui misit eum (5).

(1) IOAN. c. VI, v. 38.

(2) Div. THOM. in *Epist. ad Rom.* cap. I, lec. 2^a.

(3) *Praelect. theolog. De Incar.* cap. III, prop. 2^a.

(4) IOAN. c. VI, v. 38.

(5) D. THOM. in *Epist. ad Rom.* loc. cit.

c) Non *creatus*. « Alii vero posuerunt, sicut Arius, huiusmodi filiationem esse creatam; ita quod Filius Dei sit excellentissima creatura, ex nihilo tamen producta, postquam prius non fuerat. Sed, secundum hoc, omnia non essent per ipsum facta, contra quod dicitur in Evang. Ioannis (1) *Omnia per ipsum facta sunt*. Oportet enim esse non factum, per quem facta sunt omnia » (2).

PARS II. — EST FILIUS PROPRIUS.

Quamvis secundum rem idem sit verus ac proprius, tamen secundum rationem terminos distinguo; veritas enim ad Filium adequatius videtur pertinere, realitate et veritate filiationis; proprietas autem ad Patrem generantem specialius spectare. Ideo proprius Filius, quia *genitus, unigenitus et primogenitus* Patris aeterni.

a) Est Filius *genitus*. « Filius a Patre solo est, non factus, nec *creatus*, sed *genitus* » (3) « Dominus dixit ad me: Filius meus es tu; Ego hodie genui te » (4). Generatio definiri solet: origo viventis a principio vivente coniuncto in similitudinem naturae specificae; in qua definitione reperiuntur quatuor causae ad generationem viventium in creatis concurrentes: causa efficiens, cum dicitur origo a vivente; materialis, cum dicitur a vivente coniuncto; finalis, cum dicitur, in similitudinem naturae specificae; et formalis, cum dicitur in similitudinem naturae. « Sic igitur processio Verbi in divinis habet rationem generationis. Procedit enim per modum intelligibilis actionis, quae est operatio vitae, et a principio coniuncto; procedit enim per actionem immanentem, et secundum rationem si-

(1) Cap. I, v. 3.

(2) D. THOM. in *Epist. ad Rom.* loc. cit.

(3) *Symbol. D. Athanas.*

(4) *Psalm. II, 7.*

militudinis, quia conceptio intellectus est similitudo rei intellectae, et in eadem natura, quia in Deo idem est intelligere et esse » (1). Ergo est Filius genitus.

b) Et etiam unigenitus, id est, unice genitus; Deus enim nequit nisi Filium unicum generare. Et ideo: « Sic Deus dilexit mundum ut Filium suum unigenitum daret » (2). Super illud: « Pater meus, quod dedit mihi maius omnibus est » (3), scribit S. Augustinus « Quod dedit mihi Pater, id est, ut sim Verbum eius, ut sim unigenitus Filius eius, ut sim splendor lucis eius maius omnibus est » (4). Et S. Leo super illud: *Hic est Filius meus dilectissimus*; « Utpote unigenitus in quo requiesco et oblector, in quo mihi nihil displicet, per quem mihi iusti quique homines placent, per quem unum placari possum et reconciliari peccatoribus » (5). Ratio est, quia in unaquaque re generatio est secundum modum sui esse et suae naturae; alius enim modus generationis est in hominibus, et alius in plantis; et sic de aliis. Natura autem Dei est ipsum intelligere, in sensu identico; et sic oportet quod eius generatio, vel conceptio intellectualis, sit generatio, vel conceptio naturae eius. Cum ergo natura Dei sit infinita, sequitur quod eius generatio vel conceptio intellectualis sit etiam infinita; ideoque Verbum genitum in quo cognoscit unico et simplici actu et se, et omnia in se, sit non solum Filius genitus, sed et unice genitus.

c) Primogenitus. Deinde videndum est quomodo dicatur primogenitus. « Et ego primogenitum ponam illum excelsum prae regibus terrae » (6). Est enim filius prae angelis et sanctis, idcirco quia est a Patre naturaliter genitus, et sic dicendus primogenitus, ut enim scribit D. Paulus, « Et iterum cum introducit primogenitum in orbem terrae dicit: Et adorent eum omnes an-

(1) *Sum. Theol.* D. THOM. part. I^a, q. 27, a. 2. Vid. etiam *Exposit.* D. THOM. in *Epist. ad Colos.* c. IV.

(2) *IOAN.* c. III, v. 16.

(3) *IOAN.* c. X, v. 29.

(4) *Tract.* 49 in *Ioan.* n. 5.

(5) *Sermo* 94, sive homil. de *Transfig.*

(6) *Psalm.* LXXXVIII, v. 28.

geli Dei » (1). Ad rem D. Thom. (2): « Deus, enim, non alio cognoscit se et creaturam, sed omnia in sua essentia sicut in prima causa effectiva; Filius autem est conceptio intellectualis Dei secundum quod cognoscit se, et per consequens omnem creaturam. In quantum ergo gignitur, videtur quoddam verbum repraesentans totam creaturam; et ipsum est principium omnis creaturae. Si enim non sic gigneretur solum Verbum Patris, esset primogenitus Patris, sed non creaturae, secundum illud: « Ego ex ore Altissimi prodivi primogenita ante omnem creaturam » (3). Super illud (4): « ut sit primogenitus in multis fratribus », dicit D. Thomas (5): « Sicut Deus suam naturalem bonitatem voluit aliis communicare, impertiendo eis similitudinem suae bonitatis, ut non solum sit bonus sed etiam auctor bonorum, ita Filius Dei voluit conformitatem suae filiationis aliis communicare, ut non solum sit ipse filius, sed etiam primogenitus filiorum. Et sic qui per generationem aeternam est unigenitus, secundum collationem gratiae sit primogenitus in multis fratribus ».

PARS III. — EST FILIUS CONSUBSTANTIALIS.

a) Quia *Verbum*. Cum divinarum personarum una sit communis essentia seu natura, omnia argumenta adducenda tum ex Scriptura, tum ex traditione ad demonstrandum Sanctissimae Trinitatis dogma, similiter demonstrant consubstantialitatem Filii. « Ego et Pater unum sumus » (6). Nolo tamen argumentum D. Thomae praeterire. Verbum est nomen proprium Filii, quia procedit a Patre per actum intellectus. « Sed intelligere divinum est ipsa substantia intelligentis. Unde

(1) *Ad Hebr.* c. I, v. 6.

(2) *Commentar. epist. B. Pauli ad Colos.* c. I.

(3) *Eccli.* XXIV, 5.

(4) *Ad Rom.* c. VIII, v. 29.

(5) *Com. in Epist. ad Rom.* c. VIII in hunc locum.

(6) *IOAN.* c. X, v. 30.

Verbum procedens procedit ut eiusdem naturae subsistens, et propter hoc dicitur et genitum et Filius» (1). Et iterum (2) «Esse Dei est ipsum eius intelligere. Unde Verbum Dei non est aliquod accidens in ipso, vel aliquis effectus eius, sed pertinet ad ipsam naturam eius; et ideo oportet quod sit aliquid subsistens, quia quidquid est in natura Dei, subsistit»; et ideo Damascenus dicit, quod «Verbum Dei est substantiale, et in hypostasi ens; reliqua vero verba, scilicet nostra, virtutes sunt animae».

b) *Splendor*. Vocatur ab Apostolo Christus: «splendor gloriae» (3), id est, splendor gloriae Patris. Ad quod sciendum nobis est quod gloria, secundum Ambrosium, est clara cum laude notitia; seu ut exponit D. Thomas, est quasi quaedam manifesta notitia, quae de bonitate alicuius habetur (4). Ex quo sequitur cognitionem divinae bonitatis excellenter et antonomastice dici gloriam, id est, claram cum laude notitiam bonitatis divinae. Quae quidem, quia diversimode ab hominibus et angelis habetur et a solo Deo perfecte, solus ipse seipsum comprehendit; ideoque sola cognitio, quam Deus habet de se, perfecte dicitur gloria, quia perfectam notitiam habet et clarissimam de seipso. Quoniam autem splendor est illud quod a fulgente primo emittitur, sapientia vero est quiddam fulgens, inde est quod prima conceptio sapientiae sit quasi quidam splendor. Verbum ergo Patris, quod est quidam conceptus intellectus eius, est splendor sapientiae qua se cognoscit. Et ideo Apostolus Filium vocat splendorem gloriae, id est, divinae clarae notitiae; in quo ostendit ipsum non solum sapientem, sed sapientiam genitam.

c) *Forma*. Est tandem consubstantialis ratione formae seu naturae, sive essentiae, communis cum Patre, ut dicit Apostolus: «Qui cum in forma Dei esset» (5). Ut enim scribit D. Tho-

(1) P. I, Q. XXVII, art. 2 ad secundum.

(2) P. I, Q. XXXIV, art. 2 ad primum.

(3) *Ad Hebr.* c. I, v. 3.

(4) *Comment.* in hunc locum.

(5) *Ad Philip.* c. II, v. 6.

mas (1) «Unumquodque dicitur in natura generis, vel speciei per suam formam; unde forma dicitur: natura rei. Et sic esse in forma Dei est esse in natura Dei; per quod intelligitur quod sit verus Deus: ut dicit Ioan. (2): *Ut simus in vero filio eius Iesu Christo*. Sed non est intelligendum quod aliud sit forma Dei et aliud ipse Deus; quia in simplicibus et immaterialibus idem est forma et id cuius est, maxime in Deo. Sed quare potius dicit *in forma*, quam *in natura*? Quia hoc competit nominibus propriis filii tripliciter. Dicitur enim et Filius et Verbum et Imago. Filius enim est qui generatur; et finis generationis est forma. Et ideo, ut ostendatur perfectus Dei Filius, dicitur *in forma*, quasi habens perfecte formam Patris. Similiter Verbum non est perfectum, nisi quando ducit in cognitionem naturae rei; et sic Verbum Dei *in forma Dei* dicitur, quia habet totam naturam Patris. Similiter nec imago dicitur perfecta, nisi habeat formam eius, cuius est imago. *Cum sit splendor gloriae et figura substantiae eius* (3).

Consequentia. Ergo, adorandum Cor Iesu: quod est Cor Filii Patris Aeterni, et Huic debetur cultus latriae, sicut toti simul sumptae humanitati eiusque partibus quibuslibet, ex coniunctione hypostatica cum supposito divino, cuius sunt: et adorandum prorsus eadem adoratione, qua Pater et Spiritus Sanctus; cum enim una sit et superior excellentia trium personarum, unus honor et reverentia eis debetur; una per consequens et eadem adoratio. Et quia duplici natura constamus, spirituali scilicet et sensibili, duplicem adorationem Cordi Iesu praestare debemus; «spiritualem, quae consistit in interiori mentis devotione, et corporalem, quae in exteriori corporis humiliatione consistit. Et quia in omnibus actibus latriae id, quod est exterius, refertur ad id, quod est interius, sicut ad principalius, ideo ipsa exterior adoratio fit propter interioriorem; ut videlicet per signa humilitatis, quae corporaliter

(1) *Comment.* in *Epist. ad Philipp.* in hunc locum.

(2) 1^a IOAN. c. V, v. 20.

(3) *Ad Hebr.* c. I, v. 3.

exhibeamus, excitetur noster affectus ad subiiciendum se Deo; quia connaturale est nobis ut per sensibilia ad intelligibilia procedamus » (1).

Affectus. O cor amantissimum Iesu, adorandis Filii Dei perfectionibus amabilissimas Filii hominis perfectiones ineffabili modo coniungens! Tu cordium omnium nobilissimum, generosissimum, latissimum, liberalissimum, magnificentissimum simulque mitissimum, humillimum, purissimum, innocentissimum, patientissimum, misericordia exuberantissimum, denique ardentissima erga nos caritate plenissimum. Tibi gratias immensas ago pro tua in me et in omnes homines dilectione, innumerisque in nos collatis beneficiis. Me tibi arctissime coniungo; te toto cordis affectu, tenerrimoque praecordiorum sensu complector et amo. Me tibi totum devoveo, mea-que omnia tibi committo (2).

Deprecatio. Omnipotens sempiternus Deus, respice in cor dilectissimi Filii tui et in laudes et satisfactiones, quas in nomine peccatorum tibi persolvit, iisque, misericordiam tuam petentibus, tu veniam concede placatus in nomine eiusdem Filii tui Iesu Christi, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus (3).

(1) D. THOM. 2^a-2^{ae}, q. LXXXIV, art. 2.

(2) Ex P. GALLIFET, *Exercitium amoris ad Cor Iesu*.

(3) Deprecatio litaniarum recentiorum.



CONCIO II.

THEMA: Quod in ea natum est
de Spiritu Sancto est.

(Matth. c. I, v. 20).

IDEA CONCIONIS

PROP. Cor Iesu admirandum, quia fuit in sinu Virginis Matris a Spiritu Sancto formatum.

DIVISIO. Cor Iesu est mirabile: I quia formatum a Spiritu Sancto; II quia prodigiose formatum; III quia formatum in utero Virginis. Seu brevius: causa, locus, modus formationis Cordis Iesu.

PARS. I. Causa fuit Spiritus Sanctus, quia a) opus amoris; b) quia ex sola gratia; c) quia ad plenam Sanctificationem Eius, qui concipiebatur.

PARS. II. Modus fuit mirabilis: quia a) formatum in instanti; b) in instanti animatum; c) in instanti a Verbo assumptum.

PARS. III. Quoad locum haec formatio fuit mirabilis: quia a) sumptum de Adam; b) formatum in femina; c) natum ex Virgine.

Prodigium per antonomasiam vocat Ieremias conceptionem corporis Christi: « creavit Dominus novum super terram; femina circumdabit virum » (1); tum quia a saeculo non est auditum, tum quia caetera prodigia, etsi magna, etsi multa, nequeunt huic conceptioni Christi de Spiritu Sancto coaequari, tum denique quia in uno plura complectuntur. « Novum hoc multa nova et mira complectitur » (2). Nam Verbum aeternum humanatum est in tempore absque vera et intrinseca Deitatis mutatione. Tres divinae personae una et eadem potentia et actione confecerunt Incarnationis mysterium, et quamvis unam et eandem habeant essentiam et sint inseparabiles ad

(1) C. XXXI, v. 22.

(2) S. BERN. *Serm. Vigil. Nativ.*

exhibeamus, excitetur noster affectus ad subiiciendum se Deo; quia connaturale est nobis ut per sensibilia ad intelligibilia procedamus » (1).

Affectus. O cor amantissimum Iesu, adorandis Filii Dei perfectionibus amabilissimas Filii hominis perfectiones ineffabili modo coniungens! Tu cordium omnium nobilissimum, generosissimum, latissimum, liberalissimum, magnificentissimum simulque mitissimum, humillimum, purissimum, innocentissimum, patientissimum, misericordia exuberantissimum, denique ardentissima erga nos caritate plenissimum. Tibi gratias immensas ago pro tua in me et in omnes homines dilectione, innumerisque in nos collatis beneficiis. Me tibi arctissime coniungo; te toto cordis affectu, tenerrimoque praecordiorum sensu complector et amo. Me tibi totum devoveo, mea-que omnia tibi committo (2).

Deprecatio. Omnipotens sempiternus Deus, respice in cor dilectissimi Filii tui et in laudes et satisfactiones, quas in nomine peccatorum tibi persolvit, iisque, misericordiam tuam petentibus, tu veniam concede placatus in nomine eiusdem Filii tui Iesu Christi, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus (3).

(1) D. THOM. 2^a-2^{ae}, q. LXXXIV, art. 2.

(2) Ex P. GALLIFET, *Exercitium amoris ad Cor Iesu*.

(3) Deprecatio litaniarum recentiorum.



CONCIO II.

THEMA: Quod in ea natum est
de Spiritu Sancto est.

(Matth. c. I, v. 20).

IDEA CONCIONIS

PROP. Cor Iesu admirandum, quia fuit in sinu Virginis Matris a Spiritu Sancto formatum.

DIVISIO. Cor Iesu est mirabile: I quia formatum a Spiritu Sancto; II quia prodigiose formatum; III quia formatum in utero Virginis. Seu brevius: causa, locus, modus formationis Cordis Iesu.

PARS. I. Causa fuit Spiritus Sanctus, quia a) opus amoris; b) quia ex sola gratia; c) quia ad plenam Sanctificationem Eius, qui concipiebatur.

PARS. II. Modus fuit mirabilis: quia a) formatum in instanti; b) in instanti animatum; c) in instanti a Verbo assumptum.

PARS. III. Quoad locum haec formatio fuit mirabilis: quia a) sumptum de Adam; b) formatum in femina; c) natum ex Virgine.

Prodigium per antonomasiam vocat Ieremias conceptionem corporis Christi: « creavit Dominus novum super terram; femina circumdabit virum » (1); tum quia a saeculo non est auditum, tum quia caetera prodigia, etsi magna, etsi multa, nequeunt huic conceptioni Christi de Spiritu Sancto coaequari, tum denique quia in uno plura complectuntur. « Novum hoc multa nova et mira complectitur » (2). Nam Verbum aeternum humanatum est in tempore absque vera et intrinseca Deitatis mutatione. Tres divinae personae una et eadem potentia et actione confecerunt Incarnationis mysterium, et quamvis unam et eandem habeant essentiam et sint inseparabiles ad

(1) C. XXXI, v. 22.

(2) S. BERN. *Serm. Vigil. Nativ.*

invicem, attamen solus Filius humanam assumpsit naturam. Duae naturae, infinite ad invicem distantes, eadem hypostasi subsistunt et uniuntur in persona Verbi, atque ex hac unione constituitur Christus. Unio hypostatica est inseparabilis. Duae naturae, divina scilicet et humana, in persona Verbi uniuntur absque ulla confusione. Utraque natura, in Christo personaliter unita, conservat perfectiones et qualitates sibi proprias. Ratione unionis hypostaticae est inter naturam divinam et humanam communicatio idiomatum in Christo in concreto, siquidem quae Deo sunt propria, homini tribuuntur; et e converso, quae ad hominem pertinent, tribuuntur Deo (1). Plurima alia complectitur tam ex parte matris concipientis, quam ex parte prolis conceptae, quae hic omittimus (2). Quorum pene omnium miraculorum ratio fuit unio duarum naturarum in persona Verbi.

Ergo sacratissimum Cor Iesu est velut compendium eorum omnium; propter quod, cum in primo instanti suae formationis iam pene omnia locum habuissent, hinc summa exurgit altitudo huius divinissimi operis, maximi inter opera Dei, et hinc pariter ratio et causa, qua admirandum Cor tam prodigiose formatum. Hanc ideo constituo propositionem.

Propositio. *Cor Iesu admirandum, quia fuit in sinu Virginis Matris a Spiritu Sancto formatum.*

Quia agitur hic de Corde Iesu physico, seu reali, et de eius mirabili formatione in utero Virginis virtute Spiritus Sancti, triplici sub capite hanc mirabilem formationem considerare debemus, eadem verba deprecationis Litaniarum sequentes.

Divisio. Est Cor: I. *Mirabile, quia formatum a Spiritu Sancto*; II. *Mirabile, quia prodigiose formatum*; III. *Mirabile, quia formatum in utero Virginis*. Brevius: *causa, modus, locus formationis Cordis Iesu*.

(1) *Tertullianus praedicans*, Concion. I, tom. I in principio.

(2) Vide CORNELIUM A LAPIDE, *Tesoros*, tom. III, pag. 12, *De Incarnatione*.

PARS I. — CAUSA.

Quamvis formatio Cordis Iesu, sicut et totius humanitatis Eius, sit opus commune toti Trinitati, quia opus ad extra, tamen attribuitur Spiritui Sancto, triplici ratione, iuxta D. Thomam (1).

a) Prima est consideratio causae Incarnationis ex parte Dei. Incarnatio enim ex parte Dei nullam aliam habet causam nisi amorem, dicente D. Ioanne: « Sic Deus dilexit mundum ut Filium suum unigenitum daret » (2); est enim maximum amoris divini argumentum, Filium carnem assumere in utero virginali. Cum ergo Spiritus Sanctus sit amor Patris et Filii, convenienter ipsi haec formatio tribuitur. Nunc autem, si Spiritui Sancto attribuitur, quia est amor, totius corporis Christi formatio, a fortiori huic Summo Amori tenemur tribuere appropriatam formationem sacratissimi Cordis Iesu, quod natum erat, ad modum signi sensibilis, ut summum Dei amorem hominibus patefaceret.

b) Altera ratio sumitur a consideratione causae Incarnationis ex parte naturae assumptae. Per Incarnationem enim natura humana fuit assumpta a Verbo in unitatem personae, non ex aliquibus meritis, sed ex sola gratia. Gratia autem Spiritui Sancto attribuitur, dicente Apostolo: « Divisiones gratiarum sunt; idem autem Spiritus » (3).

Ergo a fortiori Spiritui Sancto venerari debemus attributam formationem sanctissimi Cordis Iesu, a quo, velut a fonte copiosissimo, fluere in omnes homines debebant rivuli gratiarum; propter quod S. Petrus Damianus vocat illud « Dei thesaurum et vitae fontem, coeleste gazophilatium et aerarium ».

c) Tertia ratio est ex parte plenae sanctificationis eius qui concipiebatur. Nam per Spiritum Sanctum homines san-

(1) Part. III, q. XXXII, a. 1.

(2) C. III, v. 16.

(3) 1^a ad Cor. cap. XII, v. 4.

ctificantur et filii Dei efficiuntur, ut dicit Apostolus: « Ipse est Spiritus sanctificationis (1). Quoniam estis filii Dei, misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra, clamantem: Abba, Pater » (2).

Nunc autem, quia terminus Incarnationis fuit illud, quod concipiebatur Sanctum atque Filium Dei efficere, et non sicut caeteri homines, qui sanctificantur et efficiuntur filii Dei adoptivi, sed ita sanctificatum efficere ut esset Filius Dei naturalis, congruenter formatio corporis Christi Spiritui Sancto attribuitur. Haec autem plena sanctificatio, quamvis totam Christi humanitatem ditaret, specialius de Corde suo praedicatur, non solum quia cor, metaphorice et moraliter sumptum, omnimodam animae Eius excellentiam includit, sed etiam quia physice consideratum, est particeps super alia corporis membra praestantiae animae, cui intime coniungitur.

PARS II. — MODUS.

Virgini interroganti: « quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? », respondit Arcangelus: « Spiritus Sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi » (3). Super quae verba ita S. Chrisostomus loquitur: « Quæris quomodo fieri possit ut salva virginitate concipias et parias? Scito id Spiritus Sancti desuper in te novo et incomprehenso modo venientis virtute et efficacia, viri generationem supplente, admirabiliter perficiendum ». Ergo et admirabilis formatio Cordis Iesu quoad modum, quia: a) formatum in instanti. Duplici ratione, iuxta D. Thomam. Prima propter virtutem infinitam Spiritus Sancti, hoc Cor in utero Virginis efformantis; est enim proprium agentis virtutis infinitae in instanti materiam disponere ad debitam formam suscipiendam. Secundo ex parte personae Filii, cuius Cor formabatur; non enim decebat Eum Cor assumere nisi perfecte formatum. Si autem fuisset aliquod tem-

(1) *Ad Rom.* cap. I, v. 4.

(2) *Ad Galat.* cap. IV, v. 6.

(3) *Luc.* cap. I, v. 35.

poris intermedium inter conceptionem et perfectam formationem, non posset tota conceptio attribui Filio Dei, quae non attribuitur Ei nisi ratione assumptionis. Ideo dicit Gregorius: « Angelo nuntiante et Spiritu Sancto adveniente, mox Verbum in utero, mox intra uterum Verbum caro » (1).

b) Quia in primo instanti fuit hoc Cor animatum. « Simul caro, simul Verbi Dei caro; simul caro animata anima rationali et intellectuali » ait Sanctus Damascenus (2). Verbum enim assumpsit carnem mediante anima; non quod anima esset medium temporis, nam integram humanam naturam assumpsit in instanti, sed medium secundum gradum dignitatis; anima enim est medium inter Deum et carnem. Et etiam secundum ordinem causalitatis anima est aliquammodo causa carnis uniendae Filio Dei. Non enim esset assumptibilis nisi per ordinem quem habet ad animam rationalem, propter quam haec caro est caro humana (3).

Ideo Augustinus « Ipsa magnitudo divinae virtutis animam sibi rationalem et per eandem corpus humanum, totumque omnino hominem in melius mutandum coaptavit » (4).

c) Quia in primo instanti fuit hoc Cor a Verbo assumptum. « Firmissime tene et nullatenus dubites, carnem Christi non fuisse conceptam in utero Virginis, priusquam susciperetur a Verbo » (5). Incarnatio enim est divinae et humanae naturae unio in Verbo, unitate hypostasis. Quae quidem hypostasis, si per aliquod tempus fuisset alia ab hypostasi Verbi, oporteret quod vel destrueretur a Verbo, vel Ei adhaereret. Primum autem non fuit conveniens; secundum, Fidei adversatur (6).

(1) *Moral.* lib. 18, cap. XXVII.

(2) *De orthodoxa fide* lib. 3, cap. II.

(3) *Summa D. Thom.* p. III, q. VI, art. 1.

(4) *In Epist. ad Volussianum* 136, a. 3.

(5) AUGUSTINUS (FULGENTIUS) lib. *De fide ad Petrum*, cap. XVIII.

(6) D. THOM. *Summa Theol.* p. III, q. XXXIII, art. 3.

PARS III. — Locus.

Restat nobis locum, in quo sacratissimum Cor Iesu fuit formatum, admirari; sermonem enim de Corde physico agimus.

a) Et primo; quia sumptum de Adam. Cor enim Iesu est Cor hominis Christi, qui, sicut natura divina est verus Deus, ita natura humana est verus homo. De ratione autem humanitatis est quod ab Adam procedat, qui est secundum naturam caput omnium et origo; et ideo: « nusquam angelos apprehendit, sed semen Abrahae apprehendit » (1), id est, semen sumptum ex Adam; semen namque Abrahae semen Adam erat.

Deinde; Verbum hoc Cor assumpsit, ut esset fons sanguinis mundum purgaturi, et Deo Patri reconciliaturi. Natura autem humana et purgatione et reconciliatione indigebat ex hoc, quod ab Adam procedit, in quo omnes peccaverunt. Ideo convenienter, ut malum totius humanitatis curaret et remedia praeberet, sumpsit Cor ex semine Adam (2).

b) Denique formatum in femina, triplici ratione. Prima: ut totam humanam naturam nobilitaret. Sicut enim oportebat ut vir opus redemptionis susciperet, quia sexus nobilioris est; ita hunc virum de femina nasci, ut liberatio feminei sexus inciperet ex hoc, quod in femina Redemptor formabatur. Secundo ut veritas Incarnationis adstrueretur. « Si omnipotens Deus hominem ubicumque formatum, non ex materno utero crearet, sed repentinum inferret aspectibus, nonne opinionem confirmaret erroris, nec hominem verum suscepisse nullo modo crederetur? et dum omnia mirabiliter facit, auferret quod misericorditer fecit? Nunc vero inter Deum et hominem ita mediator apparuit, ut in unitate personae copulans utramque naturam, et solita sublimaret insolitis, et insolita temperaret

(1) *Ad Hebr.* cap. II, v. 16.

(2) D. ТНОМ. *Summa Theol.* p. III, q. XXXI, art. 1.

solitis » (1). Tertio ut diversitas formationis compleretur. Adam enim fuit a Deo formatum sine viro et femina, Eva ex viro sine femina; caeteri homines ex viro et femina nascuntur. Restabat ut quis in femina tantum formaretur. Quod quidem Verbum fecit corpus sumendo ex Maria Virgine (2).

c) Et ideo natum ex Virgine. In hoc enim mysterio plura et secundum naturam et ultra naturam inveniuntur. Sicut enim secundum naturam est quod illud Cor formaretur ex matre, id est, ex substantia matris et ab ea nasceretur, ita supra naturam est quod in Virgine formaretur et ex ea nasceretur. « Habet autem hoc naturalis conditio, quod in generatione animalis foemina materiam ministret; ex parte autem maris sit principium activum in generatione, sicut probat Philosophus in libro I de Generatione; femina autem, quae ex mare concipit, non est virgo. Et ideo ad supernaturalem modum generationis Christi pertinet quod activum principium in generatione illa fuerit virtus supernaturalis divina » (3). Et propter hoc legitur (4): « Inventa est in utero habens de Spiritu Sancto » id est, « non de Spiritu Sancti substantia quasi Christi pater fuerit, sed eius virtute in castissimo Virginis utero formatum infantis Iesu corpus, ex ipsius Deiparae Virginis substantia, ut qui consubstantialis erat aeterno Patri secundum Divinitatem, consubstantialis fieret et nobis secundum humanitatem » (5).

Et ideo Cor Iesu valde mirandum quia conceptum in Virgine; tunc enim adimpletum est quod dictum est per prophetam: *Ecce Virgo concipiet*. Huius dignitatis Virginis Matris concipientis, quae de fide est contra Ebionitas et Cerinthum, convenientiam probat D. Thomas propter quatuor: primo ne dignitas Dei Patris mittentis transferretur in alium; secundo ut servaretur proprietas Verbi missi, quod absque cor-

(1) AUGUST. *Epist. ad Volussian.* 137.

(2) *Summa D. THOM.* p. III, q. XXXI, art. 4.

(3) *Div. THOM.* loc. cit. art. 5.

(4) *MATH.* cap. I, v. 18.

(5) NATAL ALEX. in hunc locum.

ruptione cordis concipitur; tertio ut dignitas humanitatis Christi servaretur, per quam peccatum mundi tolli debebat; et quarto propter finem Incarnationis, qui erat, ut homines nascerentur, *non ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo*, id est, ex ipsa virtute Dei (1).

Et sicut in Virgine, ita ex Virgine natum: *Ecce virgo pariet filium* (2); id est, ex clauso utero matris hic filius egreditur, ut quae virgo fuit concipiendo, esset virgo prolem in lucem edendo. Cuius quidem mysterii convenientiam D. Thomas probat tum ex parte eius, qui nascebatur, Verbum nempe Dei, quod quidem absque corruptione ex corde procedit; tum ex parte effectus Incarnationis, qui erat corruptionem tollere; tum denique ex parte matris, cuius honorem non decebat minuire illum, qui parentes honorandos praecipere veniebat (3). Unde dicendum est omnia ista facta esse virtute divina; propter quod ait D. Augustinus «moli corporis, ubi Divinitas erat, ostia clausa non obstiterat: Ille quippe non eis apertis intrare potuit, quo nascente virginitas matris inviolata permansit» (4).

Consequentia. Est ergo valde admirandum Cor carneum Iesu, in cuius formatione Spiritus Dei tot tantaque mirabilia est operatus. Si caeteris in rebus magnitudinem, ordinem, perfectionem ac pulchritudinem sigillatim considerantes admiramur, a fortiori nobis mirabile est Cor Iesu in quo sunt hae perfectiones a primo instanti, sed summo modo admirabile et admirandum apparet. Si gloriam angelorum ac gratiam sanctorum, quantumvis eminentissimorum contemplandam nobis proposuerimus, huius gratiae ac gloriae plenitudine a primo instanti Cor Iesu fruebatur. Si ad altissima Dei nequit homo sua mente conscendere, si impos coarctandi limitibus infinitum, exhinc iam poterit admirari altissima divi-

(1) D. THOM. *Summa Theol.* p. III, q. XXVIII, art. 2.

(2) ISAI. cap. VII, v. 14.

(3) D. THOM. loco cit., art. 2.

(4) In Ioan. trac. 121.

nitatis descendencia in humilia humanitatis, et admirari nescia finium veluti in isto Corde contracta, nam «ingreditur haec infima Iesus Christus, novo ordine, nova nativitate. Novo ordine, quia invisibilis in suis, visibilis factus est in nostris; incomprehensibilis voluit comprehendi; ante tempora manens, voluit esse ex tempore; universalis Dominus, formam servilem suscepit; impassibilis Deus, non dedignatus est homo esse passibilis; et immortalis, mortis legibus subiaceret. Nova autem nativitate genitus est, conceptus a Virgine, natus ex Virgine, sine paternae carnis concupiscentia, sine maternae integritatis iniuria» (1).

Affectus. «O suavitatem, o gratiam, o amoris vim! Summus omnium, imus factus est omnium. Quis hoc fecit? Amor dignitatis nescius, dignatione dives, affectu potens, suasu efficax. Quid violentius? Triumphat de Deo amor, ut scias amoris fuisse, quod plenitudo effusa est, quod altitudo aequata est, quod singularitas associata est» (2).


O Cor admirabilissimum! Tu Cor Redemptoris nostri, Amici nostri, Fratris nostri, Patris nostri, Sponsi animarum nostrarum. Tu immaculae Virginis Matris nostrae purissimo sanguine formatum. Tu principium vitae humanae amantissimi Servatoris. Tu causa et origo pretiosi illius sanguinis, quo redempti sumus (3).

Deprecatio. In mentibus nostris quaesumus, Domine, verae fidei sacramenta confirma; ut, qui conceptum de Virgine Deum verum et hominem confitemur, per eius salutiferae resurrectionis potentiam ad aeternam mereamur pervenire laetitiam. (Ex Missa de Annuntiatione).

(1) S. LEO. Serm. 2 de Nativ.

(2) D. BERN. Serm. 46 in Cant.

(3) GALLIFET. Exercit. laudis et adorationis.



CONCIO III.

THEMA: Ego et Pater unum sumus.

(Ioan. c. X, v. 30).

IDEA CONCIONIS

PROP. Cor Iesu aestimandum, quia est Verbo Dei substantialiter unitum.

DIVISIO. Non est unitum Verbo Dei I accidentaliter; II nec naturaliter; III sed personaliter.

PARS I. Non accidentaliter: quia *a*) non per inhabitationem; *b*) nec per unitatem affectus; *c*) nec secundum operationem; *d*) nec secundum dignitatem honoris; *e*) nec secundum communicationem nominum facta fuit unio duarum naturarum in Christo.

PARS II. Non essentialiter: quia *a*) non commixtione; *b*) nec conversione; *c*) nec compositione naturarum.

PARS III. Sed fuit unitum Verbo Dei personaliter: quia *a*) sic fides docet; *b*) quia uni eidemque supposito attribuuntur in Christo, quae in duabus naturis gesta sunt; *c*) quia, e contra, nullo modo talis unio facta fuisset.

Maximum, ex miraculis in Incarnatione exequenda a Deo patratis, est abs dubio unio hypostatica, qua duae naturae infinite ad invicem distantes eadem hypostasi subsistunt et in persona Verbi uniuntur, qua unione constituitur Christus « homo Deo mixtus » (1). Caeterorum enim, quaedam sunt veluti praeparatio, sicut formatio corporis de Spiritu Sancto; quaedam veluti corollarium, sicut nativitas ex clauso utero matris; quaedam vero ad decus prolis conceptae, sicut formatio in instanti.

(1) TERTULLIAN. *Apol.* 2.

Hoc tamen est maximum, quod « licet Deus sit et homo, non duo tamen sed unus est Christus; unus omnino non confusione substantiae, sed unitate personae » (1). Ex eo namque abunde fluunt miracula non modo in humanitate Christi mox concepti iam patrata, sicut usus perfectus rationis et visio beatifica, sed omnia alia, quae ab ortu nativitatis usque ad mortem et docuit et fecit. Et propter hoc et ad hoc ordinata sunt mirabilia quae, nativitatis, transfigurationis et mortis Eius causa, operata divinitus fuerunt. Hinc summum illud Sacratissimi Cordis emergit, quod per hanc hypostaticam unionem est non quocumque modo, sed substantialiter Verbo unitum. Et haec est ratio, qua sequentem statuo propositionem.

Propositio. *Cor Iesu aestimandum, quia est Verbo Dei substantialiter unitum.*

De Fide est Cor carneum Christi esse Cor Filii Dei; ideo vocamus illud usu loquendi communi: Cor divinum. Nam Cor, sicut tota humanitas, assumptum fuit a Verbo in unitate personae; et ideo, quamvis Christus verus Deus et homo verus sit, persona subsistens in duabus naturis, est tantum divina; et proinde Cor physicum Iesu est Cor divinum.

Hinc quod postquam de illo uti de Corde Filii Patris aeterni et uti de Filio Virginis Matris loquuti sumus, mentem convertere debeamus ad considerationem Eius prout est unitum non quocumque modo, sed substantialiter Verbo Dei; propter quod est maximi, et ultra aestimandum.

Divisio. Nam non est unitum Verbo Dei. I. *Accidentaliter*; II. *Nec naturaliter*; III. *Sed personaliter*. Ideo substantialiter.

(1) *Symb. S. Athan.* vv. 32, 33.

PARS I. — NON ACCIDENTALITER.

Alter ex haereticis, a sensu catholico aberrans, cum de unionem duarum naturarum ageretur, fuit Nestorius personas in Christo separans, seu clarius duplicem in eo personam admittens, divinam scilicet et humanam. Dicebat enim Christum esse personam creatam atque purum hominem, cui Verbum divinum unitum fuerat unionem tantum accidentali; quam unionem diversimode propugnabat: I. vel secundum inhabitationem, inquantum scilicet Verbum divinum habitavit in illo sicut in templo, specialiori tamen modo quam in aliis iustis; II. vel per unitatem seu conformitatem affectus, quatenus hominis voluntas semper erat conformis voluntati Verbi; III. vel secundum operationem, qua dicebat hominem illum fuisse divini Verbi instrumentum; IV. vel secundum dignitatem honoris, quatenus honor, exhibitus Filio Dei, exhibebatur etiam filio hominis, non propter hunc sed propter eum, cui coniunctus erat; V. vel secundum communicationem nominum, prout dicimus illum hominem esse Deum et Filium Dei (1). Cuius erroribus Sanctus Cyrillus restitit, et omnes hosce et huiusmodi Ecclesia in Concilio Ephesino anathematizavit.

Ex hac enim Nestorii doctrina sequeretur: I. Verbum non assumpsisse vere ac proprie carnem, quod est contra illud Ioannis: *Et Verbum caro factum est* (2); et consequenter Cor physicum Iesu non esse vere ac proprie Cor Filii Dei, quod est contrarium doctrinae, quam Ecclesia propugnat de eius divinitate; II. Duas in Christo esse personas, divinam scilicet et humanam, quod adversatur Concilio Chalcedonensi statuenti: « Non in duas personas partitum aut divisum, sed unum eundemque Filium unigenitum, Deum Verbum, Do-

(1) D. THOM. *Summa Theol.* p. III, q. II, art. 6.

(2) Cap. I, v. 14.

minum nostrum Iesum Christum confitemur » (1); et consequenter Cor Iesu esse cor hominis Christi, non autem Cor Verbi; III. Beatam Virginem non generasse Filium Dei, nec esse Matrem eius, quod damnatur a Synodo Ephesina: « Si quis non confitetur Deum esse secundum veritatem Emmanuel, et propter hoc Dei genitricem sanctam Virginem (genuit enim carnaliter carnem factum Dei Verbum); anathema sit » (2); et per consequens Cor Iesu non esse in sinu Virginis Matris a Spiritu Sancto formatum; IV. Proprietates utriusque naturae non posse in Christo de se invicem praedicari, et sic non posse dici quod homo est Deus et Deus est homo, Deus est natus et passus; quod est contra decisiones Concilii Ephesini (3) et Lateranensis (4) et S. Damasceni asserentem « quod Deus suscepit ea, quae sunt carnis idiomata, id est proprietates, dum Deus passibilis nominatur et Deus gloriae crucifixus est » (5); nec posset consequenter dici quod Deus dilexit nos corde carneo.

PARS II. — NON ESSENTIALITER.

Eutiches haeresiarcha, ita confundit naturas in Christo, ut dicat ex duabus ante unionem distinctis, unam post unionem constitutam esse; secundum quod Cor Iesu non esset et Cor hominis Christi et Cor Filii Dei, quod haereticum est. Ideo dico unionem huius Cordis cum Verbo non esse essentialiter, seu in natura.

Divus Ioannes (6) Christum verum hominem ostendit: « Quaeritis me interficere hominem, qui veritatem vobis locutus sum »; et simul Dei Verbum praedicat: « Hic est verus

(1) Act. 5 vers. finem.

(2) Part 1^a, cap. XXVI, anathem. 1.

(3) Canone 1^o.

(4) Sub Martino I, consultat. V, cap. 6 et syn. VI, act. 11 et 18.

(5) *Orthod. fide* lib. 3, cap. IV et VI.

(6) *Evang. c.* VIII, v. 40.

Deus et vita aeterna » (1), et ita de eo loquitur post unionem. Super quod scribit Perrone (2): « Ergo si Christus post unionem verus Deus et verus homo praedicatur, utramque naturam post unionem integram, distinctam, inconfusam, atque impermixtam habuit; alioquin neque vere Deus, neque vere homo fuisset et esset ».

Ideo Concilium Chalcedonense statuit (3): « Christum, Filium Dei unigenitum, in duabus naturis inconfuse, incommutabiliter, indivise, inseparabiliter agnoscendum, numquam sublata differentia naturarum propter unionem, magisque salva proprietate utriusque naturae, et in unam personam atque subsistentiam concurrente ».

Restat tandem ut, clarissimum P. Perrone sequentes, argumento theologico rem ostendamus (4). Si una tantum natura in Christo esset ex duabus naturis ante unionem distinctis, esset vel commixtione seu mutatione, vel conversione, vel compositione (5). Sed nullum horum admitti valet. Non commixtione; duplici ratione. Prima, quia repugnat divinae substantiae propter summam eius simplicitatem cum alia substantia commisceri; secunda, quia Christus nec esset Deus neque homo, nam nova substantia sic commixta per amissionem suarum proprietatum, nec esset substantia humana nec divina, et Iesus, cuius Cor colimus, est consubstantialis Patri secundum divinitatem, et consubstantialis Matri secundum humanitatem. Non conversione; nam conversio fit quando quaelibet substantia extinguitur. Sic vel natura divina conversa esset in humanam, vel humana in divinam. Nunc autem divina natura propter suam immutabilitatem nequit in aliam converti; et natura humana nequit in divinam mutari propter suam finitam conditionem; et praeterea nequit humana natura a divina extingui vel absorberi, tunc enim

(1) *Epist.* 1^a cap. V, v. 20.

(2) *De Incarnat.* cap. III, art. 3.

(3) Part II, act. 5 ad finem.

(4) *De Incarnat.* cap. III, art. 3.

(5) Vid. D. ТНОМ. in sua *Sum. Theolog.* p. III, q. II, a. 1.

cum tantum maneret in Christo natura divina, iam actum esset de mysterio Incarnationis. Ergo Cor Iesu non est unitum Verbo Dei essentialiter per conversionem; alioquin fallax esset cultus ad Cor Iesu sive physice sive symbolice sumptum, et Ecclesia defecisset, nos impellens ad Cor physicum adorandum, si extinctum vel absortum esset a natura divina. Tandem non compositione, sicut invenitur in homine, qui ex anima et corpore constat; quia, quamvis hae duae substantiae concurrant ad hominis naturam efformandam, tamen nec anima sola nec corpus solum sunt substantiae in se completae et perfectae in ratione naturae, nam natae sunt et dispositae ad constituendum integram naturam, humanam nempe. Quod quidem dici nequit de Christo (nec de suo sanctissimo Corde), cuius utraque natura est perfecta, integra, completa, divina nempe et humana, quarum una nullo modo alterius indiget ut talis sit.

PARS III. — SED PERSONALITER.

Cor Iesu Verbo Dei esse substantialiter unitum nihil aliud significat quam: esse Verbo Dei personaliter coniunctum; ex duobus enim, infinite distantibus, divinitate scilicet et humanitate, causa huius unionis procedit unum perfectissimum et divinum, Verbum videlicet incarnatum, naturis distinctis tamen et integris remanentibus. In Deo enim non est aliud natura et suppositum, vel persona; quia natura dicitur secundum quod est essentia quaedam; eadem vero dicitur suppositum, vel persona, secundum quod est subsistens, cum in eo nihil aliud sit praeter rationem naturae suae. Ideo, quia Cor Iesu est Verbo Dei personaliter unitum, est unitum ei substantialiter.

a) De fide est unionem Verbi incarnati factam esse in persona (1); et Ecclesia universa hoc profitetur in symbolis Apostolico, Nicaeno et Athanasii. De Christo enim dicit S. Athanasius « Qui licet Deus sit et homo, non duo tamen,

(1) Vid. *Sum. Theol.* D. THOM. p. III, q. II, a. 2.

sed unus est Christus. Unus autem non conversione divinitatis in carnem, sed assumptione humanitatis in Deum. Unus omnino non confusione substantiae, sed unitate persona » (1). Qui quidem Christus, ut definivit Concilium Constantinopolitanum II, « est ex duabus naturis in una substantia et in una Verbi persona ». « Non in duas personas partitum, aut divisum, sed unum et eundem Filium unigenitum Deum Verbum Dominum nostrum Iesum Christum confitemur » legitur in Chalcedonensi synodo (2). Ex his ergo iam patet unionem Cordis Iesu cum Verbo esse substantialem, utpote in persona Verbi effectam.

b) Sed ad clariorem rei intelligentiam et ad maiorem sanctissimi Cordis aestimationem, adducam hic argumentum theologicum a P. Perrone propositum (3) ad probandam unitatem Personae divinae Christi. « Ibi unica eaque divina persona agnosci debet, ubi uni eidemque supposito attribuantur, quae in duabus naturis gesta sunt, ac de uno eodemque individuo, eoque divino, subsistente in duabus naturis, constanter praedicatur ». Atqui talia tribuuntur Christo, et ita praedicantur de eo. Apostolus enim dicit: « illum qui erat in forma Dei accepisse formam servi; illum, qui est aequalis Patri secundum divinitatem, minorem esse Patre propter formam servi ». Et S. Ioannes initio Evangelii scribit: « Et Verbum caro factum est ». Et ipse Christus praedicabat et se unum cum Patre, et se minorem Patre. Haec autem et similia falsa essent si una eademque persona divina in duabus naturis non subsisteret. Ergo Christus est *unus* non confusione substantiae, sed unitate personae ».

c) Tandem; si haec unio facta non fuit in natura, ut diximus, oportet quod facta sit in persona, alioquin nullo modo facta esset, et sic tolleretur Incarnationis mysterium. Ut enim dicit D. Thomas (4): « Omne quod inest alicui personae, sive

(1) *Symb.* vv. 31, 32, 33.

(2) *Act.* 5.

(3) *De unione hypost.* art. 1^o.

(4) *Sum. Theolog.* p. III, q. II, art. 2.

pertineat ad naturam eius, sive non, unitur ei in persona. Si ergo humana natura non unitur Verbo Dei in persona, nullo modo ei unitur; quod est contra fidem, quam tenet Ecclesia de mysterio Incarnationis. Et sic sanctissimum Cor Iesu est vere ac proprie Cor Verbi divini, cui unitur, non unione quacumque accidentali (tunc enim non esset vere Cor divinum); nec unione essentiali (tunc enim non esset vere Cor humanum), sed unione personali, qua, manentibus integris naturis divina et humana, persona in duabus subsistens est Verbum divinum; unde patet quod sanctissimum Cor Iesu sit Verbo Dei substantialiter unitum.

Consequentia. Est ergo maximi et ultra aestimandum Cor Iesu, quo nil magnificentius in coelo et in terra. Si enim, quanto magis rarae sunt ac pretiosae, eo divitias et obiecta divitiarum (puta: adamnantem purissimum et mole maximum) amamus; nullae sunt comparandae magnificentia et singularitate Cordi huic, quia est Cor unitum unico Verbo Patris, qua unione « contraxit se maiestas, ut seipsum limo nostro coniungeret, et in persona una sibi invicem uniretur Deus et limus, maiestas et infirmitas, tanta sublimitas et tanta vilitas » (1). Et si gratiae dona aestimamus, quibus sancti ad intimam cum Deo unionem affectuum et voluntatis pervenerunt, qua nihil sublimius; quanto magis aestimandum Cor personaliter Verbo Dei unitum? Nam, ut inquit D. Bernardus: « attende sicut in illa singulari Divinitate, Trinitas est in personis, Unitas in subsistentia; sic in ista speciali mixtione, Trinitas est in subsistentiis; in personis Unitas. Verbum enim et anima et caro in unam convenere personam; et haec tria unum!; et hoc unum tria!; non confusione substantiae, sed unitate personae » (2).

Affectus. O Cor Iesu divinissimum, hominum atque angelorum aestimatione dignum!

(1) D. BERN. Serm. 3, *Vig. Nativ.*

(2) D. BERN. loc. cit.

Tu aeterno Verbo indissolubili nexu coniunctum. Tu summi Dei verum Cor, ipso Deo dignum, Dei sanctitate sanctum. Divinae bonitatis, charitatis, misericordiae vere particeps, cuius omnes affectiones et sensus infinitae Dei maiestati condignas esse necesse est. O Cor ineffabile ac vere incomprehensibile, infinitis laudibus, infinitisque obsequiis merito prosequendum!... Ad Te igitur supplex accedo, o Cor milites adorandum! Tu me, iustissimum laudis et adorationis tributum tibi debitum deferre conantem, adiuva, atque in devotorum tuorum numero adscribi ardentem cupientem, admitte. Ecce infinitam tuam dignitatem et excellentiam agnosco. Te quam possum demississime veneror, et prostratus adoro... Affectiones ergo meas omnes tuis, o sacratissimum Cor, affectionibus coniungo, hocque fretus adiutorio ac societate, me Tibi totum offero, meaque omnia tuae gloriae penitus consacro. Tu vota clemens exaudi ac perface. Amen (1).

Deprecatio. Deus, qui de beatæ Mariæ Virginis utero, Verbum tuum, Angelo nuntiante, carnem suscipere voluisti, praesta supplicibus tuis; ut qui vere eam Genitricem Dei credimus, eius apud te intercessionibus adiuvemur. (Ex Missa de Annuntiat.).

(1) Ex P. GALLIFET. *Exercit. laud. et adorat. ad Cor Iesu.*





CONCIO IV.

THEMA: Sedet ad dexteram maiestatis
in excelsis.

(Ad Hebr. c. I. v.3)

IDEA CONCIONIS

PROP. Cor Iesu colendum, quia est Maiestatis infinitae.

DIVISIO. Est enim Cor Eius, qui I habet auctoritatem supremam; II stabilitatem aeternam; III potestatem summam.

PARS I. Habet hanc auctoritatem: A ratione divinae naturae; nam est virtus et sapientia, qua Pater a) omnia creavit; b) omnia gubernat; c) omnia ad se, ut ad finem, trahit. B. Et ratione humanae naturae; a) ratione unionis; b) ratione dominationis; c) ratione subiectionis omnium sibi.

PARS II. Habet stabilitatem aeternam; nam Christus a) heri; b) hodie; c) et in saecula.

PARS III. Habet potestatem summam; Maiestas enim est proprie summa potestas; ideo est Maiestatis infinitae, nam a) portat omnia quantum ad esse; b) portat omnia quantum ad opera; c) portat omnia per se.

Excellentiam Divini Salvatoris exponens Ioannes Baptista discipulis interrogantibus super persona et baptismo eius, ait: « Qui de sursum venit, super omnes est. Qui est de terra, de terra est, et de terra loquitur. Qui de coelo venit, super omnes est » (1). Quasi diceret: « Qui de sursum venit in mundum Iesus Christus, super omnes est, super me et super omnes alios etiam prophetas, utpote natura Deus. Qui est de terra, quoad originem, de terra est, merus homo est, suamque referens originem, terrena tantum et humilia propria virtute ac facul-

(1) IOAN, c. III, v. 31.

tate loquitur; qui de coelo venit Iesus, ex Deo natus est, Deus et homo super omnes est, nemine excepto » (1). En ergo fundamentum maiestatis excellentissimae et infinitae sacratissimi Cordis Iesu; Iesus enim propter generationem aeternam Deus est, et cor eius cor Dei. De eo dixit Deus Pater per prophetam: « Et ego primogenitum ponam illum, excelsum prae regibus terrae » (2). Et tamen nullo maiestatis regiae signo apparuit mundo circumdatus.

Descendens Dominus super montem Sina legem populo Israelitico daturus, magna cum maiestate descendit: « eratque omnis mons terribilis » (3). In tabernaculum non poterat ingredi Moyses, « nube operiente omnia, et maiestate Domini coruscante » (4). Cum tamen idem sit Dominus, omni terrificae maiestatis testimonio secluso, in Tabernaculo sacratissimi Cordis personaliter morans, vivit in medio nostri. Hanc ergo divinam Christi maiestatem, quam facie ad faciem laudant Angeli, adorant Dominationes et tremunt Potestates, nos, etsi velatam, non minus colere debemus in sanctissimo Corde manentem. En ergo.

Propositio. *Cor Iesu colendum, quia est maiestatis infinitae.*

Excelsam Christi maiestatem, qua adveniret ornatus, praedixit David: « Et benedictum nomen maiestatis Eius, et replebitur maiestate Eius omnis terra » (5). Maiestatem, qua veniet mundum iudicaturus, ipse Christus exposuit: « Tunc videbunt Filium hominis venientem in nube, cum potestate magna et maiestate » (6). Maiestatem tandem, qua nunc fulget, Apostolus explicat dicens: « Sedet ad dexteram maiestatis in excelsis » (7). Quod exponens D. Thomas dicit, quod verbo ses-

(1) NAT. ALEX. in Ioan. hoc loco.

(2) Psalm. LXXXIII, v. 28.

(3) Exod. c. XIX, v. 18.

(4) Exod. XL, v. 33.

(5) Psalm. LXXI, v. 19.

(6) Luc. c. XXI, v. 27.

(7) Ad Hebr. c. I, v. 3.

sionis tria solent comprehendere: primum est sedentis auctoritas; alterum est sedentis stabilitas; tertium est sedentis potestas (1). Mentem ergo Angelici Doctoris sequor. Et ideo sit.

Divisio. Dico quod sacratissimum Cor Iesu est maiestatis infinitae, quia est Cor Eius, qui I. *Habet auctoritatem supremam*; II. *Stabilitatem aeternam*; III. *Potestatem summam*.

PARS I. — HABET AUCTORITATEM SUPREMAM.

In primis hoc verbum sedere ad dexteram maiestatis importat auctoritatem Christi sedentis. In divina enim curia multi assistunt ante thronum divinae maiestatis. Sed quia ibi omnes sunt servi et ministri, nullus legitur ibi sedere. Solius Christi est ibi sedere: « sedet ad dexteram maiestatis »; et etiam: « Cum venerit Filius hominis in maiestate sua, et omnes Angeli eius cum eo, tunc sedebit super sedem maiestatis suae » (2). Solius enim Eius est regiam habere dignitatem, ideoque habet auctoritatem supremam et ratione divinae, b) et ratione humanae naturae.

a) Ratione divinae. Nam est Dei virtus et sapientia, qua Pater omnia facit. Et ideo si Pater dicitur Dominus rerum omnium ratione creationis, similiter et Filius, per quem omnia producuntur in esse, Dominus est. Deinde est sapientia, qua omnia gubernat. Si ergo Pater dicitur Dominus ratione gubernationis, et Filio competit dominium et auctoritas. Tandem, Pater est Dominus in quantum omnia ad ipsum ordinantur, sicut ad principium et finem omnium. Similiter ergo Filius, qui est Dei sapientia praecedens omnia, Dominus est, de quo dicitur: *omnia per ipsum facta sunt*; et iterum: *ego sum Alpha et Omega, principium et finis*.

b) Ratione humanae naturae competit etiam Christo haec auctoritas, sive dominium in omnibus, triplici ratione.

(1) *Exposit. epist. ad Hebr.* in hunc locum.

(2) MATH. c. XXV, v. 31.

Primo quidem ratione unionis, ex hoc scilicet ipso quod assumpta est natura humana in unitatem personae a Filio Dei, ut legitur: « Constituit Eum super omnem principatum et potestatem » (1). Secundo ratione potestatis, quia omnia ei obediunt et serviunt; ideo ipse Christus ait: « Data est mihi omnis potestas » (2). Tandem quantum ad subiectionem omnium sibi: « Omnia subiecisti sub pedibus eius » (3); ideo, « In nomine Iesu omne genuflectatur » (4); quod quidem ad totius naturae universitatem potest referri; et etiam ad omnes homines, tam Iudaeos quam Gentiles, secundum illud: « Postula a me et dabo tibi gentes haereditatem tuam, et possessionem tuam terminos terrae » (5).

PARS II. — HABET STABILITATEM AETERNAM.

Deinde sedere importat stabilitatem sedentis, quae competit Christo ex hoc quod in aeternum maneat; Iesus « autem, eo quod maneat in aeternum, sempiternum habet sacerdotium » (6). Et quamvis semel de Christo dicatur Eum non sedere, sed stare, ut in Actibus Apostolorum, « Ecce video coelos apertos, et Filium hominis stantem a dextris Dei » (7); dicendum est cum D. Thoma, quod « sedere et stare et huiusmodi dispositiones de Deo dicuntur secundum similitudinem; et ideo secundum diversa dicitur et sedens et stans. Sedens quidem propter immobilitatem; sed stans propter virilitatem ad fortiter resistendum » (8). Sic Christus dicitur sedere ad dexteram maiestatis, quia manet sicut illa Maiestas, seu quia habet stabilitatem aeternam: « Iesus Christus enim heri, et hodie, ipse et in saecula » (9).

(1) *Ad Eph.* c. I, v. 21.

(2) *MATH.* c. XXVIII, v. 18.

(3) *Psalm.* VIII, v. 8.

(4) *Ad Philippen.* c. II, v. 10.

(5) *Psalm.* c. II, v. 8.

(6) *Ad Hebr.* c. VII, v. 24.

(7) *Act. Apost.* c. VII, v. 55.

(8) *Comment. in Epist. ad Hebr.* c. I.

(9) *Ad Hebr.* c. XIII, v. 8.

Super quae verba ait Glossa: « Iesus Christus, qui unius essentiae existens cum Patre tunc temporis, ipse fuit, ipse est, ipse erit et in saecula. Nolite putare quasi, qui tunc temporis fuit, non sit modo; idem enim qui fuit heri, erit et in saeculum. Heri autem significat praeteritum tempus; hodie praesens; saecula vero futurum sine termino. Tamquam si diceret: Ante saecula, et in saecula, et post saecula semper manebit, sicut de illo dicit propheta: *idem ipse es, et anni tui non deficient* » (1).

a) Heri propter aeternitatem. Ratione enim aeternae generationis, Filius semper esse suum accipit a Patre, et emanat a Patre sicut splendor a Sole, ut ait Augustinus (2); ideo ipse Christus: *Ego a Deo exivi* (3). Ex quo sequitur quod cum Verbum in Deo sit ipsi substantiale, Filius, qui est Verbum, sit sicut Pater ab aeterno, ut legitur in symbolo: « Aeternus Pater, Aeternus Filius, Aeternus Spiritus Sanctus ». Cum enim aeternitas immutabilitatem consequatur, et Deus sit omnino immutabilis, est etiam aeternus: « Ego Dominus et non mutor » (4). Propter hoc legitur (5): « Dixerunt Iudaei: Nunc cognovimus quod daemonium habes. Abraham mortuus est et Prophetae; et tu dicis: si quis sermonem meum servaverit, non gustabit mortem in aeternum? Numquid tu maior es patre nostro Abraham, qui mortuus est? et Prophetae mortui sunt? Quem te ipsum facis? Dixit eis Iesus: Amen amen, dico vobis, antequam Abraham fieret, ego sum ». Quod intelligendum est non solum de natura divina, sed etiam de gratia et efficacia Christi; ideoque dicitur: « Agnus qui occisus est ab origine mundi » (6).

b) Christus est hodie propter carnis assumptionem, factam in tempore. Verbum enim, quod erat consubstantiale

(1) *Nota ad comment. D. Thom.* in hunc locum.

(2) *In Epist. ad Ioan.*

(3) *IOAN.* c. XVI, v. 27.

(4) *MALACH.* c. III, v. 6.

(5) *IOAN.* c. VIII, v. 52.

(6) *Apoc.* c. XIII, v. 8.

et coeternum Patri, divinitate, factum est nobis consubstantialia, humanitate. Et hoc naturam humanam assumendo in unitatem personae: *Et Verbum caro factum est* (1); id est: factum est homo. D. Ioannes ait: *Verbum caro factum est*, non homo, primo ut clarius evinceretur distinctio naturarum in Christo, divinae, scilicet, et humanae; secundo ut infinitam Dei charitatem ostenderet ex hoc quod elementum inferius, carnem scilicet, ex qua homo constat, assumebat; tertio ut medicinam infirmitati adaequatam praestaret. Verbum carnem assumpsit, ut eam hominis partem, quam propter Adae peccatum corrupta fuerat, sanaret. Factum est caro absque sui esse mutatione, nec Verbi in carnem conversione; sed ita naturam humanam assumendo et divinae uniendo, ut haec natura humana in persona Verbi subsisteret; unde una tantum est persona Christi, essentia et proprietatibus utriusque naturae integris remanentibus (2). Et hoc sensu potest intelligi verbum hodie, scilicet quod Verbum per humanitatem incepit esse novo modo in tempore.

c) Christus et in saecula. Ait enim D. Ambrosius: « Sancto Spiritu repletus Apostolus ait: « heri, hodie, ipse et in saecula », heri propter aeternitatem, hodie propter corporis susceptionem. Est ergo Christus, et erit semper » (3). Est enim cum nobis dum sumus in via: « Ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi » (4). Et erit semper in patria: « Ego sum primus et novissimus; et vivus et fui mortuus; et ecce sum vivens in saecula saeculorum » (5).

(1) IOAN. c. I, v. 14.

(2) Nota. P. SCIO.

(3) Lib. 5, de orthodoxa fide c. X.

(4) MATH. c. XXVIII, v. 20.

(5) Apoc. c. I, v. 17, 18.

PARS III. — HABET POTESTATEM SUMMAM.

Tertium quod verbum sedere significat est *potestas*. Et in hoc sensu legitur: « Video coelos apertos et Filium hominis stantem a dextris Dei » (1). Quia ergo Christus habet maiestatem infinitam, ex hoc quod ad dexteram maiestatis sedet, habet etiam summam potestatem; maiestas namque est summa potestas. De qua quidem potestate, seu virtute loquens Apostolus ait (2): *Portansque omnia Verbo virtutis suae*; proprium enim est potentium portare. Et sic Christus, quia est maiestatis infinitae, velut princeps potentissimus portat omnia a) quantum ad suum esse, b) quantum ad operari, c) portat omnia per se.

a) Quantum ad suum esse. Ad rem D. Thomas: « Quantum ad primum sciendum est, quod id, quod de se nec stare nec ambulare potest, indiget portari. Omnis autem creatura, de se nec subsistere nec operari potest; primum patet, quia remota causa, removetur effectus; Deus autem est causa omnis substantiae, quia non minus est causa substantiae rei quantum ad fieri, quam domificator est causa fieri domus. Unde sicut ad absentiam domificatoris cessat fieri domus, et ad absentiam solis cessat fieri et esse luminis in aëre, ita ad subtractionem virtutis divinae cessat et esse et fieri et subsistere omnis creaturae. Portat ergo omnia quantum ad suum esse » (3). Christus ergo, qui est verus Deus, portat omnia quantum ad esse.

b) Portat etiam omnia quantum ad operari; quia, subtracta influenza eius, cessat omnis motio causarum secundarum, cum ipse sit causa prima, et causa prima plus influat quam secunda. Sic ergo patet quod omnia portat modo dicto. Specialiter de Christo per amorem sui sanctissimi Cordis potest

(1) Act. Apost. c. VII, v. 55.

(2) Ad Hebr. c. I, v. 3.

(3) D. THOM. In Epist. ad Hebr. I, 3.

dici quod portat omnia quantum ad operari in operibus gratiae; nam non solum ab Eo gratiam et apostolatam et vocationem accepimus, sed continuo exinde profluunt rivuli gratiarum, quibus et iusti constituuntur multi, et virtutibus ornantur plurimi, et Ecclesia immobilis super petram permanet, et diversi status diversis virtutibus florent, ac sacramentis ab ipso tamquam a sacro fonte manantibus, mundus universus abluatur, nutritur, roboratur, et in coelestia odora-menta virtutum erumpit.

c) Sed per quid portat? *Verbo virtutis suae*. Quia enim Apostolus loquens de creatione rerum dixit quod Deus omnia fecit per Filium: *per quem fecit et saecula*; ille autem per quem aliquis operatur, non videtur virtute sua operari, sed virtute eius, qui per eum operatur, sicut ballivus, per quem Rex operatur, non operatur virtute propria; ergo per hoc videtur quod Filius non operatur virtute propria. Ideo dicit Apostolus quod portat *Verbo virtutis suae*, quia cum idem sit causa essendi et conservandi, cum dicit quod Filius virtute sua est causa conservationis, ostendit quod etiam est causa essendi. Sed numquid non virtute Patris? Utique et eius virtute, quia eadem est virtus utriusque. Operatur ergo et virtute propria et virtute Patris, quia virtutem suam habet e Patre. Nec tamen Apostolus dicit: virtute sua, sed: *Verbo virtutis suae*, ad ostendendum, quod sicut Pater omnia per Verbum produxit, in quo ostenditur maxima virtus Patris, ita Filius eodem Verbo, quod est ipse, omnia fecit. Et in hoc ostendit Apostolus potentiam virtutis eius, quam eandem habet cum Patre, quia eadem operatur et per idem, quo ille (1).

Patet ergo sacratissimum Cor Iesu maiestatem habere infinitam ex hoc quod Christus habet auctoritatem supremam, stabilitatem aeternam et potestatem summam. Ideo Apostolus: *Sedet ad dexteram maiestatis in excelsis* (2). *Ad dexteram*; id est, habet unam et eandem cum Patre gloriam divinitatis, et beatitudinem et iudicariam potestatem, si ad naturam divinam

(1) *Expos. D. THOM. in Epist. ad Hebr. c. I, v. 3.*

(2) *Ad Hebr. c. I, v. 3.*

referatur; et hoc immutabiliter et regaliter (1), cum haec propositio: *ad*, solam personarum distinctionem importet et originis ordinem, non vero gradum naturae, vel dignitatis, qui nullus est in divinis. Quantum vero ad humanam naturam spectat, significat Christum esse in bonis potioribus Patris, quia humana natura in eo est beatior prae caeteris creaturis, et super omnes habet regiam potestatem et maiestatem.

Consequentia. Est ergo colendum. Hinc dixit Iesus B. Margaritae Alacoque: «a te requiro, ut feria sexta, quae post octavam festi Corporis mei proxima sequitur, Cordi meo colendo peculiariter sit dicata; qua die ad sacram mensam accedendo, iniuriae Cordi meo in altaris mysterio inflictas, eo maxime tempore, quo palam fidelium venerationi expositus sum, debiti honoris reparatione rependantur». Praeterea de ratione cultus est honorem exhibere, nam ideo aliquem colimus, quia venerationem ei reddendam sentimus. Cum autem honor debeat honorato esse proportionatus, ubi est singularis excellentia, ibi est ratio cultus specialis. Itaque cum sacratissimo Cordi competat excellentia summa propter infinitam Eius maiestatem, qua omnia transcendit, en qua de causa colendum sit supremo latrias cultu divinitatis proprio.

Nunc autem, quia «divinus cultus consistit vel in recipiendo aliqua divina, vel in tradendo aliis» (2), nos omnes sacratissimum Cor Iesu colentes, ita debemus illud mente humili et corpore casto venerari, ut et nobis thesauri gratiarum huius Cordis, proficiant, et per nos ad peccatores perveniat splendor et incendium ardentissimae charitatis Illius.

Affectus. O Cor venerabilissimum, in cuius nomine omne genuflectitur coelestium, terrestrium et infernorum! O Cor potentissimum quod dominaris a mari usque ad mare, et a flumine usque ad terminos orbis terrarum! O Cor, cuius maiestate repleta est omnis terra, cuius gloria pleni sunt coeli!

(1) *Sum. Theol. Tertia part., q. LVIII, a. 2.*

(2) *Sum. D. THOM. Tertia part., q. LXIII, a. 2.*

ego miser et pauper ante tuum conspectum genibus me pro-
volvo. O bone Iesu, ne proicias me a facie tua, infinitam
maiestatem tuam, Corde carneo velatam, colere ac venerari
cupientem. Sed quid dicam? Maiestatem suam carne velavit,
ut securior ad eum accederet homo mortalis. Nam venit « ipse
grandis ad parvulum, vivus ad mortuum. Et quid fecit? Iu-
venilia membra contraxit, tanquam seipsum exinaninans, ut for-
mam servi acciperet, parvum se parvo coaptavit, ut efficeret
corpus humilitatis nostrae conforme corpori gloriae suae » (1).

Deprecatio. Omnipotens sempiterne Deus, qui dedisti
famulis tuis in confessione verae fidei aeternae Trinitatis glo-
riam agnoscere et in potentia maiestatis adorare unitatem,
quaesumus, ut eiusdem fidei firmitate ab omnibus semper
muniamur adversis. (Ex Missa de SS. Trinitate).

(1) AUGUST. Sermo 55.



CONCIO V.

THEMA: Surge et metire templum Dei.

(Apoc. XI, 1).

IDEA CONCIONIS

PROPOSITIO. Cor Iesu reverendum, quia est Templum Dei sanctum.

DIVISIO. Est templum: I. ab aeterno mire praeordinatum; II. in tem-
pore mirabilis constructum; III. in coelo altissime sublimatum.

PARS I. Est templum praeordinatum, quia ab aeterno est praedestina-
tum esse Cor Filii Dei.

PARS II. Est mirabilis in tempore constructum quia a) ab artifice sa-
pientissimo; b) ex materia nobilissima; c) et ad formam perfectis-
simam formatum.

PARS III. Et in coelo altissime sublimatum quia a) super angelos et
sanctos fundatum; b) et in ipso Divinitatis solio elevatum.

Semper et ubique cultus externus Divinitati debitus ac-
quamvis diversimode tributus, non solum sacerdotium postu-
lavit, quod vice populi sacrificia offerre, laudes decantare, et
Dominum placare consueverit, sed loca ad cultum idonea
tribuendum singulariter deputata per specialem electionem,
vel consecrationem, quibus ad honorem tantum divinum vo-
luit ut electa manerent.

Quae quidem loca iam ab inde nomine *templi*, sive *altaris*
legimus appellata, electa et consecrata. Percelebre enim est
templum a Salomone Ierosolymis aedificatum, non solum
amplitudine, et magna auri et argenti copia, sed praesertim,
quia primum legimus vero Deo dicatum. Item, licet non

ego miser et pauper ante tuum conspectum genibus me pro-
volvo. O bone Iesu, ne proicias me a facie tua, infinitam
maiestatem tuam, Corde carneo velatam, colere ac venerari
cupientem. Sed quid dicam? Maiestatem suam carne velavit,
ut securior ad eum accederet homo mortalis. Nam venit « ipse
grandis ad parvulum, vivus ad mortuum. Et quid fecit? Iu-
venilia membra contraxit, tanquam seipsum exinaninans, ut for-
mam servi acciperet, parvum se parvo coaptavit, ut efficeret
corpus humilitatis nostrae conforme corpori gloriae suae » (1).

Deprecatio. Omnipotens sempiterne Deus, qui dedisti
famulis tuis in confessione verae fidei aeternae Trinitatis glo-
riam agnoscere et in potentia maiestatis adorare unitatem,
quaesumus, ut eiusdem fidei firmitate ab omnibus semper
muniamur adversis. (Ex Missa de SS. Trinitate).

(1) AUGUST. Sermo 55.



CONCIO V.

THEMA: Surge et metire templum Dei.

(Apoc. XI, 1).

IDEA CONCIONIS

PROPOSITIO. Cor Iesu reverendum, quia est Templum Dei sanctum.

DIVISIO. Est templum: I. ab aeterno mire praeordinatum; II. in tem-
pore mirabilis constructum; III. in coelo altissime sublimatum.

PARS I. Est templum praeordinatum, quia ab aeterno est praedestina-
tum esse Cor Filii Dei.

PARS II. Est mirabilis in tempore constructum quia a) ab artifice sa-
pientissimo; b) ex materia nobilissima; c) et ad formam perfectis-
simam formatum.

PARS III. Et in coelo altissime sublimatum quia a) super angelos et
sanctos fundatum: b) et in ipso Divinitatis solio elevatum.

Semper et ubique cultus externus Divinitati debitus ac-
quamvis diversimode tributus, non solum sacerdotium postu-
lavit, quod vice populi sacrificia offerre, laudes decantare, et
Dominum placare consueverit, sed loca ad cultum idonea
tribuendum singulariter deputata per specialem electionem,
vel consecrationem, quibus ad honorem tantum divinum vo-
luit ut electa manerent.

Quae quidem loca iam ab inde nomine *templi*, sive *altaris*
legimus appellata, electa et consecrata. Percelebre enim est
templum a Salomone Ierosolymis aedificatum, non solum
amplitudine, et magna auri et argenti copia, sed praesertim,
quia primum legimus vero Deo dicatum. Item, licet non

templa nuncupata, loca quaedam iam antea legimus vice altaris consecrata, cum « surgens Jacob mane, tulit lapidem, quem supposuerat capiti suo et erexit in titulum, fundens oleum desuper » (1). Iterum: Abraham « aedificavit quoque ibi altare Domino, et invocavit nomen eius » (2). Iterum « aedificavit autem Noë altare Domino » (3); et sic de Seth et de Abel. Et quid mirum si haeretici, si gentes, si barbari, suo quisque modo, templa adeunt, altaria erigunt ut deos suos colant commentitios? « Tulerunt Philistiim arcam Dei, et intulerunt eam in templum Dagon » (4).

Verumtamen, tot inter templa ad honorem Altissimi mirifice ornata et locupletissime ditata, nullum tanta maiestate dignum est ab hominibus aedificatum. Solus Deus templum sibi construere potuit dignum, in dilecti Filii sui sanctissimo Corde. En quare a me statuatur haec.

Propositio. *Cor Iesu reverendum, quia est templum Dei sanctum.*

Plura sunt quae in sacris litteris, per specialem sanctitatem consecrata, templa dicuntur. Christianorum corpora dicuntur templa: « Nescitis quoniam membra vestra templum sunt Spiritus sancti? » (5). Anima iusti dicitur templum: « Vos enim estis templum Dei vivi » (6). Coelum dicitur templum: « Et apertum est templum Dei in coelo » (7). Nullum tamen est quod sicut Cor Iesu, propter plenitudinem gratiae et sanctitatis, sit proprie templum Dei sanctum.

Divisio. Est enim templum: I. *Ab aeterno mire praedestinatum*; II. *In tempore mirabiliter constructum*; III. *In coelo altissime sublimatum.*

(1) GEN. XXVIII, 18.

(2) GEN. XII, 8.

(3) GEN. VIII, 20.

(4) I REGUM V, 2.

(5) I COR. VI, 19.

(6) II COR. VI, 16.

(7) APOC. XI, 19.

PARS I. — EST TEMPLUM AB AETERNO MIRE PRAEORDINATUM.

Cum Christo conveniat esse praedestinatus ex hoc quod unio naturarum in sua divina Persona cadit sub aeterna Dei praedestinatione, dico; Cor Iesu esse ab aeterno mire praedestinatum templum Dei sanctum, in quantum physice sumptum fuit, sicut tota humana Christi natura, praedestinatum uniri hypostatice Filio Dei: propter quod dicit D. Augustinus: « Ipsum Dominum gloriae, in quantum homo factus est Dei Filius, praedestinatum esse dicimus » (1). Ratio est quia haec praedeterminatio Cordis Christi ad esse Cor Filii, importat anterioritatem respectu unionis duarum naturarum; nam humana natura non semper fuit unita Verbo. Deinde haec praedeterminatio si consideretur quantum ad effectum temporalem, fuit donum Dei gratuitum; nam humanae gratis fuit collatum ut Verbo uniretur in unitate personae. Nunc autem, tam antecessio unionis quam effectus eius, seu gratia, pertinet ad praedestinationem proprie dictam, per quam Deus ab aeterno ordinavit ea quae fienda erant per gratiam in tempore. Hinc Concilium Toletanum II. in professione fidei habet: « Christum nec factum, nec praedestinatum esse, ut Deus »; sed statim subdit: « per hoc tamen quod de Maria Virgine natus est, et natus et factus et praedestinatus esse credendus » (2). Ergo sacratissimum Cor Iesu fuit ab aeterno praedestinatum templum Dei sanctum, in quantum fuit praedestinatum esse Cor Filii Dei. Ideo de Domino Iesu dicit Apostolus: « Qui praedestinatus est Filius Dei » (3). Notandum est tamen quod, cum praedeterminatio quamdam antecessionem importet, et Christus semper fuerit Deus et Dei Filius, dicendum est cum D. Thoma: « quod illa antecessio, quam importat hoc participium praedestinatus, non refertur ad per-

(1) Ex libro de praedestinatione Sanct. c. XV.

(2) Vide D. THOM. Summ. Theol., p. III, q. XXIV, a. 2.

(3) ROM. I, 4.

sonam secundum seipsam, sed ratione humanae naturae; quia scilicet persona illa, etsi ab aeterno fuerit Filius Dei, hoc tamen non fuit semper quod, subsistens in natura humana, fuerit Filius Dei. Unde Augustinus: « Praedestinatus est Iesus ut qui futurus erat secundum carnem Filius David, esset in virtute Filius Dei » (1).

PARS II. — EST TEMPLUM IN TEMPORE MIRABILIS
CONSTRUCTUM.

Quia Deus, utpote sapientissimus architector, habuit ab aeterno huius divinissimi templi ideam menti suae impressam per praedestinationem, quando tempus advenit, illud erexit per incarnationem. Ideo in tempore mirabilis constructum.

a) Quia ab artifice sapientissimo. Si enim primum hominem de terra terrenum Deus immediate et per se formavit, secundum de coelo coelestem a fortiori oportebat quod ipse efformaret. Ideo non potuit ab aliquo alio, ne velut a causa instrumentali quidem, nec debuit erigi Cor, quod natum erat ut templum Dei esset sanctum. Sicut ergo, cum virtutem activam, necessariam in generatione viventium, Spiritus Sanctus suppleverit: « Spiritus Sanctus superveniet in te » (2), sequitur quod Ipse fuit verus ac unus artifex qui hoc Cor construxit physice sumptum: qui propterea cum sit artifex sapientissimus, sapientissime condidit, perfectissime ornavit, mirabiliter erexit, tum quia respectus esset effectus ad causam, tum quia templum, in quo placide tota Trinitas moraretur, erigeret.

b) Quia ex materia nobilissima; ex purissimo namque sanguine Beatae Mariae Virginis. « Misit Deus Filium suum factum ex muliere » (3), cui Gabriel nunciaverat; « quod na-

(1) *Summa Theol.* p. III, q. XXIV, a. 1 ad 3.

(2) *LUC.* I, 35.

(3) *GALAT.* IV, 4.

scetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei » (1). « Tota invisibiliter Trinitas conceptionem operabitur in te; sola persona Filii Dei in corpore tuo nascitura, carnem assumet de te. Ideoque quod concipietur ex te, quod nascetur ex te, quod prodiet ex te, quod germinabitur ex te, quod parturietur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei » (2). « Factum ex muliere: quia conceptus ex utero virginali, carnem non de nihilo, non aliunde, sed materna traxit ex carne » (3). Hoc enim est secundum naturam in generatione viventium, quod mater materiam ministret ad proles formationem, sicut Patri competit virtus activa generatrix. Sicut ergo supra naturam fuit formatio corporis Christi ex parte principii acturi, nam fuit formatum ex Virgine, sic fuit secundum naturam quod formaretur ex muliere. Ideo: « Beatus venter qui te portavit » (4). Cum ergo caro B. Mariae Virginis sit in ratione materiae nobilissima, tum propter plenitudinem gratiae sanctificantis animae cui personaliter unita erat, tum propter finem quo Deus eam creaverat et ornaverat, sequitur Cor Iesu ex suo purissimo sanguine formatum, esse ex nobilissima materia constructum.

c) Et fuit ad formam perfectissimam: ad formam nempe secundum intentionem Verbi divini, cuius habitaculum esset dignum, cui per incomparabilem sanctitatem placide moraretur, quod velut capere posset et caperet. Si enim « Omnipotens sempiternus Deus gloriosae Virginis Matris Mariae corpus et animam, ut dignum Filii sui habitaculum effici mereretur, Spiritu Sancto cooperante, praeparavit » (5) supramodum excellentius praeparare et construere tenebat excellentissimum Cor Iesu, in quo non ad modum domus habitaculi, aut templi Verbum morari debebat, sed illud sibi personaliter adhaerere decreverat.

(1) *LUC.* I, 35.

(2) S. ILDEFONSUS *Lib. de virg. B. Mariae Virginis.*

(3) V. BEDAE, *Lib. IV, XLIX.*

(4) *LUC.* XI, 27.

(5) *Eccl. in Offic. B. Mariae Virg.*

PARS III. — EST TEMPLUM IN COELO ALTISSE
SUBLIMATUM.

Tandem, Cor Iesu est templum nunc in coelo altissime sublimatum. Quamvis fundamenta eius fuerunt in coelo firmata, « Visitavit nos oriens ex alto » (1) hoc ad plenitudinem gratiae et veritatis suae spectare videtur, non vero ad vitam passibilem, per quam fundamenta in hoc mundo firmavit. Post vero passibilem vitam fuit per suam ascensionem templum sublimatum.

a) quia super angelos et sanctos fundatum: « Constituit illam supra omnem principatum et potestatem, et supra omne nomen quod nominatur sive in hoc saeculo sive in futuro » (2). Nam quamvis hoc Cor secundum conditiones naturae humanae sit Angelis inferius, est tamen dignitate excellentius unione qua est personaliter Deo coniunctum. Ideoque ei competit altissimum locum super omnem creaturam, etiam spiritualem, cum tanto alicui rei debeatur altior locus quanto est nobilior (3).

b) Praeterea in coelo altissime sublimatum, quia fuit in ipso divinitatis solio elevatum: « Sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis »; id est Christus est in aequalitate divinitatis et gloriae quoad naturam divinam, et in potioribus bonis Patris, si ad naturam referatur humanam. Unde D. Thomas scribit: « Nomine dexterae Patris intelligitur vel ipsa gloria Deitatis ipsius vel beatitudo aeterna eius vel potestas iudiciaria et regalis. Haec autem praepositio ad quemdam accessum ad dexteram designat; in quo designatur convenientia cum quadam distinctione. Quod quidem potest esse tripliciter. Uno modo, ut sit convenientia in natura, et distinctio in persona: et sic Christus, secundum quod Filius Dei, sedet ad dexteram Patris, quia habet eandem naturam

(1) Luc. I, 78.

(2) Eph. I, 21.

(3) D. Thom. Summ. Theol., p. III, q. LVII, a. 5.

cum Patre: unde praedicta conveniunt essentialiter Filio, sicut et Patri; et hoc est esse in aequalitate Patris. Alio modo, secundum gratiam unionis, quae importat e converso distinctionem naturae, et unitatem personae. Et secundum hoc Christus secundum quod homo, est Filius Dei, et per consequens ad dexteram Patris; ita tamen quod *ly secundum quod* non designet conditionem naturae, sed unitatem suppositi. Tertio modo, potest praedictus accessus intelligi secundum gratiam habitualement, quae abundantior est in Christo prae omnibus aliis creaturis, in tantum quod ipsa natura humana in Christo est beator caeteris creaturis et super omnes alias creaturas habens regiam et iudiciariam potestatem » (1).

Consequentia. Ergo est reverendum. Si enim quae habent aliquam excellentiam solent haberi in reverentia, sicut templa, vasa, et ministri quia ad divinum cultum deputata, et hoc quamvis insensibilia sint; quanto magis Cor Iesu, quod est templum vivum Dei viventis, erit reverendum? Et si, quia reverentia respicit directe personam excellentem, tanta maior debetur alicui reverentia, quanto excellentior est, nulli sicut Cordi Iesu reddenda, quod personae divinae est. Et si laudabile est revereri homines ratione alicuius divini dati scilicet gratiae, et virtutis, vel ratione naturalis imaginis Dei, multo laudabilius est Cor Iesu revereri plenum gratiae et veritatis, Cor Filii Dei naturalis, qui est imago Dei invisibilis.

Affectus. Si nos, dicente Apostolo, sumus templum Dei vivi, quia gratia Spiritus Sancti ornati; quam magnificentius templum est Iesus plenus gratia et Spiritu Sancto? Et si membra nostra templum sunt Spiritus Sancti, qui habitat in eis per charitatem et per ea charitatis opera exequimur, quam sublimius est templum Cor Iesu, in quo corporaliter immoratur Spiritus Dei, dicente Apostolo? (2) Si ergo nosmetipsos

(1) P. III, q. LVIII, a. 3.

(2) Coloss. II.

per hanc sanctitatem revereri debemus, quanto magis Cor Iesu quod est templum sanctitate Dei plenum? Ego te adoro, o Cor Iesu, templum Dei infinita reverentia dignum: utinam in omnibus templis in quibus sacramentaliter manes, eadem qua in coelo, reverentia prosequeris! Ego in omnibus summa qua possum reverentia te adoro et agnosco: et pro reparatione iniuriarum, quas peccatores infligerunt tibi, templa tua, et vasa sacra, et corpus tuum profanando, spernendo, urendo vel modo quocumque pollueno, merita infinita Cordis tui tibi et Patri offero.

Deprecatio. Deus, qui de vivis et electis lapidibus aeternum maiestati tua preparas habitaculum, auxiliare populo tuo suplicanti, ut quod Ecclesiae tuae corporalibus proficit spatiis, spiritualibus amplificetur augmentis (1).

(1) Ex Missa pro Anniversario Dedicationis Ecclesiae.



CONCIO VI.

THEMA: Ponam tabernaculum meum
in medio vestri.

(Levit. XXVI, 11).

IDEA CONCIONIS

PROPOSITIO. Cor Iesu circumeumdum, quia est Tabernaculum Altissimi.
DIVISIO. Est Tabernaculum: I. quo Altissimus est universo mundo ostensus; II. in quo reveritus; III. propter quod dilectus.

PARS I. Nam a) iudaeis per se; b) gentilibus per Apostolos; c) omnibus per Ecclesiam, Altissimus est in Tabernaculo Cordis Iesu ostensus.

PARS II. a) Subiectione operis; b) et confessione oris.

PARS III. a) Recognitione charitatis eius; b) participatione bonitatis ipsius.

Hoc interest tabernaculum inter ac templum, quod templum dicitur quid immobile et tabernaculum est templum mobile, ad similitudinem tabernaculi foederis quod erat templum mobile et templum Salomonis quod fuit stabile. Sic sacratissimum Cor Iesu dicimus tabernaculum Altissimi, quia fuit velut templum mobile Dei viventis: per Christi namque humanitatem, cuius Cor erat praecipua pars, Verbum cum hominibus conversatum est, Iudaeam pertransivit et ad dis-
sitas usque orbis terrarum regiones divinitatis cognitio pervenit. Nunc autem ipsum divinum Verbum incarnatum nobiscum est quotiescumque ac ubicumque Sacramentum Eucharistiae conficitur.

Triplex ergo est tabernaculum Dei; tabernaculum foederis iuxta illud: « Et eriges tabernaculum iuxta exemplar quod tibi in

per hanc sanctitatem revereri debemus, quanto magis Cor Iesu quod est templum sanctitate Dei plenum? Ego te adoro, o Cor Iesu, templum Dei infinita reverentia dignum: utinam in omnibus templis in quibus sacramentaliter manes, eadem qua in coelo, reverentia prosequeris! Ego in omnibus summa qua possum reverentia te adoro et agnosco: et pro reparatione iniuriarum, quas peccatores infligerunt tibi, templa tua, et vasa sacra, et corpus tuum profanando, spernendo, urendo vel modo quocumque pollueno, merita infinita Cordis tui tibi et Patri offero.

Deprecatio. Deus, qui de vivis et electis lapidibus aeternum maiestati tua preparas habitaculum, auxiliare populo tuo suplicanti, ut quod Ecclesiae tuae corporalibus proficit spatiis, spiritualibus amplificetur augmentis (1).

(1) Ex Missa pro Anniversario Dedicationis Ecclesiae.



CONCIO VI.

THEMA: Ponam tabernaculum meum
in medio vestri.

(Levit. XXVI, 11).

IDEA CONCIONIS

PROPOSITIO. Cor Iesu circumeumdum, quia est Tabernaculum Altissimi.
DIVISIO. Est Tabernaculum: I. quo Altissimus est universo mundo ostensus; II. in quo reveritus; III. propter quod dilectus.

PARS I. Nam a) iudaeis per se; b) gentilibus per Apostolos; c) omnibus per Ecclesiam, Altissimus est in Tabernaculo Cordis Iesu ostensus.

PARS II. a) Subiectione operis; b) et confessione oris.

PARS III. a) Recognitione charitatis eius; b) participatione bonitatis ipsius.

Hoc interest tabernaculum inter ac templum, quod templum dicitur quid immobile et tabernaculum est templum mobile, ad similitudinem tabernaculi foederis quod erat templum mobile et templum Salomonis quod fuit stabile. Sic sacratissimum Cor Iesu dicimus tabernaculum Altissimi, quia fuit velut templum mobile Dei viventis: per Christi namque humanitatem, cuius Cor erat praecipua pars, Verbum cum hominibus conversatum est, Iudaeam pertransivit et ad dis-sitas usque orbis terrarum regiones divinitatis cognitio pervenit. Nunc autem ipsum divinum Verbum incarnatum nobiscum est quotiescumque ac ubicumque Sacramentum Eucharistiae conficitur.

Triplex ergo est tabernaculum Dei; tabernaculum foederis iuxta illud: « Et eriges tabernaculum iuxta exemplar quod tibi in

monte monstratum est » (1), in quo Deus habitavit, sed solum in figura nubis: « operuit nubis tabernaculum testimonii et gloria Domini implevit illud » (2). Coelum quod est perfectius tabernaculum, iuxta illud: « Ecce tabernaculum Dei cum hominibus et habitabit cum eis » (3). Et tandem Christus de quo dictum fuit: « Ponam tabernaculum meum in medio vestri, et non abiiciet vos anima mea. Ambulabo inter vos et ero Deus vester, vosque eritis populus meus » (4).

En ergo

Propositio. *Cor Iesu circumeundum quia est tabernaculum Altissimi.*

Super illud: « Christus autem assistens Pontifex futurorum bonorum per amplius et perfectius tabernaculum non manufactum, introivit semel in sancta... » (5) dicit D. Thomas: « Per tabernaculum potest Christi corpus intelligi in quo contra diabolum pugnavit. Quod est per amplius, quia in ipso habitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter (6). Item perfectius est quia vidimus gloriam eius, gloriam quasi unigeniti a Patre plenum gratiae et veritatis (7). Item non manufactum quia non ex virili semine. « Abscissus est lapis de monte sine manibus » (8).

Ergo a fortiori est sanctissimum Cor tabernaculum Altissimi in quo specialiter et habitat plenitudo Divinitatis, et apparet Verbo Dei intime seu substantialiter unitum, et est a Spiritu Sancto formatum. Cum ergo tabernaculum sit templum mobile ut diximus, Cor Iesu est tabernaculum.

(1) EXOD. XXXVI, 30.

(2) EXOD. XL, 32.

(3) APOC. XXI, 3.

(4) LEVIT. XXVI, 11, 12.

(5) HEBR. IX, 11.

(6) COLOSS. I, 19.

(7) IOANN. I, 14.

(8) DANIEL. II, 34.

Divisio. I. *Quo Altissimus est universo mundo ostensus; II. In quo Altissimus est ab universo mundo reveritus; III. Propter quod Altissimus est ab universo mundo dilectus.*

PARS I.

Est tabernaculum, quo Altissimus est universo mundo ostensus. Quia altiora Dei nemo novit, nemo scit nisi Filius qui est unum cum Patre: « Neque Patrem quis novit nisi Filius » (1), ideo sacratissimum Cor est velut arca mysteriorum Dei et receptaculum thesaurorum sapientiae et scientiae quae homo nequit vi suae naturae adipisci, nisi a Filio revelentur: *et cui voluerit Filius revelare.* Nunc autem ut veram Dei notitiam praeberet, misit Pater Filium suum in mundum: « Ego in hoc natus sum, et ad hoc veni in mundum ut testimonium perhibeam veritati » (2). Et prae-buit. « Omnia quaecumque audivi a Patre meo, nota feci vobis » (3). Et prae-buit omnibus: « Ego palam locutus sum mundo » (4). Diversimode tamen; iudaeis per se: gentilibus per apostolos: omnibus per Ecclesiam.

a) Iudaeis per se. Ipse Christus docuit per se Iudaeos et ita oportebat ait D. Thomas (5): primo ut ostenderet per suum adventum impleri promissiones antiquitus factas iudaeis, non gentilibus. Unde Apostolus dicit (6): « Dico Christum Iesum ministrum fuisse circumcisionis » (id est apostolum et praedictorem iudaeorum) « propter veritatem Dei, ad confirmandas promissiones Patrum ». Secundo ut ostenderet adventum suum esse a Deo; nam debitus ordo exigebat ut iudaeis, qui Deo erant propinquiores per fidem et cultum unius Dei, prius Christi doctrina

(1) MATTH. XI, 27.

(2) IOANN. XVIII, 37.

(3) IOANN. XV, 15.

(4) IBID. XVIII, 20.

(5) P. III, q. XLII, a. 1.

(6) ROM. XV, 8.

proponeretur et per eos ad gentes transmitteretur. Unde super illud: « Non sum missus nisi ad oves quae perierunt domus Israel » (1) dicit Hieronymus: non hoc dicit quin et ad gentes missus sit, sed quod primum ad Israel missus est (2). Tertio ut iudaeis auferret calumniandi materiam dicentes ideo se Dominum reiecis. Et per hunc modum Altissimus propositus et cognitus a iudaeis fuit per Christum, in cuius sanctissimo, Corde ad modum tabernaculi et ostensorii, Iudaeae innotuit.

b) Gentilibus per Apostolos, dum mandatum Domini exequentes: « Euntes in universum mundum, praedicate Evangelium omni creaturae » (3); in omnem terram exivit sonus eorum et in fines orbis terrae verba eorum (4). Nec tamen Apostoli in mundum missi fuerunt solum praedicandi causa, et suis viribus confissi, sed ut Deum, quem nuntiabant, praeberent; et in Deo quem aliis praebebant, confiderent. Unde quem eos elegerat ut fructum afferrent, secum portabant, non in mente et corde tantum per cognitionem et amorem, sed vere et realiter, potestate sanctissimum Eucharistiae sacramentum conficiendi: quod quidem et primaevis sanctis communicabant et conventibus eorum adorandum praebebant. Et ita per Iesum Christum, ad modum tabernaculi ab humeris Apostolorum lati in mundum universum, Altissimus a gentibus cognitus fuit. Tunc adimpletum est quod dictum fuerat: « Et alias oves habeo quae non sunt ex hoc ovili: et illas oportet me adducere et vocem meam audient et fiet unum ovile et unus pastor » (5).

c) Omnibus per Ecclesiam. Tandem quia Christus venit vocare omnes non solum iudaeos et gentiles, sed omnes homines in posterum futuros, Ecclesiam supra petram fundavit, cuius cum ipse sit invisibile caput, in aeternum manens, et regit eam sua auctoritate et alit sua gratia et vivificat sua charitate; proindeque est usque in finem saeculi duratura: « Ego vobiscum sum

(1) MATTH. XV, 24.

(2) In hunc locum.

(3) MARC. XVI, 15.

(4) PSALM. XVIII, 5.

(5) IOANN. X, 16.

omnibus diebus usque ad consummationem saeculi » (1). Nunc autem sicut tunc per Apostolos gentes evangelizavit, nunc per eorum successores, Romanum Pontificem nempe et Episcopos qui Ecclesiam docentem constituunt, doctrinam et gratiam nationibus praebet. Tabernaculum ergo sacratissimi Cordis non evanuit, dum Apostoli e vita decenerunt; sed ab humeris eorum in humeros suorum successorum translatus, in media Ecclesia manet, et in posterum permanebit, ut omnes praesentes et futuri queant Altissimum Deum in eo commorantem recognoscere: « ponam tabernaculum meum in medio vestri » (2).

PARS II. — IN QUO REVERITUS.

Quia reverentia respicit excellentiam, ubi est specialis excellentia, ibi est speciale motivum reverentiae. Ideo ait D. Thomas (3): « Consuetudo hominum inolevit ut reges et principes, quos oportet in reverentia haberi a subditis, et pretiosioribus vestibus ornentur et etiam ampliores et pulchriores habitationes possideant. Et propter hoc oportuit ut aliqua specialia tempora et speciale tabernaculum et specialia vassa et speciales ministri ad cultum Dei ordinarentur, ut per hoc animi hominum ad maiorem Dei reverentiam adducerentur ». Cum autem excellentia Dei sit eminentissima, oportuit ut tabernaculum sibi Ipse construeret excellentissimum, id est peramplius, perfectius et non manufactum (4), in Corde Iesu, in quo velut in sede condigna, Altissimus moraretur ac inter homines deferretur. Et sicut in tabernaculo foederis hebraei Deum adorabant figuratiter commorantem; « stabantque ipsi et adorabant per fores tabernaculorum suorum » (5): oportuit ut in sanctissimo Corde Iesu, cuius tabernaculum Moysis erat tantam figura, Altissimus

(1) MATTH. XXVIII, 20.

(2) LEV. XXVI, 11.

(3) P. II, q. CII, a 4.

(4) HEBR. IX, 11.

(5) EXOD. XXXIII, 10.

ab hominibus in reverentia haberetur. Modum autem quo intelligendum est Cor Iesu esse tabernaculum in quo Altissimus colendus, mentem D. Thomae sequendo (1), breviter exponam. Cum Christi sit duplex natura et unum suppositum, persona in utraque subsistens est Deus simul et homo. Cor ergo Iesu, nempe Cor hominis Christi, est Cor Filii Dei. Ergo dupliciter de Eo, ut tabernaculo Altissimi, loqui possumus. Uno modo inquantum Pater complacuit sibi ab aeterno in dilecto Filio suo.

Alio modo inquantum Pater elegit Cor carneum hominis Christi ut esset Cor Verbi, non per aliquam confusionem, quia alia est natura Dei, alia est natura humana, sed ut esset Cor Dei per gratiam non adoptionis, sed unionis, qua simul esset Cor Dei et Cor hominis: ut possit dici quod illud Cor factum ex semine David secundum carnem, praedestinatum esse tabernaculum Dei in virtute (id est, esse Cor Filii Dei).

Et sic intelligendum est Cor Iesu esse tabernaculum in quo Altissimus est reveritus ab universo mundo; in eo namque deferebatur. Sic ergo ante Cor Iesu omne genu flectitur, coelestium, terrestrium et infernorum et omnis lingua confitetur quia Cor Domini Iesu Christi est Cor Filii Dei Patris, ad similitudinem eius quod scribit Apostolus de sanctissimo Nomine Iesu (2). Et secundum hoc dupliciter ponitur exhibitio reverentiae:

In subiectione operis: Ante Cor Iesu omne genu flectitur: Et in confessione oris: Et omnis lingua confitetur.

a) Si enim omne genu flectitur in nomine Iesu, quod est nomen hominis, ideo quia Pater dedit hoc nomen ei, etiam secundum quod homo; a fortiori omne genu flecti debet ante Cor Iesu: nam si nomen est reverendum propter id quod significat, Cor est plus reverendum propter Verbum cui personaliter coniungitur. Ideo ante Cor Iesu omne genu flectitur, id est reverentiam exhibet. Coelum subiectione voluntaria:

(1) *Expos. epist. ad Philipp.* c. II, super illud « Donavit illi nomen ».
(2) *PHILIPP.* II, 10 et 11.

« Et adorent eum omnes Angeli Dei » (1). Item iusti viatores: « Omnes gentes quascumque fecisti, venient et adorabunt te Domine » (2). Tandem daemones et damnati, quamvis involuntarie, tamen subiiciuntur; « daemones credunt et contremiscunt » (3).

b) Deinde ponitur exhibitio reverentiae in confessione oris. Omnis lingua, scilicet coelestium, terrestrium et infernorum. Non de confessione laudis dicitur hoc respectu inferorum, sed de coacta quae fit per recognitionem Dei, ut dicit D. Thomas (4). Ideo laudatur a coelis: « Dignus est agnus qui occisus est accipere virtutem » (5). Et laudatur in terris: « Cantate Domino canticum novum: laus eius in Ecclesia sanctorum » (6).

PARS III. — PROPTER QUOD DILECTUS.

Restat tandem ut sacratissimum Cor aspiciamus uti tabernaculum propter quod Altissimus est ab universo mundo dilectus. Diximus ab initio huius concionis, Deum manifestatum esse mundo universo in Sacratissimo Corde Iesu velut in ostensorio seu tabernaculo; cum autem in eo supramodum amator hominum ostendatur, en quare propter illud diligendum.

a) Per Iesum, mundus bonitatem Dei cognovit. De amore quo creaturas, et praecipue rationalem, Deus prosequitur, non erant conscii homines ante Christum, natione iudeorum excepta; maxima enim pars nec eum cognoscebat, ut ait Apostolus: « Eratis aliquando tenebrae » (7). Sed venit Iesus ut lux vera, quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum (8), et altissima Divinitatis mysteria eos docuit, et Deum

(1) *HEBR.* I, 6.

(2) *PSAL.* CXXXV, 9.

(3) *IACOB.* II, 19.

(4) *Expos. epist. ad Philipp.* in hunc loc.

(5) *APOC.* V, 12.

(6) *PSAL.* CXLIX, 1.

(7) *EPHES.* V, 8.

(8) *IOANN.* I, 9.

se esse et verbis et factis monstravit. Praedicavit descensum de coelis esse a Patre dispositum ut oves quaereret quae perierant ex domo Israel, ut quaereret et saluum faceret quod perierat, id est totum quaereret, totum instauraret, totum enim perierat: et hoc initium ex amore infinito Dei sumpsisse: «Sic Deus dilexit mundum ut Filium suum unigenitum daret: ut omnis qui credit in ipsum, non pereat sed habeat vitam aeternam» (1). Tunc cognoverunt gentes Deum esse causam omnis boni naturalis, et supernaturalis gratiae, per Christum quem non agnoscentes «non rationali, sed naturali appetitu desiderabant» (2), et qui aliquando erant longe, facti sunt prope per Ipsum: *eratis aliquando tenebrae, nunc autem lux in Domino*.

b) Sed non solum universus mundus per Christum cognovit bonitatem Dei, sed de ipsa factus est particeps: «Ego veni ut vitam habeant et abundantius habeant» (3), id est ut oves meae, ut electi mei vitam habeant veram, spiritualementem, vitam gratiae et vitam gloriae; et hoc abundantius; nempe nec vitam solum sed et genus omne felicitatis. Per Cor Iesu, in quo sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae Dei, facti sumus participes vitae cognitionis Dei rerumque divinarum, nam; «omnia quaecumque audivi a Patre meo nota feci vobis» (4). Per illud quod est fornax ardens charitatis facti sumus participes charitatis Dei: «ignem veni mittere in terram et quid volo nisi ut accedatur?» (5). Per ipsum et in ipso qui est unum cum Patre, disponimur ad participationem vitae fructificationis ac visionis Dei in patria: «Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi» (6). Cum de ratione boni sit communicatio, de ratione boni summi est communicatio summa. Cum ergo haec summa communicatio facta sit a Deo Cordi Iesu, Verbo Dei substan-

(1) IOANN. III, 6.

(2) A LAP. tom. XIV, pag. 336.

(3) IOAN. X, 10.

(4) IOAN. XV, 15.

(5) LUC. XII, 49.

(6) MATH. XXV, 34.

tialiter unito, et huius Cordis fiat nobis intima per Eucharistiam communicatio, sequitur hoc Cor esse maximum bonitatis divinae argumentum, cuius omnes participes facti sumus. Ideo Augustinus super illud: «Ego veni ut vitam habeant et abundantius habeant»; scribit: «Id dixisse videtur ut vitam habeant ingredientes et abundantius habeant egredientes. Non autem potest quisque per ostium, id est per Christum egredi ad vitam aeternam, quae erit in specie, nisi per ipsum in Ecclesiam eius, quae est ovile eius, intraverit ad vitam temporalem, quae est in fide. Ideo ait: Ego veni ut vitam habeant; hoc est fidem, quae per dilectionem operatur; per quam fidem in ovile ingrediuntur ut vivant, quia iustus ex fide vivit; et abundantius habeant, qui perseverando usque in finem, per illud ostium, id est per fidem Christi egrediuntur, quoniam veri fideles moriuntur: et abundantius habebunt vitam, veniendo quo Pastor ille praecessit, ubi nunquam deinde morientur» (1).

Consequentia. Ergo circumeundum. Quod ait enim Dominus populo Israelitico; «ponam tabernaculum meum in medio vestri, et non abiiciet vos anima mea: ambulabo inter vos et ero Deus vester, vosque eritis populus meus» (2); allegorice significat praesentiam realem Iesu in medio populi christiani: Iesus autem non est proprie in medio nostri, nisi eum circumeamus. Ideo ambulabo inter vos, id est in medio vestri, per praesentiam, quando cum hominibus conversari dignatus est; per gratiam quam singulis dividit prout vult; et per Eucharistiam, qua realiter manet in medio nostri. Sicut ergo dum vitam agebat mortalem aiebat, venite ad me omnes, id est circumite me omnes, accedite ad me omnes, ita nunc vult ab omnibus circumiri; ideoque non uno tantum loco seu templo permanet visitandum: et praecipue in solemnioribus Corporis Christi et Cordis sui sanctissimi festis, in medio

(1) Tract. 45 in Ioann. n. 15.

(2) LEVIT. XXVI, 11, 12.

nostri per vicos et civitatis plateas triumphaliter ducitur, sola adorandi, reverendi et circumeundi causa.

Affectus. O Cor amantissimum! O Cor versus miseros mortales compassione plenum! O Iesu bone, Iesu amans, Iesu compatiens! Tu non dedignatus est nostram naturam infirmam assumere ut curares, pauperem ut ditares, caecam ut illuminares, cassam ut redimeres, perditam ut salvares! O charitas inaudita! Tu vocasti nos ut oppressos lebares, ignaros erudires, debiles reficeres ac omnes salvares. O charitas immensa! Sed tamen tu nobiscum mansisti, inter nos moraris, omnes auscultas, cum omnibus loqueris, et omnibus te praebeas. O charitas divina! Et quia nulli dubium sit de bonitate Dei ad tantam gratiam nos vocantis, praebeas hisce temporibus Cor tuum, per universum mundum diffundens cognitionem maiestatis Patris, amoris Filii, gratiae Spiritus Sancti ad modum tabernaculi Dei viventis! O charitas infinita!

Deprecatio. Omnipotens sempiterne Deus qui gloriam tuam omnibus in Christo gentibus revelasti: custodi opera misericordiae tuae ut Ecclesia tua toto orbe diffusa, stabili fide in confessione tui nominis perseveret (Ex Missali rom., seria VI. in Parasceve).

CONCIO VII.

THEMA: Aedificabo mihi domum latam.

(Ierem. c. XXII, v. 14).

IDEA CONCIONIS

PROP. Ante Cor Iesu standum, quia est Domus Dei.

DIVISIO. Est Domus: I digna Deo, II grata Deo, III capax Dei.

PARS I. Est Domus digna Deo: *a*) gratia infinita unionis huius Cordis cum Verbo; *b*) plenitudine gratiae hoc Cor ab initio conceptionis Christi sanctificantis.

PARS II. Est Domus grata Deo: *A*) sanctitate carnis: quia *a*) de Sanctissima Virgine sumpta; *b*) de Spiritu Sancto concepta; *c*) et animae sanctissimae coniunctae. *B*) Sanctitate animae: quia *a*) est Deo intime unita; *b*) a maculis quibuslibet mundissima; et *c*) in bono firmissima. *C*) Sanctitate Verbi, cuius est Cor sacratissimum Iesu.

PARS III. Est Domus capax Dei: quia *a*) est Cor Eius, qui infinitas Divinitatis perfectiones continet; *b*) quia Verbo personaliter coniungitur.

Exordium. Splendorem domus et magnificentiam Domini commorantis in ea enarrans propheta Baruch, aiebat: « O Israël, quam magna est domus Dei, et ingens locus possessionis eius! Magnus est, et non habet finem; excelsus et immensus » (1).

Et revera. Cum Deus, quia immensus, sit in omnibus et ubique per potentiam in quantum omnia eius potestati subduntur; et per praesentiam in quantum omnia nuda sunt et aperta oculis eius; et per essentiam, in quantum adest omnibus ut causa essendi (2), omnia sunt velut domus magna, quam

(1) Cap. III, vv. 24 et 25.

(2) D. THOM. p. I, q. VIII, a. 3.

nostri per vicos et civitatis plateas triumphaliter ducitur, sola adorandi, reverendi et circumeundi causa.

Affectus. O Cor amantissimum! O Cor versus miseros mortales compassione plenum! O Iesu bone, Iesu amans, Iesu compatiens! Tu non dedignatus est nostram naturam infirmam assumere ut curares, pauperem ut ditares, caecam ut illuminares, cassam ut redimeres, perditam ut salvares! O charitas inaudita! Tu vocasti nos ut oppressos lebares, ignaros erudires, debiles reficeres ac omnes salvares. O charitas immensa! Sed tamen tu nobiscum mansisti, inter nos moraris, omnes auscultas, cum omnibus loqueris, et omnibus te praebeas. O charitas divina! Et quia nulli dubium sit de bonitate Dei ad tantam gratiam nos vocantis, praebeas hisce temporibus Cor tuum, per universum mundum diffundens cognitionem maiestatis Patris, amoris Filii, gratiae Spiritus Sancti ad modum tabernaculi Dei viventis! O charitas infinita!

Deprecatio. Omnipotens sempiterne Deus qui gloriam tuam omnibus in Christo gentibus revelasti: custodi opera misericordiae tuae ut Ecclesia tua toto orbe diffusa, stabili fide in confessione tui nominis perseveret (Ex Missali rom., seria VI. in Parasceve).

CONCIO VII.

THEMA: Aedificabo mihi domum latam.

(Ierem. c. XXII, v. 14).

IDEA CONCIONIS

PROP. Ante Cor Iesu standum, quia est Domus Dei.

DIVISIO. Est Domus: I digna Deo, II grata Deo, III capax Dei.

PARS I. Est Domus digna Deo: *a*) gratia infinita unionis huius Cordis cum Verbo; *b*) plenitudine gratiae hoc Cor ab initio conceptionis Christi sanctificantis.

PARS II. Est Domus grata Deo: *A*) sanctitate carnis: quia *a*) de Sanctissima Virgine sumpta; *b*) de Spiritu Sancto concepta; *c*) et animae sanctissimae coniunctae. *B*) Sanctitate animae: quia *a*) est Deo intime unita; *b*) a maculis quibuslibet mundissima; et *c*) in bono firmissima. *C*) Sanctitate Verbi, cuius est Cor sacratissimum Iesu.

PARS III. Est Domus capax Dei: quia *a*) est Cor Eius, qui infinitas Divinitatis perfectiones continet; *b*) quia Verbo personaliter coniungitur.

Exordium. Splendorem domus et magnificentiam Domini commorantis in ea enarrans propheta Baruch, aiebat: « O Israël, quam magna est domus Dei, et ingens locus possessionis eius! Magnus est, et non habet finem; excelsus et immensus » (1).

Et revera. Cum Deus, quia immensus, sit in omnibus et ubique per potentiam in quantum omnia eius potestati subduntur; et per praesentiam in quantum omnia nuda sunt et aperta oculis eius; et per essentiam, in quantum adest omnibus ut causa essendi (2), omnia sunt velut domus magna, quam

(1) Cap. III, vv. 24 et 25.

(2) D. THOM. p. I, q. VIII, a. 3.

divina maiestas inhabitat et replet, dicente Ieremia: « Numquid non coelum et terram ego impleo, dicit Dominus? (1) Ideo David: « Quo ibo a Spiritu tuo, et quo a facie tua fugiam? Si ascendero in coelum, Tu illic es; si descendero in infernum, ades » (2).

Et non tantum replet, sed et superat: « Excelsior coelo est, et quia facies? profundior inferno, et unde cognosces? Longior terra mensura eius et latior mari (3). Quis ergo poterit praevalere, ut aedificet ei dignam domum? (4). Templum Salomonis fuit domus Dei, templa christianorum sunt domus Dei, mundus universus est domus Dei, coelum est domus propria Dei. Sed nec templa, nec animae iustorum, nec mundus, nec coelum sunt domus sufficiens immensitati Dei. « Si coelum et coeli coelorum eum capere nequeunt; quantus ego sum, ut possim aedificare ei domum? » (5) Tantum Cor Iesu: et vero ac proprio sensu solum illud est domus Dei. Ideo.

Propositio. *Ante Cor Iesu standum, quia est domus Dei.* Sicut inter se differunt templum et tabernaculum, ita utrumque distinguitur a domo. Illa enim sunt ad honorem Deo tribuendum electa et consecrata; domus autem mansionem importat, adoratione praetermissa. Et quamvis templum et tabernaculum sint etiam mansiones Dei, sunt tamen simpliciter; vel quia Deus est in eis solum figuraliter, vel quia, licet realiter, solum ad tempus; nullum enim templum, seu tabernaculum est, in quo Deus aeternum consistat. Tantum domus mansionem permanentem importat. Et sic vere ac proprie solum Cor Iesu est domus Dei.

Divisio. Quia est domus: I. *Digna Deo*; II. *Grata Deo*; III. *Capax Dei*.

(1) Ierem. XXIII, 24.

(2) Psalm. XXXVIII, v. 7.

(3) Iob. cap. XI, vv. 8 et 9.

(4) II Paralip. II, 6.

(5) II Paralip. II, 6.

PARS I. — DIGNA DEO.

Duplici ratione sacratissimum Cor Iesu est domus digna Deo.

a) Gratia infinita unionis huius Cordis cum Verbo. Nam unio naturarum in Christo est facta per gratiam, dicente D. Augustino: « Ea gratia fit ab initio fidei suae homo quicumque christianus, qua gratia homo ille ab initio suo factus est Christus » (1). Et ut scribit D. Thomas: « Si gratia accipiat ipsa Dei voluntas gratis aliquid faciens, vel gratum, seu acceptum aliquem habens; unio Incarnationis facta est per gratiam, sicut et unio sanctorum ad Deum per cognitionem et amorem. Si vero gratia dicatur ipsum gratuitum Dei domum, sic ipsum quod est humanam naturam esse unitam personae divinae, potest dici quaedam gratia, inquantum nullis praecedentibus meritis hoc est factum; non autem ita quod sit aliqua gratia habitualis, qua mediante talis unio fiat » (2).

Nunc autem haec gratia est infinita: nam est ipsum uniri personaliter Filio Dei, quod quidem est pretii infiniti, secundum quod ipsa persona Verbi est infinita. Si ergo gratia reddit animam mansionem Deo placentem, « mansionem apud eum faciemus » (3), a fortiori, gratia infinita unionis, est Cor Iesu domus digna Deo.

b) Secunda ratio sumitur a plenitudine gratiae Cor hoc ab initio conceptionis Christi sanctificantis. Gratia enim unionis fuit velut fons et origo omnium caeterarum gratiarum homini Christo collatarum: ideoque, « vidimus eum plenum gratiae et veritatis » (4).

Duplici modo potest considerari plenitudo gratiae: primo intensive, seu quod sit talis qualis haberi possit; secundo ef-

(1) *Libr. de praedest. sanct.* c. XV.

(2) Pars III, q. II, a. 10.

(3) IOAN. XIV, 23.

(4) IOAN. I, 14.

fective, quod se extendat ad omnes effectus gratiae producendos. «Utroque autem modo Christus habuit gratiae plenitudinem. Primo, quidem, quia habuit eam in summo, iuxta perfectissimum modum, quo haberi potest. Et hoc profecto apparet primo ex propinquitate animae Christi ad causam gratiae» nam «quanto aliquod receptivum propinquius est causae influenti, tanto abundantius recipit. Et ideo anima Christi, quae propinquius coniungitur Deo inter omnes creaturas rationales, maximam recipit influentiam gratiae eius. Secundo ex comparatione eius ad effectum. Sic enim recipiebat anima Christi gratiam, ut ex ea quodammodo transfunderetur in alios. Et ideo oportuit quod haberet maximam gratiam; sicut necesse est ut ignis sit maxime calidus, quia in omnibus calidis, est causa caloris. Similiter etiam quantum ad virtutem gratiae, plene habuit gratiam, quia habuit eam ad omnes operationes, vel effectus gratiae; et hoc quia conferebatur ei gratia tamquam cuidam universali principio in genere habentium gratiam. Virtus autem primi principii alicuius generis universaliter se extendit ad omnes effectus illius generis; sicut sol, qui cum sit universalis causa generationis, eius virtus se extendit ad omnia quae sub generatione cadunt. Et sic secunda plenitudo gratiae attenditur in Christo, in quantum se extendit eius gratia ad omnes gratiae effectus, qui sunt virtutes, et dona, et alia huiusmodi» (1).

PARS II. — GRATA DEO.

Quod Sacratissimum Cor Iesu sit Deo Patri gratissimum ipse faterur; «Hic est Filius meus dilectus in quo mihi bene complacui» (2). Id est: placet mihi Filius meus Christus, et adeo gratum est mihi in eo tamquam in mea domo morari, quam quod gratissimum. Est enim domus grata:

(1) D. THOM. P. III, q. VII, a. 9.

(2) MATTH. XVII, 5.

A) Sanctitate corporis, sive carnis:

a) Hanc enim carnem Verbum assumpsit ex sancta et purissima et immaculata semper Virgine Dei genitrice Maria ut scribit D. Ioannes Damascenus: «Filius Dei construxit sibi ipsi ex castissimis et purissimis sanguinibus Virginis carnem animatam anima rationali» (1). Nunc autem caro et sanguinis Virginis est sanctissima tum propter immunitatem culpae originalis, a qua fuit in primo instanti suae conceptionis preservata, singulari omnipotentis Dei gratia et privilegio, intuitu meritorum Christi Iesu Salvatoris generis humani, ut dicit Bulla dogmatica Pii Papae IX, cum tamen ex Adam procederet via naturali seu per generationem; tum propter plenitudinem gratiae a primo instanti animam suam sanctificantis; propter quod Hieronymus dicit: «Bene gratia plena, quia caeteris per partes praestatur, Mariae vero se tota simul infundit plenitudo gratiae» (2). Unde emicat quod caro sit sancta ex parte principii, quod vocant passivi, suae formationis.

b) Deinde ex parte principii activi. Nam B. Virgo concepit non ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri; «porta haec clausa erit: non aperiatur et vir non transibit per eam» (3). Cum autem «caro humana peccato inficiatur ex hoc quod est per concupiscentiam concepta» (4) caro Christi quae fuit opere Spiritus Sancti formata, non fuit peccato inquinata, sed munda et sancta, ut legitur Lucae: «quod nascetur ex te sanctum» (5).

c) Tandem fuit caro sancta propter sanctitatem animae. Terminus enim Incarnationis fuit, ut ille homo, qui concipiebatur, esset sanctus et Filius Dei (6). Cum autem homo Christus sit ex anima rationali et humana carne subsistens, oportet,

(1) Lib. 3 *De orthodoxa fide*, c. II.

(2) *In serm. de Assump.*

(3) EZECHIEL, XLIV, 2.

(4) D. THOM. P. III, q. XXXI, a. 7.

(5) C. I, v. 35.

(6) D. THOM. P. III, q. XXXII, a. 1.

ut simul et anima et caro sanctificentur. Cum ergo haec sanctificatio fuerit per gratiam, cuius subiectum est anima, oportet dicere quod mediante anima, caro Christi fuit sanctificata. Ergo est sancta.

B) Secundo: Cor Iesu est domus grata Deo sanctitate animae. Iuxta D. Thomam: « sanctitas dicitur per quam mens hominis seipsam et suos actus applicat Deo » (1) et sic est virtus generalis, qua vel homo non solum exhibet Deo debitum famulatum in his, quae pertinent specialiter ad cultum divinum, quod ad virtutem religionis spectat, sed haec et aliarum virtutum opera refert in Deum: vel qua homo se disponit per quaedam bona opera ad cultum divinum.

Sic sanctitas vinculum quoddam importat, ita ut sanctus idem sit ac: unitus, dicatus, vel Deo consecratus. Quod quidem vinculum duplici modo considerari potest: ex parte Dei, cui anima unitur, et ex parte animae unitae. Ex parte autem Dei tanto maior erit sanctitas alicuius, quanto intimius ei adhaerebit, vel proximior ei fuerit. Cum autem nulla creatura sit Deo proximior quam anima Christi, quae Verbo adhaeret in unitate personae, nulla est ex hac parte sanctior illa.

Ex parte vero animae tanto maior erit sanctitas quanto mundior et firmitior fuerit: ut enim dicit D. Thomas: « nomen sanctitatis duo importare videtur; uno quidem modo munditiam, iuxta graecum: *ἁγίος*, (hoc est: *ἁ γῆς*) quasi: *sine terra*: alio modo: firmitatem, iuxta antiquos, apud quos sancta dicebantur quae ita legibus erant munita, ut violari nos deberent » (2). Nunc autem anima Christi supra omnes habet hanc munditiam, quia immunis ab omni peccato, ideoque: hominem coelestem vocat Apostolus: « primus homo de terra terrenus, secundus de coelo coelestis » (3). Et habet hanc firmitatem, seu applicationem mentis ad Deum, quae reddit eam maxime immobilem propter visionem essentiae divinae quam ha-

(1) 2^a-2^o q. LXXXI, a. 8.

(2) 2^a-2^o loco citato.

(3) I ad Cor. c. XV, v. 47.

buit ab initio conceptionis clariorem omnibus beatis, ex maiori propinquitate ad Verbum.

C) Cor Iesu est domus grata Deo sanctitate Verbi. Sanctitas Verbo, sicut integrae essentiae divinae, attribuitur per remotionem totalem eius, quod sanctitas excludit. Ex supra dictis patet a sanctitate imperfectionem et instabilitatem removeri; unde Deus dicitur: sanctus, ex hoc quod nullam imperfectionem habet ex coniunctione cum rebus inferioribus proveniente, quia altissimus; aut ex commixtione alterius, quia simplicissimus: ideoque est ens undequaque perfectum. Similiter Deus dicitur sanctus ex hoc quod stabilitatem habet, ut dicit Malachias: « Ego Dominus, et non mutor » (1); est enim ens actu absque permixtione alicuius potentiae; et non habet stabilitatem quamcumque, sed aeternam, est enim sua ipsa duratio, quia est suum esse. Unde, cum Verbum consubstantiale Patri habeat hanc infinitam perfectionem et immutabilitatem, habet etiam sanctitatem infinitam. Est ergo sacratissimum Cor Iesu domus grata Deo sanctitate ipsius Verbi, cuius est Cor venerabilissimum.

PARS III. — EST CAPAX DEI.

a) Primo ex amplitudine capientis, nam scriptum est: « In ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare » (2); id est: Christus in omnibus primatum tenet, quia fuit voluntas Dei Patris, ut omnis plenitudo divinitatis in Eo habitaret. Ideo clarius dicit: « In ipso inhabitat omnis plenitudo Divinitatis » (3). Unde iure merito dicitur: « Sapientia aedificavit sibi donum » (4). Filius Dei, cui appropriatur *Sapientia Dei*, aedificavit sibi humanitatem id est, eam assumpsit, aedificavit sibi Cor, ut in eo, sicut in domo personaliter moraretur: ideo

(1) C. III, v. 6.

(2) Ad Colos. c. I, v. 19.

(3) Colos. II, 9.

(4) Prov. IX, I.

aedificavit sibi: et sic sacratissimum Cor Iesu est domus capax Dei, quia capit Filium unius eiusdemque naturae cum Patre, quem coeli capere non possunt. Deus est immensurabilis: omnia transcendit, quia infinitus: nequit consequenter ullo termino circumscribi, sive spiritali utpote angelo et intellectu humano: sive corporeo ut mundo physico, quia incorporeus est. Tantum ipse potest seipsum comprehendere, quia unus sibi par est. «Neque Patrem quis novit nisi Filius» (1). Cum ergo hic Filius sit Christus, ipse Patrem novit, comprehendit, et capit. *Pater in me est* (2); et ideo sacratissimum Cor est vere Cor Eius, qui est capax Dei.

b) Secundo: *Per gratiam infinitam unionis*, quae nihil aliud est quam ipsum uniri personaliter Filio Dei; quo factum est ut in Christo, una eademque persona et in divina et in humana natura subsisteret. Filius Dei, qui naturam humanam assumpsit, est quidem alius a Patre: «alia est persona Patris, alia Filii, alia Spiritus Sancti» (3) sed non est aliud a Patre, nec a Spiritu Sancto quia eadem est trium personarum Divinitas simplicissima ac indivisibilis: «sed tamen Patris et Filii et Spiritus una est Divinitas, aequalis gloria, coeterna maiestas» (4). Unde cum tam Deus sit Filius quam Pater et Spiritus Sanctus, Cor Iesu, quod est Cor Filii, est domus capax Dei in qua scilicet habitat Divinitas Filii, quae una eademque est ac Patris et Spiritus Sancti.

Consequentia. Ergo ante Cor Iesu standum. Solent reges et principes custodes adhibere ad ostium aedium suorum, tum propter maiestatem, honoris gratiâ, tum ad custodiam contra inimicorum perfidiam. En qua de causa sacratissimum Cor Iesu, recolentes debent stare coram ipso, et ad ipsum, id est, parati ad serviendum Regi Regum, qui moratur tamquam in domo propria, in Corde Iesu. Duo enim requirit

(1) MAT. XI, 17.

(2) IOAN. X, 38.

(3) D. ATHANASI, v. 5.

(4) SYMB. ATHAN. v. 6.

hoc munus custodis, primo ut honoretur Altissimus immorans in Corde Iesu: et hoc fit stando; nam stare est adesse reverentius quam sedere, ut legitur in Apocalypsi: «vidi septem Angelos stantes in conspectu Dei» (1), et significat dispositionem ad peragenda, quae pertinent ad gloriam et cultum Dei. Secundo, officium custodis est domum principis et ipsum principem ab inimicis tueri, defendere, et quodcumque aversi arcere. Et hoc faciunt amantes Cordis Iesu vindicantes Deum ab iniuriis; vel directe malos reprehendentes, vel indirecte perversitati bonum opposcentes, et per orationem, et per bona opera malorum opera reparantes, et rependentes.


Affectus. O admirabilis omnipotentia, quae tibi fabricasti in Corde Iesu domum capacem tui quem coeli capere non possunt! O incomprehensibilis sapientia, quae tantam concepisti habitationem dignam sublimitate Divina. O ineffabile donum, quod hoc habitaculum ita tuis divitiis ornasti, ut esset Deo gratissimum! O Cor domus capax Dei! O Cor domus grata Deo! O Cor domus digna Deo! Quis metietur te? Quis ante te flexis genibus non adorabit commemorantem in ea? Quis in tuo conspectu non gaudebit? Quem coram te stare pigebit? Sed, o mira dignatio! O incomprehensibile amoris miraculum! Ad hanc ipsam Altissimi domum compellis omnes intrare! Intra Cor tuum vis, amantissime Iesu, omnes homines custodire: *venite ad me omnes!*

Amantissime Iesu: non audeo a facie peccatorum meorum in hanc Cordis tui divinam domum intrare; redde me tantummodo dignum tui custodem: sum filius sed absque iure in haereditatem domus, quia dissipavi substantiam meam: sed tamen, o bone Iesu! fac me sicut unum de mercenariis tuis. Sufficit quod me admittas velut ostiarum. Et cum veniat hora mortis, mitte me in latu tuum; introduc me in Cor dulcissimum ut, securus ab hoste, requiem aeternam obtineam.

(1) C. VIII, v. 2.

Deprecatio. Deus, qui beatæ Mariæ Virginis Domum per Incarnati Verbi mysterium misericorditer consecrasti, eamque in sinu Ecclesiæ mirabiliter collocasti; concede, ut segregati a tabernaculis peccatorum digni efficiamur habitatores domus sanctæ tuæ (1).

(1) Ex Missa transl. Almae Domus Lauret.



CONCIO VIII.

THEMA: Haec porta Domini:
iusti intrabunt in ea.

(Psal. CXVII, 20).

IDEA CONCIONIS

PROP. Cor Iesu pulsandum, quia est porta Coeli.

DIVISIO. Est I porta vera; II porta unica; III porta patens.

PARS I. Est porta vera: Nam A) meruit nobis introitum regni coelestis; a) pretio sanguinis sui; b) et sacerdotii sui dignitate. B) Et quia in possessionem illius non introduxit.

PARS II. Est porta unica. A) Unitate Domini: a) ex unitate personae Christi; b) ex unitate cum Patre quoad naturam divinam. B) Unitate fidei, quae una est: a) quantum ad rem creditam; b) et quantum ad habitum fidei in specie. B) Unitate baptismatis. Nam a) unus est, qui interius baptizat; b) in nomine Unius confertur; c) iterari nequit.

PARS III. Est porta patens: a) gratia, qua praevenit; b) benignitate, qua amplectitur; c) securitate, qua salvat.

Exordium. Saepissime in sacris litteris fit mentio de mercede magna iustis post mortem reddenda; haec tamen et diversimode, et fere semper metaphorice designatur.


Quandoque enim nomine regni promittitur: « Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum » (1). Quandoque vero nomine civitatis designatur: « Ego Ioannes vidi sanctam civitatem Ierusalem novam » (2). Interdum autem et domus nuncupatur: « In domo Patris mei mansiones

(1) MATH. XXV, 34.

(2) Apoc. XXI, 2.

Deprecatio. Deus, qui beatæ Mariæ Virginis Domum per Incarnati Verbi mysterium misericorditer consecrasti, eamque in sinu Ecclesiæ mirabiliter collocasti; concede, ut segregati a tabernaculis peccatorum digni efficiamur habitatores domus sanctæ tuæ (1).

(1) Ex Missa transl. Almae Domus Lauret.



CONCIO VIII.

THEMA: Haec porta Domini:
iusti intrabunt in ea.

(Psal. CXVII, 20).

IDEA CONCIONIS

PROP. Cor Iesu pulsandum, quia est porta Coeli.

DIVISIO. Est I porta vera; II porta unica; III porta patens.

PARS I. Est porta vera: Nam A) meruit nobis introitum regni coelestis; a) pretio sanguinis sui; b) et sacerdotii sui dignitate. B) Et quia in possessionem illius non introduxit.

PARS II. Est porta unica. A) Unitate Domini: a) ex unitate personae Christi; b) ex unitate cum Patre quoad naturam divinam. B) Unitate fidei, quae una est: a) quantum ad rem creditam; b) et quantum ad habitum fidei in specie. B) Unitate baptismatis. Nam a) unus est, qui interius baptizat; b) in nomine Unius confertur; c) iterari nequit.

PARS III. Est porta patens: a) gratia, qua praevenit; b) benignitate, qua amplectitur; c) securitate, qua salvat.

Exordium. Saepissime in sacris litteris fit mentio de mercede magna iustis post mortem reddenda; haec tamen et diversimode, et fere semper metaphorice designatur.

Quandoque enim nomine regni promittitur: « Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum » (1). Quandoque vero nomine civitatis designatur: « Ego Ioannes vidi sanctam civitatem Ierusalem novam » (2). Interdum autem et domus nuncupatur: « In domo Patris mei mansiones

(1) MATH. XXV, 34.

(2) Apoc. XXI, 2.

multae sunt » (1); modo vero: templum dicitur: « Et apertum est templum Dei in coelo » (2). Et sic de caeteris, quibus premium aeternum communiter dignoscitur.

Ideo Apostolus: « Scimus enim, quoniam si terrestris domus nostra huius habitationis dissolvatur, quod aedificationem ex Deo habemus domum non manufactam, aeternam in coelis » (3); quasi diceret: certi sumus propter firmam spem, quod, ubi corpus nostrum, quod est velut domus animae, per mortem dissolvetur, habemus alteram domum non ab hominibus, neque a natura, sed a Deo ab aeterno praeparatam, et non ubicumque, sed in coelis. Quam quidem omnes sancti desiderant cum propheta: « quando veniam et apparebo ante faciem Dei? » (4). Unde concludit D. Thomas (5): « Haec est vera probatio quod habemus domum non manufactam, quia si desiderium naturae non est frustra, multo minus desiderium gratiae frustra est. Cum igitur nos habeamus ferventissimum desiderium gratiae de gloria coelesti, impossibile est quod sit frustra. Et hoc est quod dicit Apostolus: *ingemiscimus* (6); id est: ingemiscendo desideramus. Et quia desideramus, quaerimus: « Non habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus » (7). Cum autem sacratissimum Cor praeparatae huius nobis habitationis sit ianua, Iesu ipso affirmante: « Ego sum ostium » (8), oportet ut illud pulsemus quotquot coelum ingredi desideramus.

Ecce ergo

Propositio. *Cor Iesu pulsandum, quia est porta coeli.*
Quemadmodum physice porta dicitur medium, quo quis

(1) IOAN. XIV, 2.

(2) Apoc. XI, 19.

(3) II ad Cor. V, 1.

(4) Psalm. XLI, 3.

(5) Expos. in epist. II ad Cor. V, 1.

(6) II ad Cor. V, 2.

(7) Heb. XIII, 14.

(8) IOAN. X, 9.

locum ingreditur, vel exinde egreditur, ita in spiritualibus porta nuncupatur medium, quo quis spiritualium bonorum principium aliquod init, sicut baptismum dicimus aliorum sacramentorum et Ecclesiae ianuam, quia per illum homo fit Ecclesiae membrum et Christi particeps; itemque ianua dicitur medium, quo ab aliquibus malis spiritualibus quis liberatur, et hoc modo suffragia dicuntur purgatorii ianuas aperire ex hoc quod animabus purgandis medium praestant, quo ex carcere egredi valeant, et requiei domum ingrediantur.

Itaque Cor Iesu est porta coeli, quia est medium, non quodcumque, sed efficacissimum et universale ad coelum ingrediendum.

Est enim porta:

Divisio. I. *Vera*; II. *Unica*; III. *Patens*.

PARS I. — EST PORTA VERA.

« Ego sum ostium. Per me si quis introierit, salvabitur » (1). Et hoc duplici ratione; primo quia meruit nobis introitum regni coelestis; secundo quia in possessionem regni coelestis nos introduxit.

A) In primis, meruit nobis introitum regni coelestis; et hoc duplici via: per sanguinis eius pretium, et per sacerdotii sui dignitatem.

a) Per sanguinem suum introitum regni nobis aperuit ut dicit Apostolus: « habentes itaque, fratres, fiduciam in introitu sanctorum in sanguine Christi » (2); quia « hic est sanguis novi Testamenti, id est, novae promissionis, scilicet, coelestium » ut exponit D. Thomas (3). Quod Christus sua passione, sive sanguinis sui effusione, aperuerit nobis ianuam coeli, Angelicus ita probat: « Clausio ianuae est obstaculum

(1) IOAN. X, 9.

(2) Heb. X, 19.

(3) Exposit. epist. B. Pauli in hunc locum.

quoddam prohibens homines ab ingressu. Prohibentur autem homines ab ingressu regni coelestis propter peccatum. Est autem duplex peccatum impediens ab ingressu regni coelestis. Unum quidem commune totius humanae naturae, quod est peccatum primi parentis; et per hoc peccatum praecludatur homini aditus regni coelestis. Unde legitur quod post peccatum primi parentis: «Deus collocavit ante paradisum voluptatis Cherubim, et flammeum gladium atque versatilem, ad custodiendam viam ligni vitae» (1). Aliud autem est peccatum speciale uniuscuiusque personae, quod per proprium actum committitur uniuscuiusque hominis. Per passionem autem liberati sumus non solum a peccato communi totius humanae naturae et quantum ad culpam et quantum ad reatum poenae, ipso solvente pretium pro nobis, sed etiam a peccatis propriis singulorum, qui communicant eius passioni per fidem, et charitatem, et fidei sacramenta. Et ideo per passionem Christi aperta est nobis ianua regni coelestis. Et hoc est quod Apostolus dicit (2): «Christus assistens Pontifex futurorum bonorum per proprium sanguinem introiit semel in sancta, aeterna redemptione inventa» (3).

b) Deinde aperuit nobis ianuam coeli per sacerdotii sui excellentissimam dignitatem. Super illud: Habentes itaque fratres... sacerdotem magnum super domum Dei (4), scribit D. Thomas: «Commendat (D. Paulus) dignitatem sacerdotii cum dicit, *Et sacerdotem magnum*, qui scilicet initiavit viam, quasi dicat: habentes fiduciam intrandi per sacerdotem, scilicet, Iesum, qui dicitur magnus, quia sacerdotium eius non est tantum super unum populum, sicut Aaron, sed super domum Dei, totam, scilicet, Ecclesiam militantem et triumphantem. Et dicit, *super*; quia Moyses fuit fidelis in omni domo tamquam famulus; sed Christus super totam domum sicut

(1) Gen. III, 24.

(2) Heb. IX, 25.

(3) Sum. Theol. p. III, q. XLIX, a. 5.

(4) Heb. X, 21.

Filius, qui est Dominus omnium (1): *data est mihi omnis potestas in coelo et in terra*» (2). Est ergo Christus porta coeli tum quia merito sanguinis sui coelum aperuit, tum quia praesentia sacerdotii sui potestatem super omnes coelos habet.

B) Est etiam porta vera, quia in possessionem coeli nos introduxit. Unde D. Thomas (3): «Christus sua passione meruit nobis introitum regni coelestis, et impedimentum removit; sed per suam Ascensionem nos quasi in possessionem regni coelestis introduxit. Et ideo dicitur quod ascendit pandens iter ante nos» (4). Super illud Apostoli: «Qui descendit, ipse est, qui ascendit super omnes coelos, ut impleret omnia» (5) dicit D. Thomas (6): «Ponit (D. Paulus) ascensionis fructum cum dicit: *Ut impleret omnia*; id est omne genus hominum spiritualibus bonis replet: *replebimur in bonis domus tuae* (7). Vel adimpleret, id est, ut ad effectum perduceret omnia, quae de ipso scripta erant: «Oportet impleri omnia, quae scripta sunt in lege Moysis, et prophetis, et psalmis de me» (8). De eo autem scriptum fuerat: «Ascendet pandens viam ante nos; dividet et transibunt portam et ingredientibus per eam, et transibit rex eorum coram eis, et Dominus in capite eorum» (9). Ex hoc enim quod per Ascensionem suam humanam naturam in coelo collocavit, dedit nobis spem illuc perveniendi; et de facto homines illuc introduxit». Nam quia ipse est caput nostrum et nos membra eius conveniens est illuc membra sequi ubi caput praecessit. Et rei huius in signum ut dicit Angelicus, «animas sanctorum quas de inferno eduxerat in coelum traduxit, secundum illud: *ascendens Christus in altum captivam duxit capti-*

(1) MATH. XXVIII, 18.

(2) Comment. in D. Paulum hoc loc.

(3) Sum. Theol. p. III, q. XLIX, a. 5 ad 4^{um}.

(4) MICHAEL, II, 13.

(5) Ad Ephes. IV, 10.

(6) Expos. in D. Paulum hoc loco.

(7) Psalm. LXIV, 5.

(8) Luc. XXIV, 44.

(9) MICHAEL, II, 13.

vitatem; quia, scilicet, eos, qui fuerant a diabolo captivati, secum duxit in coelum, quasi in locum peregrinum humanae naturae, bona captione captivos utpote per victoriam acquisitos » (1).

PARS II. — UNICA.

Quomodo intelligendum est Christum esse portam unicam coeli secundum illud « et non est in aliquo alio salus » (2), cum tamen Ioannes dicat quod civitas sancta Ierusalem « habet murum magnum et altum habentem portas duodecim » (3). Respondit D. Augustinus duodecim portas duodecim Apostolos significare: « quare sunt portae? Quia per ipsos intramus ad regnum Dei. Praedicant enim nobis: et cum per ipsos intramus, per Christum intramus, ipse est enim ianua. Et cum dicuntur duodecim portae Ierusalem, et una porta et duodecim portae Christus, quia in duodecim portis Christus » (4). Ad regnum enim venimus per fidem et baptismum ab Apostolis tradita, quae fides et baptismus sunt Christi. Et ideo: « nemo venit ad Patrem nisi per me » (5). Est ergo porta unica, unitate Domini, fidei et baptismatis; et hoc est quod dicit Apostolus: « Unus Dominus, una fides, unum baptismum » (6).

a) Est porta unica unitate Domini; quia Dominus est ipse Christus: « In die illa erit Dominus unus, et nomen eius unum » (7). Et ideo Apostolus: « Unus Dominus noster Iesu Christus » (8). Quam quidem unitatem ex duplici attenditur. Primo ex unitate personae: distinctio enim, seu pluralitas na-

- (1) *Sum. Theol.* p. III, q. LVII, a. 6.
- (2) *Actuum Apost.* IV, 12.
- (3) *Apoc.* XXI, 12.
- (4) *De expos. super Psalm.* LXXXVI.
- (5) *Ioan.* XIV, 6.
- (6) *Ad Ephes.* IV, 5.
- (7) *Zach.* XIV, 9.
- (8) *I Cor.* VIII, 6.

turarum non importat personarum pluralitatem in Christo, qui est tantum una persona: « Unus omnino non confusione substantiae, sed unitate personae » (1). Secundo ex unitate quam habet cum Patre, ratione divinae naturae, qua Dominus est; nam « Patris et Filii et Spiritus Sancti una est divinitas, aequalis gloria, coaeterna maiestas » (2); ideoque: « Ego et Pater unum sumus » (3). Nunc autem per hunc unicum Dominum venimus ad regnum; nam « nemo potest duobus dominis servire » (4).

b) Unitate fidei. Ad rem D. Thomas (5): « Lex eius est una, lex enim Ecclesiae est lex fidei. Sed fides quandoque sumitur pro ipsa re credita, secundum illud « haec est fides catholica » id est ista debent credi: quandoque vero sumitur pro habitu fidei, quo creditur in corde; et de utroque hoc dici potest. De primo ut sit sensus « una est fides »; id est, idem iubemur credere, et eodem modo operari, quia unum et idem est quod creditur a cunctis fidelibus; unde universalis seu catholica dicitur. Alio modo una est fides, id est unus habitus fidei, quo creditur; una, inquam, non numero sed specie; quia idem debet esse in corde omnium; et hoc modo idem volentium dicitur una voluntas. » Et sic unitas fidei est ianua coeli extra quam non est salus; « qui vero non crediderit condemnabitur » (6).

c) Tandem Christus est ianua unica unitate baptismatis. Super quod Angelicus (7): « Eadem sunt insignia Ecclesiae, scilicet, sacramenta Christi, inter quae primum baptismum, quod est ianua omnium aliorum; et ideo dicitur unum baptismum. Dicitur autem unum triplici ratione. Primo quia baptismata non differunt secundum baptizantem, quia a quocumque conferatur, uniformem virtutem habet, quia qui baptizat interius

- (1) *Symb. D. Athan.* v. 34.
- (2) Eodem loco, v. 6.
- (3) *Ioan.* X, 30.
- (4) *Math.* VI, 24.
- (5) *Expos. in epist. D. Pauli ad Ephes.* IV, 5.
- (6) *Marci*, XVI, 16.
- (7) Loc. cit.

unus est, Christus nempe. Secundo dicitur unum quia datur in nomine unius, scilicet, Trinitatis. Tertio quia iterari non potest ». Nunc autem hoc unicum baptisma necessarium est ad salutem: « Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei » (1). Ergo Christus est porta unica coeli, unitate non solum Domini et fidei, sed et baptismatis.

PARS III. — PATENS.

Est tandem Cor Iesu porta patens omnibus benignitate, quā praevenit, amplectitur, et salvat.

a) « Gratia quā praevenit »: legitur namque: « Ecce sto ad ostium et pulso; si quis audierit vocem meam et aperuerit mihi ianuam intrabo ad illum, et caenabo cum illo, et ipse mecum » (2). Ait Dominus servo: « Exi in via, et sepes, et compelle intrare, ut impleatur domus mea » (3). Super quod: « Cum priores Iudaeorem Christi salutaria monita despexissent, secundum Patris decretum ac mandatum, cito, ante passionem suam, Iudaeam percurrrens, plebeios, idiotas, pisces, publicanos quin et feminas vitae antea dissolutae, ad coeleste convivium invitavit, plurimique vocanti paruerunt, et in domum Dei, id est, Ecclesiam, sunt admissi. Et ait servus: Domine, factum est ut imperasti, et adhuc locus est. Nondum ex solo Israele numerus electorum, immo nec crediturorum Evangelio impletus est numerus. Et ait Dominus servo: Exi in vias et sepes extra civitatem, extra Iudaeam ad gentes errantes ac palabundas, et, quasi sepibus interpositis, a veri Dei cognitione ac foedere seclusas, et compelle intrare, virtute Spiritus Sancti, miraculorum auctoritate, gratiae invictissime tametsi suavissime trahentis et moventis

(1) IOAN. III, V.

(2) APOC. III, 20.

(3) LUC. XIV, 23.

efficacia, ut impleatur domus mea; ut quod vehementer opto, numerus electorum impleatur » (1).

b) « Benignitate, qua admittit ». Dixit enim Dominus per Ezechielem: « Si autem impius egerit poenitentiam ab omnibus peccatis suis, quae operatus est, et custodierit omnia praecepta mea, et fecerit iudicium et iustitiam, vita vivet, et non morietur. Omnium iniquitatum eius, quas operatus est, non recordabor: in iustitia sua quam operatus est vivet: Numquid voluntatis meae est mors impii, dicit Dominus Deus, et non ut convertatur a viis suis, et vivat? » (2).

c) « Securitate qua salvat. Ego sum ostium. Per me si quis introierit, salvabitur: et ingreditur, et egreditur, et pascua inveniet » (3). Id est, qui per fidem in me Christum mediatorem, in ovile Dei seu in Ecclesiam ingressus fuerit, et per ardentissimam charitatem intra latus meum ingreditur et cordi meo adhaerebit, salvabitur, quia tutus erit ab incuris inimicorum, sicut ovis intra caulam secunda. Et pascua inveniet, quia pabulis coelestibus a corde meo manantibus, anima eius saturabitur, donec ad delicias sanctorum coelestes perveniat.

Consequentia. Ergo ad Cor Iesu pulsandum: quamvis enim necessitates nostras agnoscat, vult tamen rogari; ideo « petite et dabitur vobis; quaerite et invenietis; pulsate et aperietur vobis » (4). « Haec tria: *petite, quaerite, et pulsate* idem significant, scilicet, instantissimam petitionem: nam *petere* significat fiduciam in oratione in primis necessariam: *quaerere* significat studium et diligentiam: qui enim aliquid quaerit, toto mentis studio intendit ad id, quod quaerit: *pulsare* demum indicat perseverantiam. Significat ergo orandum esse fidenter, ardentem et perseveranter » (5). Huc accedit S. Chrysosto-

(1) NATAL. ALEX. in hunc locum.

(2) XVIII, 21, 22, 23.

(3) IOAN. X, 9.

(4) MATH. VII, 7.

(5) A LAPIDE, in hunc locum.

mus qui addit: «petite, inquit, precibus die ac nocte orantes: quaerite studio et labore; donum enim non datur negligentibus: pulsate oratione, ieiuniis et eleemosynis; qui enim ostium pulsat, manu pulsat» (1).

Affectus. Ad te, o bone Iesu, miser accedo, pulsans ad ostium misericordiae tuae. Eleemosynam quaero, quia pauper sum; gratiam peto, quia peccator sum; requiem cupio quia fatigatus sum, securitatem desidero quia insidiis circumventus sum; salvationem suspiro, quia in magno periculo sum. Et in te, o bone Iesu, sunt divitiae, gratia, requies, securitas et salvatio. O Cor, ianua divitiarum aeternarum! O Cor, ianua gratiarum coelestium! O Cor ianua requiei securae, securitatis omnimodae ac salvationis certae! Ad te venio cupidus per te in regnum intrandi. Pateat hoc ostium omnibus; pateat peccatoribus per misericordiam, et iustis per perseverantiam; pateat incipientibus incitamento, proficientibus adiutorio, perfectis dulcedine. Pateat vivis cognitione, et defunctis beatifica visione.

Deprecatio. Deus, qui in Filii tui humilitate iacentem mundum erexisti, fidelibus tuis perpetuam concede laetitiam; ut quos perpetuae mortis eripuisti casibus, gaudiis facias perfrui sempiternis. (Ex Missali rom. Dom. II. post Pascha).

(1) Eodem loco.



CONCIO IX.

THEMA: Factus est in corde meo quasi ignis exaestuans.

(Ierem. XX, 9).

IDEA CONCIONIS

PROP. Ad Cor Iesu ut inflammemur, quia est fornax ardens charitatis.

DIVISIO. Qua dilexit Deum I digne; II semper; III ac vehementer.

PARS I. Dilexit Deum digne: A) ex parte diligibilis: dilexit enim Eum eadem charitate qua Seipsum diligit. B) ex parte diligentis dilexit Deum digne quia a) habuit charitatem habituales excellentissimam per unionem hypostaticam; b) et charitatem actuales nobilissimam totum se actualiter in Deum ferendo.

PARS II. Dilexit Deum semper. A) Dum in terris passibile versabatur dilexit a) amore obtemperanti; b) amore generoso; c) amore purissimo. B) Nunc in coelo glorificatum diligit a) amore condigno; b) amore grati animi; c) amore summo.

PARS III. Dilexit Deum vehementer, Nam a) ex toto corde; b) ex tota mente; c) ex tota anima; d) ex tota fortitudine, vel virtute, vel viribus.

Exordium. Cuidam ex Phariseis Dominum interroganti (1): «Magister, quod est mandatum magnum in lege?». Respondit Iesus: «Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et in tota anima tua, et in tota mente tua. Hoc est maximum et primum mandatum». Quasi diceret: haec dilectio est praecipuum debitorum, est omnis legis abso-

(1) MATH. XXII, 36, 37, 38.

mus qui addit: «petite, inquit, precibus die ac nocte orantes: quaerite studio et labore; donum enim non datur negligentibus: pulsate oratione, ieiuniis et eleemosynis; qui enim ostium pulsat, manu pulsat» (1).

Affectus. Ad te, o bone Iesu, miser accedo, pulsans ad ostium misericordiae tuae. Eleemosynam quaero, quia pauper sum; gratiam peto, quia peccator sum; requiem cupio quia fatigatus sum, securitatem desidero quia insidiis circumventus sum; salvationem suspiro, quia in magno periculo sum. Et in te, o bone Iesu, sunt divitiae, gratia, requies, securitas et salvatio. O Cor, ianua divitiarum aeternarum! O Cor, ianua gratiarum coelestium! O Cor ianua requiei securae, securitatis omnimodae ac salvationis certae! Ad te venio cupidus per te in regnum intrandi. Pateat hoc ostium omnibus; pateat peccatoribus per misericordiam, et iustis per perseverantiam; pateat incipientibus incitamento, proficientibus adiutorio, perfectis dulcedine. Pateat vivis cognitione, et defunctis beatifica visione.

Deprecatio. Deus, qui in Filii tui humilitate iacentem mundum erexisti, fidelibus tuis perpetuam concede laetitiam; ut quos perpetuae mortis eripuisti casibus, gaudiis facias perfrui sempiternis. (Ex Missali rom. Dom. II. post Pascha).

(1) Eodem loco.



CONCIO IX.

THEMA: Factus est in corde meo quasi ignis exaestuans.

(Ierem. XX, 9).

IDEA CONCIONIS

PROP. Ad Cor Iesu ut inflammemur, quia est fornax ardens charitatis.

DIVISIO. Qua dilexit Deum I digne; II semper; III ac vehementer.

PARS I. Dilexit Deum digne: A) ex parte diligibilis: dilexit enim Eum eadem charitate qua Seipsum diligit. B) ex parte diligentis dilexit Deum digne quia a) habuit charitatem habitualement excellentissimam per unionem hypostaticam; b) et charitatem actualem nobilissimam totum se actualiter in Deum ferendo.

PARS II. Dilexit Deum semper. A) Dum in terris passibile versabatur dilexit a) amore obtemperanti; b) amore generoso; c) amore purissimo. B) Nunc in coelo glorificatum diligit a) amore condigno; b) amore grati animi; c) amore summo.

PARS III. Dilexit Deum vehementer, Nam a) ex toto corde; b) ex tota mente; c) ex tota anima; d) ex tota fortitudine, vel virtute, vel viribus.

Exordium. Cuidam ex Phariseis Dominum interroganti (1): «Magister, quod est mandatum magnum in lege?». Respondit Iesus: «Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et in tota anima tua, et in tota mente tua. Hoc est maximum et primum mandatum». Quasi diceret: haec dilectio est praecipuum debitorum, est omnis legis abso-

(1) MATH. XXII, 36, 37, 38.

lutio, totius sanctitatis consummatio, et velut culmen celsitudinis et gloriae ad quod homo et pervenire potest, et creatus est ut perveniat. Eminentissima inter virtutes si charitas quoad originem spectetur, e coelo descendit, et ex latere Christi in mundum effluxit. Si eius natura consideretur, est suavis laqueus hominem Deo intime uniens. Si obiectum materiale primum et adaequatum est ipse Deus, utpote summe amabilis, quia undequaque perfectus. Si tandem effectus eius attendantur, est virtus mundum coelo reconcilians, condignum Deo praetium pro debito solvens, placidum in animabus, Deo, habitaculum disponens, et corda hominum sanctificans et consecrans. Caeterae virtutes sunt tantum ad tempus; namque austeritates poenitentiae cessabunt, fidei aenigmata illuminabuntur, firmitas spei transibit; solum charitas, quae nunquam excidit (1), in aeternum manebit. Caeteris virtutibus Deus solum ex parte colitur; quia poenitentia eum ut iudicem timet, fides velut magistrum auscultat, spes sicut remuneratorem spectat; sola charitas totum esse divinum colit, adorat, ac velut integrum amplectitur. Charitas ea virtus est excellentissima, quae animam prae caeteris ornat ac ditat, reliquis virtutibus vitam praestat, beatis gaudiis interius replet, et viatorum corda novo igne succendit.

Quo quidem incendio charitatis ita apparet sacratissimum Cor Iesu exaestuans ad modum fornacis ignis ardentis, ut in eo perfectum videatur illud Ieremiae: *factus est in corde meo quasi ignis exaestuans*. Et ideo hanc stabilio propositionem.

Propositio. *Ad Cor Iesu ut inflammemur, quia est fornax ardens charitatis.*

Procul dubio de ardentissimo Cordis Iesu amore erga Deum haec deprecatio sermonem facit. Nam amor, qui est appetitus inclinatio in bonum sibi propositum ut ei conveniens, et eum ad modum ponderis trahens ad se, diversimode nominatur secundum quod diversimode sumitur. Si enim haec

(1) I Corint. XIII, 8.

inclinatio fit cum electione unius boni prae alio, tunc amor vocatio dilectio. Si mutuo fiat, si vicissim habeatur et rependatur, dicitur amicitia. Si vero est boni quod magno praetio aestimatur, charitas tunc nuncupatur.

Cum autem nullum detur bonum quod sit tanti faciendum ut Deus, abs dubio de charitate erga Deum haec deprecatio loquitur, praesertim cum de amore Cordis Iesu erga homines alias mentio fiat (Concione XIII).

Et hoc concordat cum ipso symbolo fornacis, quo nobis Ecclesia proponit adorandum sacratissimum Cor Iesu. Nam super illud: « Ignem veni mittere in terram et quid volo nisi ut accendatur? » (1), scribit Tirinus: « Quis hic ignis? Odia et persecutiones inquit Tertullianus. Sed quomodo vult Christus ut odia et persecutiones accendantur? Melius ergo Cyrillus esse doctrinam evangelicam autumans. Sed optime Origenes, Ambrosius, Hieronymus, Augustinus et alii esse Spiritum Sanctum et dona Spiritus Sancti, maximeque ardentem zelum et inflammata charitatem, inquit Theophilus et Eutymius (2). Sic ergo hic ignis coelestis, quem Christus in cordibus omnium vult accendi, est charitas Dei in suo sacratissimo Corde ardens ad modum ignis inflammantis, aestuantis, et illuminantis; propter quod legitur: « Dominus Deus tuus ignis consumens est » (3). Et clarius: « Factus est in corde meo quasi ignis exaestuans » (4). Et sic sacratissimum Cor est fornax ardens charitatis, qua dilexit Deum.

Divisio. I. *Digne*; II. *Semper*; III. *Vehementer*.

PARS I. — DIGNE.

Sunt quidam, qui ab initio suae creationis dilexerunt Deum, et in perpetuum diligunt; hi sunt angeli Dei; ideoque dilexe-

(1) Luc. XII, 49.

(2) In Lucam, XII, 49.

(3) Deut. IV, 24.

(4) IEREM. XX, 9.

runt semper. Est alia creatura quae dilexit etiam ab initio suae creationis, sed ardentissime supra omnes angelos et sanctos; et haec est Beata Virgo Maria. Nulla tamen creatura diligit, nec potest diligere Deum digne, seu quantum amabilis est. Ratio est quia cum obiectum materiale charitatis, de qua loquitur, sit bonitas divina, quae infinita est, a nulla creatura, quae utpote talis finita est, quamvis perexcellente, potest condigne diligi, nam infinitum nequit amplecti et quasi intra terminos finiti metiri. Hoc est sacratissimi Cordis Iesu proprium.

Quaerens Divus Thomas, an et quomodo praeceptum charitatis impleri possit perfecte tam in via, quam in patria respondit dicendum: « Quod perfectio charitatis potest dupliciter intelligi; uno modo ex parte diligibilis; alio modo ex parte diligentis.

A) Ex parte quidem diligibilis perfecta est charitas, ut si diligatur aliquid quantum est diligibile. Deus autem tantum diligibilis est quantum bonus est, bonitas autem eius est infinita; unde infinite diligibilis est.

Nulla autem creatura potest eum diligere infinite, cum quaelibet virtus creata sit finita. Unde per hunc modum nulla creaturae charitas potest esse perfecta; « sed solum charitas Dei, qua seipsum diligit » (1). Haec autem est charitas sacratissimi Cordis Iesu; quamvis enim cor carneum, anima rationali animatum, sit quid creatum et finitum, tamen affectiones eius in Christo pretium sumunt inaeestimabile et infinitum ex coniunctione personali cum Verbo; unde apparet quod Deus diligatur quantum diligibilis est a corde hominis Christi, sed dilectione personae Christi quae divina est: « Factus est in corde meo quasi ignis exaestuans ».

B) Prosequitur D. Thomas: « Ex parte vero diligentis tunc charitas est perfecta, quando diligit tantum quantum potest; quod quidem tripliciter contingit. Uno modo sic, quod totum cor hominis actualiter feratur in Deum: et haec est

(1) *Sum. Theol.* II^a-II^{ae}, q. XXIV, a. 8.

perfectio charitatis patriae, quae possibilis non est in hac vita, in qua impossibile est propter humanae vitae infirmitatem semper actu cogitare de Deo, et moveri dilectione ad ipsum. Alio modo ut homo studium suum deputet ad vacandum Deo et rebus divinis, praeterminis aliis, nisi quantum necessitas praesentis vitae requirit: et ista est perfectio charitatis, quae est possibilis in hac vita; non tamen est communis omnibus habentibus charitatem. Tertio modo ita quod habitualiter aliquis totum cor suum ponat in Deo, ita scilicet, quod nihil cogitet, vel velit quod divinae dilectioni sit contrarium; et haec perfectio est communis omnibus habentibus charitatem». Et secundum hoc charitas Cordis Iesu fuit perfectissima; dilexit enim Deum quantum possibile est.

a) Nam habuit charitatem habitualement communem omnibus habentibus charitatem, sed modo excellentissimo; cum enim charitas sit habitus non per vires naturales acquisitus, sed in anima a Spiritu Sancto infusus, super quo fundatur amicitia hominis ad Deum, tanto excellentior erit charitas habitualis, quanto maius donum gratiae. Cum autem gratia Cordis Iesu fuerit summa, sequitur quod charitas eius habitualis fuerit perfectissima.

b) Habuit etiam charitatem actualem perfectiorum sed eminentissimo modo; semper enim cogitavit de Deo; et ad eius dilectionem movebatur non solum appetitive sed et intensive propter hoc, quod ab initio fuit comprehensor: unde legitur: « Ego dormio et cor meum vigilat » (1).

PARS II. — SEMPER.

A) Et primo, dum in terra passibile versabatur. Antequam homo ad usum rationis perveniat nequit Deum diligere actu. Dilectio namque, ut idem nomen sonat, est electio unius boni prae alio; qui actus electionis dari nequit absque usu liberi

(1) *Cant.* V, 2.

arbitrii, qui est actus intellectus et voluntatis, nam liberum arbitrium est facultas intellectus et voluntatis. Nunc autem, quia voluntas sequitur intellectum, et in statu naturae nihil est in intellectu quod non praesupponat actum sensus, et cum in prima hominis aetate non possit dari hic actus perfectus sensus propter defectum organorum, sequitur quod homo nequeat Deum actualiter diligere, donec hanc perfectionem aliquorum saltem sensuum adeptus fuerit.

In illa ergo tam misera hominum aetate Iesus iam Deum diligebat, per actum perfectissimum liberi arbitrii, quem habuit a primo instanti suae conceptionis, dicente D. Augustino (1): « Mox ut Verbum venit in uterum, servata veritate propriae naturae, factum est caro et perfectus homo »; de ratione enim hominis perfecti est quod usum habeat liberi arbitrii. Quia praeterea ut dicit D. Thomas (2): « Verbum assumpsit humanam naturam perfectam, cui propter hoc competit ultima operatio intellectus et voluntatis, quod est usus liberi arbitrii », iam a primo instanti elegit, dilexit et ardentissima charitate Deum Patrem amavit.

Contingit praeterea homines Deum non posse diligere antequam ad usum rationis perveniant, ex defectu cognitionis veritatis. Sicut enim nequit viriliter agi quoad corpus, nisi quando membra perfectionem completam adepta sint, ita quoad voluntatem nequit responsabiliter quis agere nisi quando perfectae rationis sit capax, et per cognitionem veritatis possit considerare, intelligere, deliberare et eligere. Sic antequam umbrae ignorantiae intellectum offuscantes diluantur, nequit voluntas Deum amare.

Sed neque hoc dici potest de Corde Iesu. Christus enim iam a primo instanti suae conceptionis habuit et plenitudinem gratiae sanctificantis, et plenitudinem veritatis cognitae ut dicit D. Ioannes (3): « Vidimus gloriam eius, gloriam quasi Unigeniti a Patre, plenum gratiae et veritatis ».

(1) *Libro de Trinitate.*

(2) P. III, q. XXXIV, a. 2.

(3) IOAN. I, 14.

a) Ita semper Deum Patrem dilexit mandata sua servando; nam primus divini amoris gradus est Dei mandatum servare: unde Christus, aperte fatetur: « Meus cibus est ut faciam voluntatem eius, qui misit me » (1). Quorum quidem mandatorum nullum unquam praeterivit, ita ut morti proximus exclamaverit: « consummatum est » (2); idest, quidquid Dei consilium et voluntas a me faciendum aut tolerandum in hac mortali vita ad hominum salutem decreverunt, quidquid de mea dispensatione et passione veteribus figuris adumbratum et prophetarum, vaticiniis praedictum fuit, iam impletum et perfectum est.

b) Dilexit deinde Eum amore generoso quaerens semper Patri placere; unde: « ego quae placita sunt ei facio semper » (3): id est, eius voluntatem et beneplacitum semper adimpleo et in omnibus ei obtempero.

c) Dilexit tandem amore purissimo conformitatis perfectae cum voluntate Patris, ita ut et in prosperis et in adversis esset omnino conformis voluntas Salvatoris voluntati Patris: « Pater si possibile est transeat a me calix iste; verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu » (4).

B) Mentem vertamus ad considerandum amorem Sacratissimi Cordis Iesu erga Deum in patria. Certum est primum actum voluntatis Iesu totum se actualiter in Deum ferentis, in aeternum duraturum; sicut eadem amoris vi beati diligenter Deum in perpetuum ab ingressu in diem aeternitatis. Unde etsi Christus vitam mortalem degens esset simul viator et comprehensor, proindeque nequiverit amor Eius augeri, mox glorificati, per modum tamen contemplationis potius quam argumenti, dico Cor Iesu ad dexteram Patris sedentis Deum diligere.

a) Amore condigno. Nulla creatura Deum unquam dilexit digne. Venit Christus, Verbum caro factum, et mandatum

(1) IOAN. IV, 34.

(2) IOAN. XIX, 30.

(3) IOAN. VIII, 29.

(4) MATTH. XXVI, 39.

perfecte adimplevit. Pater sibi complacuit in Filio, qui in terris visus est, et cum hominibus conversatus est; in terris versabatur qui Deum diligebat modo quo omnes simul angeli numquam diligere potuerunt. Sed per Ascensionem fuit humana Christi natura in coelo collocata; et ex tunc Cor Iesu, quod a terris diligebat digne, Deum dilexit a dextris Patris sedens, seu in potioribus bonis Patris collocatum; cum tamen in eadem condigna dilectione perseveraverit inter homines morans sub speciebus panis et vini in Eucharistia contentum.

b) Diligit praeterea, et in aeternum diligit amore grati animi pro beneficiis humanitati suae collatis, non solum in tempore, quia plena sanctitate eam ornavit et omnimoda potestate ditavit, et coeleste solatium in mediis angoribus misit, sed etiam pro gloria ad quam SS. Humanitas exaltata est super choros angelorum, facta in summo coelo lucerna illius divinae Ierusalem, ardens perpetuo ante thronum Dei, et angelos beatosque omnes lucis suae radiis iucundissimos reddens.

c) Tandem Cor Iesu in patria diligit Deum amore summo, quo universam coelestem Curiam ita superat, ut etiamsi per hypothesim cuncti beati Deum a redamando cessarent, solo istius Cordis Sacratissimi amore, Divinitas summe et condigne in aeternum redamaretur.

PARS III. — VEHEMENTER.

Praeceptum charitatis est maximum et primum mandatum, et ex toto corde implendum. Sed quis in infirmitatibus vitae positus illud omnino adimplevit? Abs dubio sacratissimum Cor Iesu, de quo loquens Propheta ait: « Dabo vobis cor novum, et spiritum novum ponam in medio vestri » (1).

Quaerens D. Thomas (2), quomodo sit intelligendum hoc praeceptum: diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo,

(1) EZECHIEL, XXXVI, 26.

(2) II^a-II^{ae}, q. XLV.

et ex tota anima tua, ex tota mente tua, ex totis viribus tuis; post comparisonem huius praecepti diversimode traditi diversis locis, respondet: « Est ergo considerandum quod dilectio est actus voluntatis, quae hic significatur per cor: nam sicut cor corporale est principium omnium motuum corporalium; ita etiam voluntas, et maxime quantum ad intentionem finis ultimi, qui est obiectum charitatis, est principium omnium motuum spiritualium. Tria autem sunt principia actuum, quae moventur a voluntate, scilicet: intellectus, qui significatur per mentem; vis appetitiva inferior, quae significatur per animam; et vis executiva exterior quae significatur per fortitudinem, seu virtutem, seu vires. Praecipitur ergo nobis, ut tota nostra intentio feratur in Deum, quod est ex toto corde; et quod intellectus noster subdatur Deo, quod est ex tota mente; et quod appetitus noster reguletur secundum Deum, quo est ex tota anima; et quod exterior actus noster obediat Deo, quod est ex tota fortitudine, vel virtute, vel viribus Deum diligere ».

Quod sacratissimum Cor haec quatuor praecepta in uno illo charitatis praecepto perfectissime implevit, clare evincitur. Nam primo dilexit Deum ex toto corde, totam, scilicet, intentionem actualiter in Deum ferendo; ideo: « ego dormio et cor meum vigilat » (1). Deinde dilexit Deum ex tota mente per subiectionem plenam intellectus Patri iubenti per se, vel per legem; ideo: « et erat subditus illis » (2). Tertio dilexit Patrem ex tota anima ordinans vim appetitivam inferiorem secundum voluntatem divinam, et ideo: « verumtamen, non mea voluntas, sed tua fiat » (3). Et tandem dilexit eum quoad actus exteriores, ex tota fortitudine, vel virtute, vel viribus; ait enim: « nesciebatis quia in his, quae Patris mei sunt, oportet me esse? » (4). Ego in hoc natus sum, et ad hoc veni in mundum ut testimonium perhibeam veritati » (5).

(1) Cant. V, 2.

(2) Luc. II, 51.

(3) Luc. XXII, 42.

(4) Luc. II, 49.

(5) Ioan. XVIII, 37.

Consequentia. Ergo ad Cor Iesu ut inflammemur: absque enim charitate anima languescit et perit: « qui non diligit manet in morte ». Per charitatem, quae est velut mater radix et forma aliarum virtutum, diligimus Deum eodem amore, quo ipse diligitur, ut beatitudinis obiectum; ideo Apostolus: « maior autem horum est charitas »; nam per eam homo Deo appropinquat, assimilatur, et intime adhaeret. Et D. Thomas (1): « Magnitudo virtutis secundum suam speciem consideratur ex obiecto. Cum autem tres virtutes theologicae respiciant Deum ut proprium obiectum, non potest una earum dici maior altera ex hoc quod circa maius obiectum, sed ex eo quod una se habeat propinquius ad obiectum quam alia. Et hoc modo charitas est maior aliis. Nam aliae important in sui ratione quamdam distantiam ab obiecto, est enim fides de non visis, spes de non habitis; sed amor charitatis est de eo, quod iam habetur; est enim amatum quodammodo in amante, et etiam amans per affectum trahitur ad unionem amati, propter quod dicitur: « qui manet in charitate in Deo manet, et Deus in eo » (2).

Affectus. O Cor Iesu divinae charitatis incendium! Vere de te dictum fuit: « Deus tuus ignis consumens est » (3); nam a principio tuae formationis Deum dilexisti et in aeternum diliges vehementer ac digne. O Cor, cuius ardoribus sancti inflammantur, coeli accenduntur, et tot electi languerunt! O Cor, huiusce charitatis igne universum mundum accendi desiderans! Doce nos amare; accende nos amore; umbras mentis nostrae tua luce dissipa; pravitatem abhorrentium te muta; tepiditatem incipientium inflamma, charitatem amantium auge; flammis, quae intra te contineri nequeunt immunda nostra ure; et omnia corda accende, ut Deus, qui a te ac beatis tuis vehementer in coelis amatur, etiam a nobis ex toto corde diligatur in terris.

(1) I^a-II^{ae}, q. LXVI, a. 6.


(2) I Ioannis, IV, 16.

(3) Deuter. IV, 24.

Deprecatio. Illo nos igne quaesumus, Domine, Spiritus Sanctus inflammet, quem Dominus noster Iesus Christus e penetralibus Cordis sui misit in terram, et voluit vehementer accendi (1).

(1) Ex Missa « Egredimini ».





CONCIO X.

THEMA: Septuaginta hebdomades abbreviatae sunt... ut adducatur iustitia sempiterna... et ungatur Sanctus Sanctorum.

(Dan. IX, 24).

IDEA CONCIONIS

PROP. Cor Iesu amplectendum, quia est iustitiae receptaculum.

DIVISIO. I Est receptaculum capacissimus sanctitatis. II Est receptaculum capacissimum totius sanctitatis.

PARS I. Quia: *a)* capacius alio quovis corde; *b)* capacius mundo; *c)* capacius coelo.

PARS II. Est receptaculum capacissimum totius sanctitatis: nam *A)* si sanctitas Cordis Iesu per comparisonem ad sanctitatem caeterorum sanctorum consideretur, est excelsior *a)* sanctitate sanctorum; *b)* angelorum; *c)* Beatae Virginis Deiparae. *B)* Si in seipsa consideretur est altissima *a)* sanctitate animae Christi; *b)* sanctitate Personae Verbi.

Exordium. Duplici creaturarum ordine summus conditor mundum universum replevit, corporalium scilicet et spirituum; quas quidem diversis perfectionibus secundum uniuscuiusque naturam ornavit. « Viditque Deus cuncta quae fecerat, et erant valde bona » (1). Quae bonitas duplex est: alia naturalis, qua res est in sua natura perfecta « unumquodque enim dicitur bonum secundum quod est perfectum » (2); alia

(1) *Gen.* I, 31.

(2) *Sum. Theol.* p. I, q. VI, art. 3.

vero spiritualis, id est, propria creaturarum spiritualium, qua Deo assimilantur et adhaerent; et haec: sanctitas nuncupatur. Nam sanctitas, dicente Augustino, animam Deo similem reddit: « cogitemus nos tanto similiores Deo, quanto esse poterimus eius participatione iustiores » (1); et ei adhaeret: « Ipsi » (Domino) « servietis et ipsi adhaerebitis » (2). « Innocentes et recti adhaeserunt mihi » (3). Ad hanc ergo sanctitatem, seu potissimam animae perfectionem, secundum quod supponit omnes virtutes et actus earum ab ipso Deo vocatos, « sancti eritis, quia ego sanctus sum » (4), Christus venit nos evehere et sua gratia et suo exemplo, reddens participes infinitae sanctitatis suae, in Sacratissimo eius Corde reconditae, cuius est mundissimum receptaculum. En quare colimus illud ut receptaculum iustitiae, et ratio, quā statuo hanc propositionem:

Propositio. *Cor Iesu amplectendum, quia est iustitiae receptaculum.*

Non sumenda est hic iustitia specialiter, sive pro virtute cardinali voluntatem inclinante ad reddendum unicuique quod suum est: sed melius generaliter pro sanctitate, sive complexu omnium virtutum et pro omnimoda perfectione qua ornatum apparet sacratissimum Cor Iesu. Nam « iustum dicitur quod est suae regulae adaequatum; et iustitia, quae hanc adaequationem efficit; omnium autem virtutum collectio reddit voluntatem adaequatam suae regulae, legi nempe Divinae, proindeque recte dicitur iustitia, et quaelibet virtus pars iustitiae » (5). Et in hoc sensu dicit Apostolus (6): « Finis enim legis Christus ad iustitiam omni credenti; Moyses enim scripsit, quoniam iustitiam, quae ex lege est, qui fecerit homo, vivet in ea ». Et clarius ipse Christus: « Beati qui esuriunt et sitiunt

(1) *Epist. 25 ad Consentium.*

(2) *Deut. XIII, 4.*

(3) *Psalm. XXIV, 21.*

(4) *Levit. XI, 45.*

(5) *BILLUART 2^a-2^{ae}, dissert. V, proëm.*

(6) *Ad Rom. X, 4 et 5.*

iustitiam (id est sanctitatem), quoniam ipsi saturabuntur » (1). Quia ergo Christus est essentialiter sanctus, « quod nascetur ex te sanctum vocabitur Filius Dei » (2), suum Cor sacratissimum veneramur uti receptaculum sanctitatis.

Divisio. Quam quidem sanctitatem considerabimus ex parte ipsius Cordis Iesu, et ex parte ipsius sanctitatis. Ex parte Cordis Iesu: I. *Est receptaculum capacissimum sanctitatis.* Ex parte sanctitatis: II. *Est receptaculum capacissimum totius sanctitatis.*

PARS I. — EST RECEPTACULUM CAPACISSIMUM SANCTITATIS.

Cor Iesu est receptaculum capacissimum sanctitatis. Dictum est supra quod sanctitas est spiritualis naturae potissima perfectio, qua Deo assimilatur homo, et adhaeret. Quanto autem maior erit haec similitudo et unio, ad quam cor cuiuscumque praedestinatum est, tanto magis oportuit cor illud efformari receptaculum capax. Nunc autem nullum, ut Cor Iesu, praedestinatum fuit simile Deo et illi intimius unitum. Quando, creatione coeli et terrae et omnium, quae in eis sunt, consummata, Deus voluit hominem efformare ait: « Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram » (3); id est excellentiorem caeteris creaturis mundi visibilis. Ad hoc ergo ut homo esset Deo similis, oportebat eum ita natura excellentiori prae caeteris ornari, ut imaginem et similitudinem Divinitatis valeret intra se continere, et foras ostendere. Et ideo non solum esse, et vitam et sensibilitatem huic porrigit, sed intelligentem spiritum dat, ut possit Deum ipsum attingere, prout fert D. Augustini sententia: « Fecisti nos, Domine, ad te ». Itaque Deus, qui omnibus adest per essentiam, praesentiam et potentiam, voluit specialius per imaginem

(1) *MATTH. V, 6.*

(2) *LUC. I, 35.*

(3) *Gen. I, 26.*

et similitudinem in homine sedem habere. Et quia de ratione imaginis est similitudo, similem sibi quoad animam efformavit, unam in essentia, trinam in potentiis, spiritualem, intelligentem et in creationem omnem imperantem: « Omnia subiecisti sub pedibus eius »: oportebat enim ut Deus, qui spiritus est, in spiritu sedem haberet; et qui invisibilis est, ab oculis mentis attingeretur; et quia intelligens est, ab intellectu cognosceretur; et quia perfectissimus est, in admiratione imitabilis virtute fieret: « Estote ergo perfecti sicut Pater vester coelestis perfectus est »; et quia bonus est redamaretur. Sic igitur hominem receptaculum Divinitatis capacius et viciniorem sibi imaginem creavit.

Et idem dicendum de Angelis. Angelos Deus creavit ut eum viderent, servirent et bonitate sua fruerentur, non mediate sicut homo, qui Deum hic videt per creaturas quasi per aenigma et speculum, ut ait Apostolus, sed immediate facie ad faciem ut tamquam ministri deservirent, et ut specialius potentia, gloria et divina maiestas in eis fulgeret. Ideo non corpus eis aptavit, sed mentes, seu spiritus creavit: *qui facit Angelos suos spiritus*; qui et Divinitatem clarius viderent, et promptius deservirent; et, similiores prae caeteris, naturae Dei, potentiam et gloriam Eius praecipue in se referrent et demonstrarent. Et sic receptaculum capacius sanctitatis divinae, naturam angelicam quam humanam efformavit.

Et idem de Virgine Maria quam Deus praedestinavit ut esset Mater Unigeniti sui; et inde gratia plena; ut enim scribit D. Hieronymus (1): « Bene gratia plena, quia caeteris per partes (gratia) praestatur, Mariae vero simul se infundit tota plenitudo gratiae ». Et propter hoc praedestinata ut esset receptaculum gratiae ac sanctitatis capacius prae caeteris angelis et sanctis. Praedestinatio enim electionem importat, electio vero dilectionem; cum autem dilectio eadem sit ex parte Dei, non tamen ex parte dilectorum, in quibus manifestatur secundum effectus, quos Deus disposuit ab aeterno producere,

(1) *Sermo de Assumptione.*

et praecipue ex parte diversi finis, ad quem electus est praedestinatus; hinc dilectio Dei, quae similitudinem et unionem importat, manifestatur in tempore perfectiores alias creaturas et etiam sanctiores creando prae caeteris secundum diversam similitudinem et unionem, quibus Deo copularentur, iuxta aeternam praedestinationem. Et hoc sensu dico, alias prae aliis, esse receptaculum sanctitatis capacius. Nunc autem nulla est inter spirituales naturas quae praedestinata sit ad similitudinem et unionem intimiorem ad Deum habendam sicut Cor Iesu, quod est cor Filii qui est imago Dei invisibilis, et unum cum Patre. Unde sequitur non dari cor aliquod, sicut Cor Iesu, receptaculum capacius sanctitatis.

a) Hinc capacius quovis alio, idest: prae caeteris, quod superexcellentiā importat; nam ut dictum est, in nullo sicut in Corde Iesu, manifestata est dilectio Dei efformando illud ad duplicem effectum sanctitatis possidendum modo perfectissimo et divino, similitudinem nempe ac unionem.

b) Capacius mundo. Nam Deum, quem capere non potest mundus physicus cum spiritus sit, nec mundus spirituum quia simplicissimus et purissimus est, nec uterque quia infinitus, Cor Iesu capit ex hoc quod Verbo Dei est substantialiter unitum.

c) Capacius coelo. Nam Deus, quem coelum et coeli coelorum capere non possunt, cuius infinita maiestate pleni sunt coelum et terra, in Corde Iesu moratur non figuraliter sed personaliter; est enim Cor Filii Patris aeterni, in quo sunt velut recondita infinita Divinitatis mysteria, omnes sapientiae divinae thesauri absconditi, atque incomprehensibiles et ineffabiles Dei perfectiones velut contractae.

PARS II. — EST RECEPTACULUM CAPACISSIMUM
TOTIUS SANCTITATIS.

Deinde considerandum nobis est Cor Iesu iuxta id, quo fit receptaculum totius sanctitatis. Super quod duplex consideratio nobis occurrit. Prima est consideratio sanctitatis Cordis

Iesu per comparisonem ad sanctitatem aliorum sanctorum. Secunda est consideratio sanctitatis Cordis Iesu in seipsa. Quantum ad primum, dico sanctitatem Cordis Iesu sanctitatem eminentiorum sanctorum in summum superare. Super illud B. Pauli (1): « Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti et immaculati in conspectu eius », dicit D. Thomas (2): « Ante mundi constitutionem, id est, ab aeterno, antequam fieremus, elegit, inquam, non quia sancti essemus, quia nec eramus; sed ad hoc elegit nos, ut essemus sancti virtutibus et immaculati a vitiis, utrumque enim facit electio secundum duas partes iustitiae, declina a malo et fac bonum ». Sancti, inquam, in conspectu eius, id est: « interius in corde, ubi ipse solus conspicit »; exterius vero, addam, in opere, ut unusquisque sit coram Deo instar prophetae « potens in opere et sermone »; nam « corde creditur ad iustitiam, ore confessio fit ad salutem », et « fides sine operibus mortua est ». Ex quo sequitur receptaculum aliquod tanto excellentiorem sanctitatem capere, quanto immunius a labe, quanto abundantius virtutibus, et quanto stabilius est.

A) Nunc autem sanctorum quidam ad humanam naturam, quidam vero ad angelicam pertinent. Inter sanctos ex hominibus nullus invenitur ab omni labe immunis, Dei Genitrice excepta; praeter ea, quae pie traduntur, de S. Ioanne Baptista, de S. Iosepho B. M. V. Sponso, de Henoc et Ieremia. Nulla ergo humana creatura potest esse receptaculum capacissimum totius sanctitatis ex parte omnimodae immunitatis a culpa saltem originali, quam concepti tulerunt, praesantificati autem gratia, non tulerunt nascentes. Quantum vero ad sanctos naturae angelicae spectat, quamvis ab omni labe immunes non tamen sanctissimos, quia ex natura sua non impeccabiles, nam ante confirmationem in statu gratiae peccare potuerunt, sicut angeli mali. Nemo ergo, etiam in angelis est, receptaculum capacissimum totius sanctitatis, cum

(1) *Ad Ephes. I, 4.*

(2) *Expos. in hunc loc.*

saltem aliquando a sanctitatis statu removeri potuissent. Sola Virgo Maria fuit semper et ab omni labe immunis et in gratia creata; etiam antequam crearetur actu; quia coram Deo erat cuncta componens, quae ad opus Dei ingens excitandum, scilicet incarnationem in medio annorum, et vivificandum pertinebant, ut per Christum omnia conciliarentur Deo quae in coelis et quae in terra sunt; ac talis erat, ut ait Ecclesia, ab initio et ante saecula, et in habitatione sancta coram Deo ministrabat antequam quidquam faceret a principio, hoc est: a Verbo; cum enim Christus rogaretur quis esset: ego, respondit, principium, qui loquor et vobis. Sed tamen non semper saltem actu, et physice fuit; et ideo finita sicut omnis creatura. Nequit ergo esse receptaculum capacissimum totius sanctitatis, tum quia circumscribitur terminis naturae, tum quia gratia et sanctitas eius sunt quid creatum et infusum.

Tantum sacratissimum Cor Iesu capit totam sanctitatem, quia immune ab omni labe, et non gratia, sicut Virgo, sed natura, ideoque iustum anthonomastice vocatur: « Rorate coeli desuper, et nubes pluant iustum » (1). Unice illud totius sanctitatis in omni significatione est capax quod est essentialiter sanctum, quod ut sanctum et Filius Dei Virgini annunciat ex ea nasciturum, quod unam eandemque habet cum Patre sanctitatem. Tandem unice totius sanctitatis est receptaculum Cor Eius qui nec finem nec principium habet: « Amen amen dico vobis, antequam Abraham fieret, ego sum » (2).

B) Praeterea considerare debemus sanctitatem cordis Iesu ex parte ipsius sanctitatis, quae tota simul in eo est velut in receptaculo.

Quia Christus est simul Deus et homo, alia est sanctitas animae, quae est creata, alia sanctitas divina quae est increata.

a) Si sanctitas animae consideretur est totalis et completissima quia infinita. Sic enim se habet sanctitas ad potentias animae, sicut gratia ad essentiam, propter quod, sicut

(1) *ISA. XLV, 8.*

(2) *IOAN. VIII, 58.*

potentiae derivantur ab essentia, ita sanctitas est quaedam derivatio gratiae. Nunc autem gratia animae in Christo fuit plenissima tum intensive, tum extensive, seu virtualiter. Intensive quia habuit eam in summo secundum perfectissimum modum, quo haberi potest (1), tum ex propinquitate ad Verbum, tum velut principium universale, ex quo in alios gratia transfunderetur. Extensive, quia habuit eam ad omnes gratiae effectus, id est, ad omnes virtutes et dona, ad omnem sanctitatem quae ab ea tamquam ab universali principio proveniunt. Et sic patet animam Christi totam sanctitatem possidere quia gratiae plenitudo fuit ornata. Et non sicut aliqui sancti qui dicuntur pleni; «repleti sunt omnes Spiritu Sancto» (2); non sicut B. Virgo, cui dixit angelus: *Ave gratia plena* (3); sed modo excellentissimo; habet enim sanctitatem aliquo vero sensu infinitam. Nam iuxta D. Thomam, gratia Christi est infinita, tum gratia unionis quae nihil aliud est quam ipsum uniri personaliter Filio Dei, qui quidem, cum infinitus sit, hanc gratiam infinitam reddit: tum gratia habituali, quae, quamvis secundum quid sit ens creatum in anima Christi, et nequit esse infinita, cum anima Christi sit finita, tamen secundum propriam rationem gratiae potest dici infinita, eo quod non limitatur, quia scilicet habet quidquid potest pertinere ad rationem gratiae, et non datur ei secundum aliquam certam mensuram id, quod ad rationem gratiae pertinet; eo quod secundum propositum Dei, cuius est gratiam metiri gratia confertur animae Christi sicut cuidam universali principio gratificationis in humana natura, secundum illud (4): «Gratificavit nos in dilecto Filio suo» (5). Et per hoc dici potest sanctitatem animae Christi infinitam esse, cum a gratia procedat, sicut calor ab igne. Propterea quod sacratissimum Cor Iesu sit receptaculum capax totius sanctitatis, tum quia

(1) Vide *Sum. D. Thom.*, p. III, q. VII, a. 9.

(2) *Act. Apost.* II, 4.

(3) *Luc.* I, 28.

(4) *Ephes.* I, 6.

(5) *Sum. Theol.* p. III, q. VII, a. 11.

capit sanctitatem infinitam ratione gratiae infinitae, tum quia capit plenam sanctitatem ratione plenitudinis gratiae.

b) Si sanctitas personae Christi consideretur, est sanctitas totalis. Diximus sanctitatem nihil aliud esse quam bonitas et perfectio naturae intellectualis; atque ideo convenit ac debetur Deo quia bonus, quia perfectus. Nunc autem quia persona Christi est divina, sanctitas personae Christi est sanctitas divina, sanctitas essentialis, increata, infinita, immensurabilis, incomprehensibilis, sanctitas, qua et Filius placet Patri, et Pater Filium perfectissimum et sanctissimum ab aeterno generat, sanctitas, qua Filius est sicut Pater sanctissimus, et Filius et Spiritus Sanctus sicut Pater; est sanctitas quam totam integram et completam habet Filius sicut Pater et Spiritus Sanctus, quia attributum essentialis Divinitatis, ideoque sanctitas personae Christi est infinita. Nunc vero, quia sacratissimum Cor Iesu est Cor personae Divinae, non solum est sanctitate divina ornatum, sed est velut synopsis, compendium, anacephaleosis, et receptaculum sanctitatis divinae, ideoque receptaculum capacissimum totius sanctitatis.

Consequentia. Ergo est amplectendum; est enim Cor Iesu velut emporium, thesaurus, aerarium omnium virtutum et gratiarum, quarum cumulus sanctitatem eius infinitam constituit, ad quam sumus vocati: «sancti estote, quia ego sanctus sum» (1). «Estote ergo vos perfecti sicut et Pater vester coelestis perfectus est» (2); id est: «vos ab Ethnicis estis segregati et a Deo electi, ut sitis eius fideles, amici, filii et haeredes; imitamini ergo sanctitatem et perfectionem Patris vestri coelestis» (3). Nunc autem cum: sanctificari tria importet, iuxta D. Thomam, scilicet, mundari a peccato, confirmari in bono, et deputari ad cultum Dei (4), iuxta quae gradatim in viam sanctitatis progredimur, Cor Iesu amplecti

(1) *Levit.* XI, 44.

(2) *Matth.* V, 48.

(3) A LAP. in hunc loc.

(4) II^a, II^{ae} q. LXXXI, a. 8.

debemus, quia innocentissimum, quia gratia plenissimum, quia praecipuum Deo holocaustum oblatum, ideoque sanctitatis omnimodae capacissimum receptaculum: ex quo et per quod omnem sanctitatem in nos pervenire oportet; nam per illud ab occultis nostris mundabimur, et in via salutis secure progrediemur, et cum eo cultum Deo dignum offeremus.

Affectus. Pudet me, o Cor Iesu, peccatorem, miserum, virtutibus destitutum, vitiorum sarcina oneratum, fragilem, tentationibus oppressum et tot peccatis reum in conspectu tuo sanctissimo apparere. Heu me miserum! A te discedere non possum, quia «qui elegant se a te, peribunt» (1). Venire ad te erubesco quia «non est pax ossibus meis a facie peccatorum meorum» (2). Te amplecti, te deosculari non audeo, ne forte dicas sicut olim Moysi; «ne appropies huc; solve calceamentum de pedibus tuis: locus enim in quo stas terra sancta est» (3). Quid ergo faciam? O crudelis peccati poena! O misera peccatoris conditio! Indigeo tui; bonitas allicit, at me tua sanctitas terret, ac nolens repellat. Audio tamen te dicentem «non veni vocare iustos sed peccatores», addentemque mihi animum et virtutem, ut surgam et vadam, immo veniam ad te Patrem meum. Quia ergo peccator sum, ad te venio; quia tantus peccator sum, primus ad te venio: quia maximus peccatorum fui, strictissimo amplexu tibi me iungo: prope te, super pectus tuum, et cordi tuo incumbam, et ne permittas me separari a te.

Deprecatio. Da nobis, quaesumus Domine, in sanctitate tua per Cor dilectissimi Filii tui, ita creaturis omnibus mori, ut totis animae nostrae viribus ad te suspirantes cum B. Virgine Maria et omnibus sanctis conversatio nostra sit in Corde Unigeniti tui, ubi, mundanorum oblita, magnificet anima nostra Dominum, et cum eis exultet spiritus noster in Deo salutari suo (4).

(1) *Psalm.* LXXXII, 27.

(2) *Psalm.* XXXVII, 4.

(3) *Exod.* III, 5.

(4) *Ex quod. Offic. parv. Cordis Iesu.* Nilles, pag. 445.

CONCIO XI.

THEMA: Concaluit cor meum intra me.

(*Psalm.* XXXVIII, 4).

IDEA CONCIONIS

PROP. Cor Iesu diligendum, quia est amoris receptaculum.

DIVISIO. I. Est receptaculum amoris creati voluntatis humanae Christi.

II. Est receptaculum amoris increati personae divinae Verbi.

PARS I. Quia est receptaculum: A) amoris naturalis, scilicet: a) appetitus naturalis; b) sensitivi; c) intellectivi. B) Quia est receptaculum amoris acquisiti; nam a) voluntas eius erat in potentia ad amorem acquisibilem; b) et est connaturale homini habere amorem propriis actibus acquisitum.

PARS II. Est receptaculum amoris increati personae divinae Verbi, quo a) amat Seipsum; b) amat creaturas aliquo tempore existentes; c) amat etiam creaturas possibles.

Exordium. Ipsa deprecationis forma demonstrat sensum quo sumi debet amor Cordis Iesu. Dicit enim quod est amoris receptaculum. Cum autem obiectum charitatis sit duplex, Deus scilicet et proximus, secundum illud: «Diliges Dominum tuum (super omnia), et proximum tuum, sicut teipsum» (1), oportet ut aliquo alio sensu sumatur, cum neque de amore erga Deum, nec de amore erga proximum intelligi debeat. Non de amore erga Deum, tum quia charitas dicitur, tum quia de illa iam disseruimus loquendo de Corde Iesu uti de fornace ardenti

(1) *MATTH.* XXII, 37 et 39.

debemus, quia innocentissimum, quia gratia plenissimum, quia praecipuum Deo holocaustum oblatum, ideoque sanctitatis omnimodae capacissimum receptaculum: ex quo et per quod omnem sanctitatem in nos pervenire oportet; nam per illud ab occultis nostris mundabimur, et in via salutis secure progrediemur, et cum eo cultum Deo dignum offeremus.

Affectus. Pudet me, o Cor Iesu, peccatorem, miserum, virtutibus destitutum, vitiorum sarcina oneratum, fragilem, tentationibus oppressum et tot peccatis reum in conspectu tuo sanctissimo apparere. Heu me miserum! A te discedere non possum, quia «qui elegant se a te, peribunt» (1). Venire ad te erubescio quia «non est pax ossibus meis a facie peccatorum meorum» (2). Te amplecti, te deosculari non audeo, ne forte dicas sicut olim Moysi; «ne appropies huc; solve calceamentum de pedibus tuis: locus enim in quo stas terra sancta est» (3). Quid ergo faciam? O crudelis peccati poena! O misera peccatoris conditio! Indigeo tui; bonitas allicit, at me tua sanctitas terret, ac nolens repellat. Audio tamen te dicentem «non veni vocare iustos sed peccatores», addentemque mihi animum et virtutem, ut surgam et vadam, immo veniam ad te Patrem meum. Quia ergo peccator sum, ad te venio; quia tantus peccator sum, primus ad te venio: quia maximus peccatorum fui, strictissimo amplexu tibi me iungo: prope te, super pectus tuum, et cordi tuo incumbam, et ne permittas me separari a te.

Deprecatio. Da nobis, quaesumus Domine, in sanctitate tua per Cor dilectissimi Filii tui, ita creaturis omnibus mori, ut totis animae nostrae viribus ad te suspirantes cum B. Virgine Maria et omnibus sanctis conversatio nostra sit in Corde Unigeniti tui, ubi, mundanorum oblita, magnificet anima nostra Dominum, et cum eis exultet spiritus noster in Deo salutari suo (4).

(1) *Psalm.* LXXXII, 27.

(2) *Psalm.* XXXVII, 4.

(3) *Exod.* III, 5.

(4) *Ex quod. Offic. parv. Cordis Iesu.* Nilles, pag. 445.

CONCIO XI.

THEMA: Concaluit cor meum intra me.

(*Psalm.* XXXVIII, 4).

IDEA CONCIONIS

PROP. Cor Iesu diligendum, quia est amoris receptaculum.

DIVISIO. I. Est receptaculum amoris creati voluntatis humanae Christi.

II. Est receptaculum amoris increati personae divinae Verbi.

PARS I. Quia est receptaculum: A) amoris naturalis, scilicet: a) appetitus naturalis; b) sensitivi; c) intellectivi. B) Quia est receptaculum amoris acquisiti; nam a) voluntas eius erat in potentia ad amorem acquisibilem; b) et est connaturale homini habere amorem propriis actibus acquisitum.

PARS II. Est receptaculum amoris increati personae divinae Verbi, quo a) amat Seipsum; b) amat creaturas aliquo tempore existentes; c) amat etiam creaturas possibles.

Exordium. Ipsa deprecationis forma demonstrat sensum quo sumi debet amor Cordis Iesu. Dicit enim quod est amoris receptaculum. Cum autem obiectum charitatis sit duplex, Deus scilicet et proximus, secundum illud: «Diliges Dominum tuum (super omnia), et proximum tuum, sicut teipsum» (1), oportet ut aliquo alio sensu sumatur, cum neque de amore erga Deum, nec de amore erga proximum intelligi debeat. Non de amore erga Deum, tum quia charitas dicitur, tum quia de illa iam disseruimus loquendo de Corde Iesu uti de fornace ardenti

(1) *MATTH.* XXII, 37 et 39.

charitatis. Nec de amore erga nos, tum quia non apparet congruum amorem summum meditari velut reconditum, quem tot tantisque modis Dominus Iesus in nos effudit, tum quia de illo fit sermo sequenti deprecatione, sub numero *decimo*. Sensus ergo indicatur verbo: receptaculum; nam receptaculum idem sonat ac locus depositi, emporium, aerarium, nummaria mensa, fontis lacus, vas, mare, vel quidquid aliud continens; unde quod in ipso continetur, contentum vel receptum dicitur. Igitur meditari Cor Iesu velut amoris receptaculum, idem est ac meditari summum Iesu amorem reclusum et commorantem sicut in propria sede, intra Cor Iesu; et clarius, et magis proprie, et aptius, prout est iustrumentum quo diligit nos in tempore, ut homo, Filius Dei qui ab aeterno dilexit nos. En quare diligendum prae omnibus; en et ratio, qua a me stabiliatur haec

Propositio. *Cor Iesu diligendum, quia est amoris receptaculum.*

Cum in Christo sit duplex natura, est in eo duplex voluntas. Utraque enim est in se perfecta et completa. Nam Filius Dei nullam passus est diminutionem, assumens naturam humanam, in his quae pertinent ad naturam divinam; quapropter Christo inest voluntas divina cum ad divinam naturam pertineat voluntatem habere. Et similiter quia naturam humanam assumpsit perfectam et de ratione perfectionis huiusmodi sit voluntatem habere sicut intellectum, quae sunt naturales animae potentiae, ideo Christus praeter divinam, habuit etiam voluntatem humanam. Et idcirco Concilium Constantinopolitanum statuit: « Iuxta quod olim prophetae de Christo, et (iuxta quod) ipse nos erudit, et sanctorum Patrum nobis tradidit symbolum, duas naturales voluntates in eo et duas naturales operationes praedicamus (1). Unde sequitur quod cum obiectum voluntatis sit bonum appetibile, cuius ratio est in intellectu, actus voluntatis, seu velle, nihil est aliud quam

(1) *Act. XVIII.*

inclinatio quaedam in bonum, sicut in proprium obiectum. Amor autem, qui est huiusmodi inclinatio ab intellectu propositum, erit duplex secundum duplicem voluntatum inclinationem. Unde necesse est ponere in Christo duplicem amorem iuxta duplicem voluntatem.

Divisio. Hoc divisionis viam praestat dicendo Cor Iesu esse receptaculum amoris: I. *Creati*; et II. *Increati*, sive amoris humani quem habuit secundum quod homo, et divini quem habet secundum quod Deus.

PARS I. — EST RECEPTACULUM AMORIS CREATI.

Est receptaculum amoris creati, scilicet voluntatis humanae Christi.

Quia cor est symbolum naturale amoris et sedes excellentissimae potentiae animae, quae voluntas dicitur, consequenter Cor Iesu uti receptaculum amoris veneramur. Ideo dico in primis esse receptaculum huiusmodi amoris secundum quod homo.

a) Et primo: Cor Iesu habuit amorem, seu dilectionem naturalem provenientem ex naturali voluntatis inclinatione in finem ultimum, seu beatitudinem; nam omnis homo naturaliter appetit beatitudinem. Ideo iuxta D. Thomam « dilectio naturalis est dilectio boni, quod homo naturaliter vult sicut finem » (1). Cuius quidem boni dilectio fuit in Christo, primo quia fuit versus homo, et ideo sicut caeteri homines per actum voluntatis inclinatur naturaliter in bonum, a fortiori voluntas animae Christi ad illud tendere debebat, quae fuit inter animas excellentissima, non in ratione naturae sed in ratione potentiarum; nam Verbum, quod ad perficiendam mentem humanam sibi intellectum univit (2), etiam ut vo-

(1) P. I, q. LX, a. 2.

(2) P. III, q. V, a. 4 ad 1^{um}.

luntatem humanam perficeret eam assumpsit. Quia ergo quanto aliquid principio alicui tenacius adhaeret, tanto magis de illo participat, sicut intellectus in cognitione veri, ita et voluntas in inclinatione naturali ad bonum, in Christo omnes alias voluntates et hominum et angelorum superavit. Secundo quia ut ait D. Thomas « sicut cognitio naturalis semper est vera, ita dilectio naturalis semper est recta, cum amor naturalis nihil aliud sit quam inclinatio, naturae indita ab auctore naturae. Dicere ergo quod inclinatio naturae non sit recta, est derogare auctori naturae » (1); quamobrem animae Christi deesse nequit talis rectitudo, tum quia Deus, qui ut auctor naturae, omnia perfecte formavit, voluntatem humanam Christi rectissimam fecit; tum quia ipse Christus utpote omni peccato obnoxius naturaliter et absque ullo impedimento ad bonum ultimum tendebat. Ergo Christus habuit amorem naturalem.

Hic autem amor naturalis triplex est, scilicet in appetitu naturali, in sensitivo, et in intellectivo (2). Nam « cum omnia procedant ex voluntate divina, omnia suo modo per appetitum inclinantur in bonum, sed diversimode. Quaedam enim inclinantur in bonum per solam naturalem habitudinem, absque cognitione, sicut plantae et corpora inanimata; et talis inclinatio ad bonum vocatur: appetitus naturalis. Quaedam vero ad bonum inclinantur cum aliqua cognitione; non quidem sic quod cognoscant ipsam rationem boni, sed cognoscunt aliquod bonum particulare, sicut sensus, qui cognoscit dulce, album, et alia huiusmodi. Inclinatio autem, hanc cognitionem sequens, dicitur appetitus sensitivus. Quaedam vero inclinantur ad bonum cum cognitione qua cognoscunt ipsam boni rationem, quod est proprium intellectus; et haec perfectissime inclinantur in bonum; non quidem quasi ab alio solummodo directa in bonum, sicut ea, quae cognitione carent, neque in bonum particulare tantum, sicut ea, quibus est

(1) P. I, q. LX, a. 1 ad 3^{um}.

(2) P. I, q. LX, a. 1 corp.

sola sensitiva cognitio; sed quasi inclinata in ipsum universale bonum. Et haec inclinatio dicitur voluntas » (1). Quia ergo Christus, ut verus homo, habuit hanc triplicem vitam, scilicet, vegetativam, sensitivam et intellectivam, et unaquaeque earum erat ad suum speciale bonum inclinata, hinc quod in ipso fuit triplex amor naturalis, scilicet, appetitus naturalis, sensitivus et intellectivus.

b) Deinde Cor Iesu habuit amorem seu dilectionem acquisitam.

Amor acquisitus in hoc differt ab amore naturali, quod naturalis ab auctore naturae inditus est; acquisitus autem est experientia, seu conversatione comprobatus. Nunc vero quia amor est inclinatio in bonum ab intellectu voluntati propositum, ibi est ratio singularis amoris, ubi intellectus vel nova, vel nove voluntati amplectenda proponit.

Intellectus humanus in Christo non poterat nova voluntati proponere, quia omnia videbat in Verbo per scientiam beatam, sed poterat nove proponere per scientiam acquisibilem, quae fuit in eo, et qua modo humano intelligebat. Sicut ergo intellectus Christi erat in potentia connaturali ad scientiam per se acquisibilem sicut intellectus caeterorum hominum, cum quibus est eiusdem speciei, ita voluntas eius erat in potentia ad amorem acquisibilem; oportebat enim ut omnis potentialitas animae Christi naturalis reduceretur ad actum. Et sic oportet quod voluntas humana Christi habeat non solum amorem naturalem, sed et acquisitum, quia voluntas sequitur intellectum.

Deinde iuxta Damascenum « Verbum assumpsit quidquid in natura plantavit, nedum quoad substantiam, sed etiam quoad modum connaturalem; tum quia valde inconveniens foret quod potentia animae Christi perpetuo maneret frustrata proprio ac sibi debito atque connaturali actu secundum statum suum. Nunc autem proprium ac connaturale est homini, praeter amorem naturalem a natura inditum, amorem

(1) P. I, q. LIX, a. 1.

acquisitum habere propriis actibus acquisitum; ut enim dicit D. Thomas: «Sicut formae altiori modo existunt in habentibus cognitionem supra modum formarum naturalium, ita oportet quod in eis sit inclinatio supra modum inclinationis naturalis quae dicitur appetitus naturalis. Et haec superior inclinatio pertinet ad vim animae appetitivam, per quam animal appetere potest ea, quae apprehendit, non solum ea, ad quae inclinatur ex forma naturali» (1).

Unde, cum in Christo fuerit scientia acquisibilis propriis suis actibus acquisita, ne intellectus eius agens sit otiosus, ita oportet ponere in voluntate amorem acquisibilem propriis actibus acquisitum, ut appetitus sequatur actionem intellectus.

PARS II. — EST RECEPTACULUM AMORI INCREATI.

Cor Iesu est receptaculum amoris increati personae divinae Verbi.

Ut diximus supra, est in Christo voluntas divina, propria personae divinae Verbi, ad quam pertinet velle modo divino, modo nempe proprio et connaturali sibi, circa quod dixit leprosus: *si vis, potes me mundare* (2); scilicet, non est opus ut ores, sed solo imperio potes me sanitati restituere, cum Deus sis, ac proinde omnipotens, «nam quoad divinitatem Iesu fuerat edoctus interno Spiritus Sancti afflatu» (3). Ideo secundum Ambrosium «tetigit, simulque imperiale verbum adiunxit: volo, mundare; id est mundus esto; ut se Deum esse demonstraret, cuius verbo et voluntate omnia fiunt» (4). Unde oportet quod in Christo sit amor increatus et divinus consequens voluntatem divinam, nam «in quocumque est voluntas seu appetitus, oportet esse amorem» (5) et quod hu-

(1) *Summ. Theol.* p. I, q. LXXX, a. S.

(2) *MATTH.* VIII, 2.

(3) *NAT. ALEX.*

(4) *In Lucam* hoc. loc.

(5) *Summ. Theol.* p. I, q. XX, a. S.

iusmodi amoris sit receptaculum SS. Cor Iesu. Ideo D. Ioannes: «Deus charitas est» (1). Quo amore amat omnia.

a) Et primo Seipsum: Ipse enim est obiectum primum voluntatis suae divinae, quia est summum bonum et ratio diligendi caetera omnia, ut legitur *Proverb.*: «universa propter semetipsum operatus est Dominus» (2). Et amat se, non amore benevolentiae sed complacentiae. Non amore benevolentiae qua est causa bonitatis rerum, quia per hoc non addit aliquid perfectioni suae infinitae: sed amore complacentiae, quo necessario complacet sibi in sua bonitate ineffabili.

b) Deinde creaturas aliquo tempore existentes: «diligis omnia quae sunt, et nihil odisti eorum quae fecisti» (3). Nam esse cuiuscumque rei est bonum ipsius. Huius autem esse et perfectionis causa est Deus, qui fecit omnia per suam voluntatem. Quia ergo amare est velle bonum, Deus amat omnia ex hoc quod est omnium conditor. Unde amat ea amore benevolentiae et efficaci; nam vult eis bonum et de facto confert bonum, quod est, esse et conservari. Non tamen omnes creaturas aequaliter diligit ex parte boni seminati; nam ut scribit S. Augustinus «omnia diligit Deus quae fecit; et inter ea magis diligit creaturas rationales; et in illis eas amplius quae sunt membra Unigeniti sui, et multo magis ipsum Unigenitum suum» (4). Ratio est quia cum amor Dei sit causa bonitatis, ubi est maior bonitas, ibi debet esse maius argumentum amoris divini, non enim omnia sunt aequaliter bona.

c) Tandem amat etiam creaturas mere possibiles, amore complacentiae; nam complacet sibi in possibilitate earum propter suam omnipotentiam. Sed amat eas amore inefficaci, quia nunquam erunt, nihil enim decrevit super earum existentia.

En ergo quomodo SS. Cor Iesu est amoris receptaculum; cum enim sit cor hominis Christi, est symbolum amoris vo-

(1) *Epist.* I, c. IV, v. 16.

(2) *XVI*, 4.

(3) *Sapient.* XI, 25.

(4) *Trat.* CX in Ioan.

luntatis humanae ipsius; et cum simul sit cor Filii Dei, est receptaculum amoris infiniti personae Verbi, seu melius, symbolum eius. Hunc duplicem amorem in suo corde circumscriptum et per flammam signatum ostendit Iesus Beatae Margaritae, sic alloquens: « Vides Cor meum, Cor illud tanto hominum amore succensum, ut nihil praetermiserit, viribus exhaustis penitus atque consumptis, quo amorem hunc immensum certissimis signis testatum eis relinqueret ».

Consequentia. Ergo diligendum, id est amandum a nobis electione praecedenti, iuxta nominis etymologiam; et diligendum prae omnibus, quia prae omnibus amabilissimum Cor Sanctissimum Iesu. Cum enim dilectio sit in voluntate cuius obiectum est bonum, nullum potest esse voluntati nostrae obiectum aptius amore Cordis Iesu, quia est bonum infinitum. Ideo « diliges Dominum tuum ex toto corde tuo » (1). « Nota contra Calvinum et haereticos, hoc Dei praeceptum cuiusvis homini servatu esse possibile; non enim praecipitur hic totus, vel summus amor Dei extensive aut intensive sed tantum comparative, finaliter et appretiative. Diliges ergo Deum ex toto corde, sive ex tota anima et mente, idem est ac dicere: diliges Deum ex tota voluntate tua, scilicet primo comparative, ut nullam partem amoris tui des idolo, aut rei cupiam Deo contrariae; secundo finaliter, ut generatim velis Deum esse finem totum et ultimum omnium tuarum cogitationum, actionum et amorum, ipsumque ut summum bonum finemque ultimum rebus omnibus praeferas et anteponas; ac consequenter, tertio, appretiative, ut nihil ita aestimes tantoque loco et praetio habeas, quanto habes Deum, ac proinde ut totum cor, id est, voluntatem applices, ut omnia et singula eius praecepta impleas, eaque per omnia habeas, etiamsi propterea opes, honores, famam, amicitiam, vitamque ipsam perdere debeas » (2).

(1) MATTH. XXII, 37.


(2) A LAP. in hunc locum.

Affectus. Quam lacrymabilis est innumerabilium hominum caecitas! quam stulta vita! quam maliciosa voluntas! Amoris verum obiectum non agnoscunt; vel cognoscentes aspernantur. Post idola cor eorum gradiebatur, et oculos habentes non audiunt, pedes habentes non ambulant, linguam habentes non vident, aures habentes non clamant; sed quid dico? vident creaturas quas adorant, audiunt musicarum concentus in quibus delectantur, ambulant per invia et inaquosa ad ruinam, invocant Deos alienos, nempe concupiscentias suas; et Deum verum, qui in charitate perpetua dilexit eos, non vident, non audiunt, non invocant, non quaerunt, non diligunt, sed obliviscuntur, spernunt, et grandi moerore conficiunt.

Deprecatio. « Ecce, Domine, cor meum, abstractum ab omni creatura, integra voluntate offero tibi, orans ut abluas illud in virtuosa aqua sanctissimi Lateris tui, et decentissime exornes illud in pretioso sanguine dulcissimi Cordis tui, ac tibi convenientissime coaptas illud in aromatico vapore divini amoris tui » (1).

(1) S. GERTRUDIS, lib. III *De Insinuat. divin. pret. c. XXVI.*





CONCIO XII.

THEMA: Guttur illius suavissimum,
et totus desiderabilis.

(Cant. cant. V, 16).

IDEA CONCIONIS

PROP. Cor Iesu appetendum, quia est bonitate plenum.

DIVISIO. I. Est optimum omnium cordium: II. Est optimum omnibus:
III. Est optimum in omnibus.

PARS I. Est Cor optimum omnium quia: a) omnia corda bonitate superat;
b) omnia a cordibus alienis patienter sustinet; c) omnia sua caeteris
cordibus largitur.

PARS II. Est optimum omnibus: a) peccatoribus, quos quaerit; b) iustis,
quos impellit; c) sanctis, quos laetificat.

PARS III. Est optimum in omnibus circumstantiis: a) temporis; b) loci;
c) et modi.

Exordium. Quia secundum Philosophum « bonum est quod omnia appetunt » (1) bonitas est rerum conditio, quae reddit eas desiderabiles. Quia vero unumquodque desideratur secundum quod est perfectum, tanto maius erit desiderium alicuius rei, quanto perfectior est. Nunc autem cum nulla sit inter res creatas visibiles et invisibiles, quae perfectionem divinam possit adaequare, nec ei comparari, nulla, ut Deus, appetibilis est.

Ad quod sciendum est bonitatem infinitam Dei ex tribus consistere. Primo, quod habet in se quidquid perfectionis invenitur, et excogitari potest in creaturis disseminatum, ita

(1) In 1^o *Ethic.*

ut nullus gradus bonitatis insit eis aut excogitari possit qui non sit in Deo, sed modo excellentissimo. Secundo, quod has infinitas perfectiones a nullo alio habet; est enim Deus ens a se; neque habet hanc bonitatem adiunctam; quia quidquid in Deo est, Deus est; ideoque tam Deus, quam sanctus ac bonus est, quin umquam possit haec bonitas ab eo removeri. Tertio, quod tantum excedit bonitas divina bonitatem creaturarum, ut nulla in comparatione illius bona dici valeat, ut ait ipse Christus: « Quid me interrogas de bono? Unus est bonus: Deus » (1). Ergo est Deus super omnia appetendus. Nunc autem cum bonitatis et perfectionis divinae sit receptaculum Cor Iesu, en ratio appetibilitatis eius. Qua de causa hanc statuo propositionem.

Propositio. *Cor Iesu appetendum, quia est bonitate plenum.*

Quaerentes filiae Ierusalem ab sponsa: « Qualis est dilectus tuus ex dilecto, o pulcherrima mulierum? qualis est dilectus tuus ex dilecto, quia sic adiurasti nos? » respondit: « Dilectus meus candidus et rubicundus, electus ex millibus. Caput eius aurum optimum. Comae eius sicut elatae palmarum, nigrae quasi corvus. Oculi eius sicut columbae super rivulos aquarum, quae lacte sunt lotae, et resident iuxta fluentia plenissima. Genae illius sicut areolae aromatum consitae a pigmentariis. Labia eius lilia distillantia myrrham primam. Manus illius tornatiles, aureae, plenae hyacinthis. Venter eius eburneus, distinctus saphiris. Crura illius columnae marmoreae, quae fundatae sunt super bases aureas. Species eius ut Libani, electus ut cedri. Guttur illius suavissimum, et totus desiderabilis: talis est dilectus meus, et ipse est amicus meus, filiae Ierusalem » (2). Totus desiderabilis, id est amabilis, appetibilis totus, seu totaliter, quia perfectus, quia bonus non quocumque modo, sed plene ac perfecte. Et hoc modo Cor Iesu est bonitate plenum.

(1) MATTH. XIX, 17.

(2) Cant. cant. V, 9.

Divisio. Est enim: I. *Optimum omnium*; II. *Optimum omnibus*; III. *Optimum in omnibus*.

PARS I. — EST OPTIMUM OMNIUM.

Est optimum omnium, seu appetibilissimum inter corda, ex hoc ipso quod est cor divinum. Unde ipsa ratio summae appetibilitatis qua dignus est Deus propter summam eius perfectionem, militat loquendo de Corde Iesu. Sed claritatis gratia hanc bonitatem in se consideratam, triplici via percurramus. Est enim optimum cordium:

a) quia omnia superat bonitate. Abs dubio semper fuerunt aliqua corda bona, et etiam optima secundum quid, et Deus in eis sibi bene complacuit, sicut de S. Gertrude, de S. Rosa Limana, deque aliis legimus et de David praesertim, de quo ait Samuel; « quaesivit Dominus virum iuxta cor suum » (1). Tamen simpliciter est optimum Cor Iesu quod caetera omnia superat. Primo quia Cor hoc symbolice, personam divinam significat, pro eaque sumitur: et uti tale bonitas eius, ut superius dixi praecipue has tres habet condiciones: primo; continet in se quidquid bonitatis est, aut excogitari potest in creaturis, sed excellentissimo et incomprehensibili modo: secundo; habet hanc bonitatem a nemine sed a seipso, et non adiunctam, sed essentialiter: tertio; tam perexcellens est haec bonitas sacratissimi Cordis, ut nullum Cor possit dici bonum in comparatione illius. Insuper, si Cor Iesu sumatur pro tota anima, omnia etiam superat bonitate; nam nulla est inter creatas substantias sive humanas, sive angelicas, quae perfectionem eius nec a longe adaequet, ita ut bona nulla sit sicut anima Christi, nec per consequens appetibilis. Tertio; si Cor Iesu consideratur in quantum est pars corporis, ex quo vita fluxit in omnia membra et per hoc est velut synopsis perfectionis eius omnimodae, superat etiam bonitate omnia corda; corpus enim Christi in ratione carnis, fuit de-

(1) I Reg. XIII, 14.

sideratissimis dotibus ornatum, immune ab omni particulari defectu, sed e contra pulcherrimum, speciosissimum admirabili forma praeditum, ut describit sponsa: «Dilectus meus candidus et rubicundus» etc.

b) Deinde est optimum cordium, quia omnia sustinet. Aliorum enim cordium sustinet tepiditatem, clamans a sacrario amoris sui; «Fili hominum, usquequo gravi corde? ut quid diligitis vanitatem et quaeritis mendacium?» (1) Et quia ignis, quem venit mittere in terram, et vult vehementer accendi, non adurit, non inflamat, quinimo neque calefacit, quamvis sit tantus, corda misera redemptorum a se, contristatum cum propheta clamat: «Usquequo videbo fugientem, audiam vocem buccinae? Quia stultus populus meus me non cognovit; filii insipientes sunt et vecordes» (2). Aliorum vero sustinet horribilia scelera in maiestatem bonitatemque suam consulto patrata, ut sanctissimi corporis sui profanatio, templorum devastatio, ministrorum cruenta percussio, monialium ex aedibus eiectio, ordinum religiosorum exulatio, contra Ecclesiam eiusque visibile caput bellum hostile conflatum, innumeraque alia sacrilegia, de quibus condolens, exclamat: «Filios enutrivit et exaltavi; ipsi autem spreverunt me. Cognovit bos possessorem suum et asinus praesepe Domini sui; Israel autem me non cognovit, et populus meus non intellexit» (3).

c) Tandem est omnium optimum, quia omnia sua largitur. Nam corpus et sanguinem suum dedit in cibum et potum: «accipite et comedite; hoc est corpus meum»: animam in exemplum; nam virtutibus omnibus ornatum se nobis proponit imitandum: «exemplum enim dedi vobis ut quemadmodum ego feci, ita et vos faciatis» (4). Divinitatem in adiutorium: «venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos» (5). Et tandem infinita divinitatis bona,

(1) *Psalm.* IV, 3.

(2) *IEREM.* IV, 21.

(3) *ISAI.* I, 2.

(4) *IOAN.* XIII, 15.

(5) *MATTH.* XI, 28.

et adorabilissimae virtutes animae, et inaestimabile, sui corporis donum, totum simul hisce ultimis temporibus praebet sub sacratissimi Cordis sui emblemate, ut sub uno symbolo, totum velut in compendio appetamus, et redamemus.

PARS II. — EST OPTIMUM OMNIBUS.

Hucusque bonitatem Cordis Iesu consideravimus in se. Gressum faciamus ad contemplationem eius quoad nos, inter quos non distinguit; nam non est distinctio apud Deum. Ideo exhibetur optimum omnibus sive peccatoribus, sive iustis, sive sanctis.

a) Est optimum peccatoribus quos quaerit. Sunt peccatores oves, quae perierunt ex domo Dei; sunt prodigi, qui dissipaverunt omnem substantiam cum meretricibus; sunt filii, qui patrem despexerunt, ab eo se elongaverunt, et in eum arma verterunt. Sunt filii vecordes et scelesti, rebelles et ingrati; sed tamen filii. Ideo Cor Iesu, quod venit quaerere et salvum facere quod perierat, quod missum fuit ad oves, quae perierunt domus Israel, peccatores quaerit et advocat. Hoc est velut cibus eius; hoc est munus eius praecipuum: «non enim misit Deus Filium suum, ut iudicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum» (1). Et multifariam multisque modis vocat. Quosdam namque per exhortationes et lacrymas proximorum, sicut D. Augustinum pro quo in assiduis ad Deum orationibus mater eius lacrymas effundebat, hortans ut ad Episcopum Ambrosium se conferret: quosdam autem per infortunium subito adveniens, sicut S. Margaritam de Cortona, quae cum amasium ab hostibus foede transfossum indicio canis in fovea sub strue lignorum tumulatum inopina reperisset, illico facta est manus Domini super eam: quosdam vero aliter, sicut Petrum quem Dominus conversus respexit, sicut Magdalenam quam, efficaci gratiae motione, a vita pessima revocavit.

(1) *IOAN.* III, 17.

b) Iustis commendatur ut magis iustificentur: « Et qui iustus est iustificetur adhuc: et sanctus sanctificetur adhuc » (1). Ad sanctitatis culmen impellit Cor Iesu omnes iustos, verbo docens, exemplo operans, gratia allevans, et quasi eos manu ducens, factum comes omnium. Hoc significavit quando assumpsit Petrum et Iacobum et Ioannem, et duxit eos in montem excelsum seorsum, et transfiguratus est ante eos. Non omnes apostolos adhibet testes gloriae suae, sicut non omnes iustos eligit ad perfectionem vitae. Attamen (ad cuiuscumque sanctitatis gradum eligantur) impellit, et gratia sua eos roborat, ut in Ecclesia impleatur quod dicit de coelo: « In domo Patris mei mansiones multae sunt » (2).

c) Tertio est Cor Iesu optimum omnibus quia dulcissimum et gratissimum et amabilissimum sanctis quos laetificat. Praetereamus internas animi consolationes, mirabiles extases, incendia ardentissima a corde exeuntia et vultum mirabiliter inflammantia, quibus aliisque donis sanctos remunerare consuevit, ut mentem convertamus v. g. ad S. Laurentium Iustinianum, qui cum aliquando nocte Dominicae Nativitatis sacrum faceret, Christum Iesum sub pulcherrimi infantis specie videre promeruit: ad S. Nicolaum Tolentinum, qui sex ante obitum mensibus, singulis noctibus angelicum concentum audivit: S. Stanislaum Kostka qui angelorum pane bis ab Angelis refectus fuit: S. Rosam Limanam, vocatam a Christo sponsam suam: S. Franciscum Assisiatem, sacris stigmatibus decoratum: S. Theresiam, ignito saculo corde confixam: S. Catarinam de Riccis, annulo desponsationis praesignatam, et ad plurimos alios qui adduci possent, quos ego gratia brevitate omitto. Vera cecinit dicens David: « Gustate, et videte quoniam suavis est Dominus » (3).

(1) Apoc. XXII, 11.

(2) IOAN. XIV, 2.

(3) Psalm. XXXIII, 9.

PARS III. — EST OPTIMUM IN OMNIBUS.

Tandem est bonitate plenum, quia optimum in omnibus, sive aetatibus, sive locis, sive modis.

a) Ex quo in lucem prodimus, et lavacro generationis diluimur, in ulnas suas infantes accipiens, ad Cor suum amplexu strictissimo nequit, advocans omnes ad se: *Sinite parvulos ad me venire*. Adolescentes et viros sacramentis nutrit ac roborat. Senioribus sinum misericordiae suae aperit. Ita puerum Melitonem cum sociis martyrii, coronavit: iuvenes sanctos Pancratium, Venantium, Vitum, Eulalam, Agnetem Aloysium caeterosque ad gaudia paradisi attraxit. Celeberrimos senes SS. Romualdum et Maurum, Antonium, Hilarionem, et Paulum in bono, longaeva firmitate firmavit.

b) Et tam bonus est Iesus, ut omnibus se praebeat et alliciat et deliciis afficiat omnes, ubicumque vitam degant. S. Ferdinandum, Ludovicum, Eduardum, Casimirum, aliosque sub tectis regis ad perfectionem promovit. S. Paulum, in eremo; S. Barbaram, in carcere; S. Rosaliam, in specu subterraneo in quo sibi et mundo emortua consepultaque Iesu Christo, ut soli Deo viveret, diu noctuque latuit; B. Margaritam Alacoque innumerasque virgines, in claustris; S. Alexium per septemdecim annos peregrinando; Ss. Ioannem de Deo et Camillum de Lellis inter amentes et infirmos, vitam degendo, et sic de caeteris.

c) Et tam bonus est Iesus, quod aequae se praebeat omnibus appetendum quicumque sit eorum status, seu conditio. Quando Ioannes Baptista misit duos de discipulis suis, ut interrogarent Eum: « Tu es qui venturus es, an alium expectamus? Respondens Iesus ait illis: Euntes, renuntiate Ioanni quae audistis et vidistis. Caeci vident, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes evangelizantur » (1). Quod fecit

(1) MATTH. XI, 2, et seq.

dum inter homines versabatur, operatur semper per suum sanctissimum Cor. Quodni: inde nisi ab eo hausit patientiam S. Peregrinus Latiosus cuius crus cum ex cancri morbo intumisset, atque putredine adeo esset infectum ut foetorem omnibus inferret, sic tamen absque quaerimonia semper fuit, ut cives alterum Iob appellarent?: et unde S. Francisca Romana voluntatis conformitatem, qua viri exilium, bonorum iacturam ac universae domus moerorem toleravit?: et unde S. Bibiana, constantiam qua, seipsa fortior, illibatum servavit virginitatis florem?: et unde S. Franciscus Xaverius, zelum apostolicum?: et unde S. Catharina, doctrinam coelestem: et unde S. Dominicus, ardorem divinum?: et unde S. Vincen- tius a Paulo, inflammata charitatem? Ubi tot divites contemptum mundi, tot puellae amorem virginitatis, tot martyres fortitudinem, tot ignari infusam scientiam, tot pontifices prudentiam, tot apostoli zelum didicerunt, nisi in Corde Iesu quod est optimum omnibus et in omnibus?

Consequentia. Ergo appetendum eodem fervore, quo David: «sivit anima mea ad Deum fortem, virum; quando veniam et apparebo ante faciem Dei?» (1) Appetendum in se, quia infinite appetibile, infinite amabile, infinite desiderabile. Appetendum propter se quia vult desiderari et gustari; propter hoc enim tantae bonitatis notitiam mundo prae- buit. Appetendum tandem propter nos; nam solum appetentes huius dulcedinis participes fiunt: «Beati qui esuriunt et sitiunt iustitiam quoniam ipsi saturabuntur» (2). Infantes magna cupidine papillas capiunt; iuvenes vanitatem quaerunt: avarus insatiabili siti thesaurorum torquetur: etiam bruta animalia vitam naturaliter appetunt. Et Cor Iesu de quo dicitur, «mel et lac sub lingua tua» (3), quo nihil candidius, aut ditius; a quo omnis vita: non appetitur! Heu stultitia caeca! heu caecitas lacrymabilis!

(1) *Psalm.* XLI, 3.

(2) *MATTH.* V, 6.


(3) *Cant.* IV, 11.

Affectus. Sicut servus desiderat requiem et libertatem, quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, o bone Iesu. Utinam vehementissimum desiderium tui haberem sicut Apostolus, dicens: *Cupio dissolvi et esse cum Christo!* Sed qui non appeto quia bonus sim, desidero ad te quia indigens sum; ecce anima mea sicut terra sine aqua tibi. Coelestis gratiae rorem infunde. Hanc infinitam bonitatem tuam fac infideles agnoscant, peccatores desiderant, iusti degustent. Omnes ad sacri convivii mensam accedamus, divini corporis et sanguinis tui pinguedine reficiendi, te praeside, te rectore, te donante, donec dicamus: *Domine, bonum est nos hic esse.*

Deprecatio. Deus, qui sacratissimum Cor Iesu Christi Filii tui Domini nostri, fidelibus tuis summo charitatis affectu amabile reddidisti, concede propitius, sic nos illud venerari et amare in terris, ut per ipsum et cum ipso et te et ipsum amare, et a te et ab illo in aeternum amari mereamur in coelis (1).

(1) Ex Missa «Gaudeamus».





CONCIO XIII.

THEMA: Fulcite me floribus, stipate me malis:
quia amore langueo.

(Cant. cantic. II, 5).

IDEA CONCIONIS

PROP. Cor Iesu redamandum, quia est amore plenum.

DIVISIO. Est amore plenum: I. Propter humanam naturam assumptam, qua Filius Dei factus est similis nobis; II. Propter donum divinum gratiae, qua nos facti sumus similes Ei; III. Propter unionem intimam, qua in gloria Ipsi adhaerebimus.

PARS I. a) Descendens ad nostra; b) factus visibilis; c) vivens passibilis.

PARS II. Qua gratia facti sumus: a) cohaereditas; concorporales: c) participes Eius.

PARS III. Scilicet: a) visione; b) possessione; c) fruitione.

Exordium. Triplici sub aspectu in hac expositione Litaniarum, amor Cordis Iesu proponitur considerandus. Primo ex hoc quod ardentissime fertur in Deum, velut in obiectum praecipuum amoris; unde charitas nuncupatur, qua, ad modum incensae fornacis ardens, Deum dilexit semper vehementer ac digne, iuxta deprecationem octavam, sub concione nona. Deinde idem amor divinus Cordis Iesu deprecatione nona proponitur perpendendus, velut inclusus in illo Corde, cuius est receptaculum mundissimum, sive de creato, sive de increato amore fiat sermo, ut dictum est concione undecima. Et tandem sub deprecatione decima dicente: « Cor Iesu bonitate et amore plenum » rursus ducimur ad disserendum de hoc amore, sed aliter; in quantum, scilicet, in nos effusus

fuit; ex hoc nempe quod homines, mortales, fragiles et miserrimi sunt obiectum huiusce praedilectionis infinitae sacratissimi Cordis Iesu. Vera quidem, scripsit sapiens de amore Dei: «Diligis omnia quae sunt, et nihil odisti eorum, quae fecisti» (1): quo amore ita singillatim hominem prosequutus fuit, ut Cor unigeniti sui daret sic alloquens unicuique nostrum: *sicut mater unicum amat filium, ita ego te diligebam.* Ex quare redamandum.

Propositio. *Cor Iesu redamandum, quia est amore plenum.*

Cor Iesu esse erga nos amore plenum, nihil aliud significat quam altissima benevolentiae et amicitiae argumenta erga nos continere, imo etiam et praebere. Quia amor est sui diffusivus, tanto excellentior est, quanto abundantius diffunditur. Cum ergo bona sua Deus ita per Cor Iesu nobis largitus fuerit, ut quodammodo in ipsum transformaremur iuxta illud: «Ut sint unum sicut et nos» (2), et Ipse fieret similis nobis iuxta illud: «Formam servi accipiens in similitudinem hominum factus et habitu inventus ut homo» (3), clare evincitur hoc fuisse maioris dilectionis argumentum quo ei intime adhaeremus; nam amor est vis unitiva et concretiva. Et ideo Cor Iesu est amore plenum.

Divisio. I. Propter humanam naturam assumptam, qua Filius Dei factus est similis nobis; II. Propter donum divinum gratiae, qua nos facti sumus similes Ei; III. Propter unionem intimam, qua in gloria Ipsi adhaerebimus.

PARS I. — PROPTER HUMANAM NATURAM ASSUMPTAM.

Primum dilectionis argumentum sacratissimi Cordis est assumptio humanae naturae qua Christus factus est similis

- (1) Sap. XI, 25.
- (2) Ioan. XVII, 21.
- (3) Ad Philipp. II, 7.

nobis ut legitur ad Romanos: «Deus filium suum mittens in similitudinem carnis peccati» (1): radix enim huius, missionis est charitas Dei, dicente D. Ioanne: «sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret» (2). Hic autem Filius, qui in forma Dei, idest in natura Dei erat, habet enim totam eandemque naturam Patris generantis «exinanivit semetipsum formam servi accipiens in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo» (3). Inde tres consequuntur effectus, qui reddunt eum similem nobis, nempe descensus ad nostra, visibilitas, passibilitas.

a) Filius Dei Patris proprius, consubstantialis sibi et coeternus, non de novo creatus vel factus sed quasi praeexistens mittitur; non quidem ut esset ubi non erat, sed ut esset modo quo non erat in mundo, id est, per carnis assumptionem. Et sic intelligendum est quod descendit ad nostra iuxta illud: «Ego sum panis vivus qui de coelo descendi» (4).

Super illud; *Exinanivit semetipsum*, scribit D. Thomas: «Pulchre dicit Apostolus: exinanivit. Inane enim opponitur pleno; natura enim divina satis plena est, quia ibi est omnis bonitatis perfectio. Natura autem humana et anima non est plena, sed in potentia ad plenitudinem, quia est facta quasi tabula rasa. Est ergo natura humana inanis. Dicit ergo: exinanivit, quia naturam humanam assumpsit. Tangit ideo primo naturae humanae assumptionem dicens: *formam servi accipiens*; homo enim ex sua creatione est servus Dei, et natura humana est forma servi. Cur dicitur convenientius: *formam servi*, quam: *servum*? Quia: servus est nomen hypostasis, vel suppositi, quod non est assumptum, sed: natura; quod enim suscipitur, distinguitur a suscipiente. Non ergo Filius Dei assumpsit hominem, quia daretur intelligi quod homo esset aliud a Filio Dei, cum tamen Filius Dei factus sit homo.

- (1) VIII, 3.
- (2) III, 16.
- (3) Ad Philipp. II, 7.
- (4) Ioan. VI, 41.

Accepit ergo naturam in persona sua, ut esset idem in persona Filius Dei et Filius hominis » (1).

b) Et consequenter factus visibilis, ut ait Baruch (2): « Post haec in terra visus est, et cum hominibus conversatus est »; unde « et vidimus gloriam eius gloriam quasi unigeniti a Patre (3). De ratione enim humanitatis est visibilitas; et ideo Apostolus adiungit: « in similitudinem hominum factus », scilicet secundum speciem: « debuit enim per omnia fratribus assimilari, ut misericors fieret » (4).

Super illud: « Deus filium suum mittens in similitudinem carnis peccati » (5), scribit D. Thomas: « Non est intelligendum sic quod quasi veram carnem non habuerit, sed solum carnis similitudinem quasi phantasticam, sicut Manichaei dicunt, cum ipse Dominus dicat: « Spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere » (6), per quod ostendit naturae conformitatem ».

c) Tandem vivens passibilis, id est, passionibus obnoxius. « Unde non subdit solum in similitudinem carnis, sed in similitudinem carnis peccati. Non enim habuit carnem peccati, id est cum peccato conceptam, quia caro eius fuit concepta per Spiritum Sanctum qui tollit peccatum, sed habuit similitudinem carnis peccati, id est similem carni peccatrici in hoc quod erat passibilis. Nam caro hominis ante peccatum subiecta passioni non erat » (7). Et quia proprietates et defectus omnes (praeter peccatum et ignorantiam) suscepit, ideo habitu inventus est ut homo, scilicet in exteriori conversatione, quia esuriit ut homo, fatigatus fuit, et huiusmodi; quo habitu ostenduntur humanae naturae conditiones.

(1) *Expos. ad Philipp.* II, 7.

(2) III, 38.

(3) IOAN. I, 14.

(4) *Ad Hebr.* II, 17.

(5) *Rom.* VIII, 3.

(6) *Luc.* XXIV, 39.

(7) *Expos. D. Thom.* ad *Rom.*

PARS II. — PROPTER DONUM DIVINUM GRATIAE.

Ratio qua Filius Dei, secundum humanam naturam, factus est similis nobis, fuit ut nos propter donum divinum gratiae faceret similes sibi: nam « gratia et veritas per Iesum Christum facta est » (1).

Magnum revera donum fuisset si solum a diaboli potestate homines perditos liberasset, hac assumptione carnis mediante, vel totam humanam naturam integram ad statum primaeum revocasset. Sed quia infinite bonus, infinite clemens, infinite amans: « ubi abundavit delictum, superabundavit gratia » (2), per quam Iesus Christus offerens bona altissima, excelsa et innumerabilia prae malis, quae attulerat vetus delictum, revocat omnes ad adoptionem filiorum Patris, ad participationem spiritus et donorum, communicationem corporis et sanguinis sui et participationem ipsius.

a) A Corde Iesu originem habet gratia reddens nos filios Dei, non nuncupatione tantum, sed vera adoptione, ut scribit D. Ioannes: « Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur et simus » (3). Nam propter hanc charitatem et propter merita Filii, quem dedit Pater, vocamur et assumimur ad haereditatem Dei; unde sumus vere filii adoptivi; adoptio namque est assumptio personae extraneae in propriam haereditatem. Et ideo Apostolus ait: « Gentes esse cohaeredes, et concorporales et comparticipes promissionis eius in Christo Iesu per evangelium » (4). Ex cuius textus expositione iuxta D. Thomam probatur, primo quod sumus filii adoptivi Patris. « Circa quod sciendum est quod Iudaei triplicem praerogativam habebant respectu gentium, scilicet, promissionis haereditatis, item per specialem

(1) IOAN. I, 17.

(2) *Rom.* V, 20.

(3) I^a III, 1.

(4) *Ephes.* III, 6.

ab aliis gentibus distinctionem et electionem; item per Christi promissionem » (1). Ad hanc autem praerogativam vocati sumus omnes per fidem; et primo ad participationem haereditatis; et quantum ad hoc dicit Apostolus cohaeredes, scilicet, ipsis Iudaeis in haereditate coelesti. Et ideo propter domum gratiae Christi, facti sumus similes non solum Iudaeis, sed ipsi Christo, adoptione filiorum Patris: « Si autem filii et haeredes, haeredes quidem Dei, cohaeredes autem Christi » (2).

b) Deinde per Christum recepti sumus ad speciale collegium; unde et concorporales, idest, in unum corpus; quod quidem et mystice potest sumi, quasi omnes in Christo, qui est caput, unum corpus mysticum efformamus, iuxta illud: « sicut enim in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent; ita multi unum corpus sumus in Christo » (3); et realiter in sensu, quo omnes eodem corpore et sanguine communicamur iuxta illud: « Quoniam unus panis, unum corpus multi sumus omnes, qui de uno pane participamus » (4).

c) Tandem vocati sumus omnes ad participationem gratiae repromissae: unde dicit et participes, scilicet promissionum, quae factae sunt Abrahae. Qua gratia fruimur participatione spiritus et donorum, uti veri Christi amici: « Vos autem dixi amicos; quia omnia, quaecumque audivi a Patre meo, nota feci vobis » (5). Et haec omnia, quae consequuti sumus non per Moysen, sed in Christo, non per observantiam legis, sed per evangelium per quod omnes salvi fiunt, reddunt nos similes ei, quia cohaeredes et commensales, et participes ipsius.

(1) In hunc loc.

(2) Rom. VIII, 17.

(3) Rom. XII, 4.

(4) I ad Cor. X, 17.

(5) Ioan. XV, 15.

PARS III. — PROPTER UNIONEM INTIMAM GLORIAE.

Ecce prodigium amoris Cordis Iesu. Descendens ad nostra mediante assumptione humanae naturae, Filius Dei factus est similis nobis. Et, per elevationem hominis ad statum gratiae supernaturalis, facti sumus similes illi. Nodus quo tam mirabiliter copulantur coelum et terra, divina et humana, est amor divinus. Centrum, in quo tanta prodigia elaborantur vi ignis illius coelestis, est sacratissimum Cor Iesu. Sed charitas nunquam excidit. Orta a summo coelo, illuc revertitur unde originem habet, transferens secum, ut in perpetuum glorificentur, quos venit quaerere et salvos facere, et sigillo filiorum Dei signare. Amor est vis unitiva. Ideo sacratissimum Cor Iesu est amore plenum propter novissimam unionem, coniunctissimam et intimam gloriae, qua Ipsi in aeternum adhaerebimus. Quae unio tria importat; scilicet, visionem, possessionem et fruitionem.

a) Et primo coniunctissime Cordi Iesu adhaerebimus, et similes ei erimus visione, dicente D. Ioanne: « Scimus quoniam cum apparuerit, similes ei erimus; quoniam videbimus eum sicuti est » (1). Nam videbimus Deum, facie ad faciem, seu in seipso, qualis est in se, sive ipsam Dei essentiam. Nunc per fidem Deum videmus; ideo ex parte tantum; in patria vero cognoscemus undique et aperte. Ideo super illud: « Nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam sicuti et cognitus sum » (2); scribit D. Thomas: « Nunc, id est in praesenti vita, ego Paulus cognosco ex parte: id est obscure et imperfecte. Tunc autem, scilicet in patria, cognoscam sicuti et cognitus sum; id est sicut Deus cognovit essentiam meam, ita Deum cognoscam per essentiam; ita quod ly sicut non importat hic aequalitatem cognitionis, sed similitudinem tantum ».

(1) I Ioan. III, 2.

(2) I ad Cor. XIII, 12.

b) Deinde, possessione. Idem Cor Iesu se praebebit in patria possidendum, quod hic in exilio homini viatori se tradit sumendum. Sed aliter, quia hic sub sacramento velatum, illic vero gloria circumdatum. In via amissibiliter, in patria autem perpetuo: « Merces Dei manet in aeternum » (1). Quam possessionem describit S. Ioannes: « Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, et habitabit cum eis. Et ipsi populus eius erunt, et ipse Deus cum eis erit eorum Deus » (2).

c) Fruitione. Inde gaudium orietur consequens visionem et possessionem nulli moerori, seu dolori permixtum. Illic esurientes implebuntur bonis, sitientes reficientur, pauperes ditabuntur, onerati allevabuntur, mites exultabuntur, ignari erudientur, sprete, infirmi ac debiles quicumque ad fruitionem gloriae filiorum Dei admittentur, uno spiritu et uno ore benedicentes Dominum in perpetuum, et diligentes eum inter profluvios immensae charitatis orientis a latere Christi, qui prior dilexit nos.

Consequentia. Ergo est redamandum: « Ecce sto ad ostium et pulso » (3). Ad ostium enim cordis pulsatur quasi affectum mendicans: « Praebe, fili mi, cor tuum mihi » (4). Quoniam Ipse prior dilexit nos, et nos debemus eum amare, ut enim dicit Apostolus: « Ambulate in dilectione, sicut et Christus dilexit nos » (5); quia dilectio est tale bonum, in quo debet homo proficere, ideo ambulate; et tale est debitum, quod debet homo semper solvere, ut dicit D. Thomas (6): « Debemus eum redamare, id est amare amore amicitiae, nam amicitia est amor mutuae benevolentiae fundatus super aliquam communicationem »; ideo: « Iam non dicam vos servos, quia servus nescit quid faciat Dominus eius. Vos au-

(1) Eccli. XVIII, 22.

(2) Apoc. XXI, 3.

(3) Apoc. III, 20.

(4) Prov. XXIII, 26.

(5) Ephes. V, 2.

(6) Expos. in hunc loc.

tem dixi amicos, quia omnia, quaecumque audivi a Patre meo, nota feci vobis » (1). Quae quidem redamatio importat quinque propria amicitiae, scilicet, velle amicum esse et vivere; velle ei bona; operari ei bona; conversare cum eo delectabiliter; et concordiam, ut dicit D. Thomas (2). Ut ergo Cor Iesu redamemus, sic cum eo nos gerere debemus.

Affectus. Vox Iesu « O filia Sion, a me adeo amata, honorata, locupletata, edocta! quomodo me non agnoscis, imo me ut falsum Messiam reiecis, persequeris, damnas, occidis, crucifigis? Ego enim propter te e coelo descendi in terram; propter te in Bethleem iuxta Ierusalem natus sum; propter te triginta quatuor annos in continuo labore, dolore, paupertate vixi. Triennium totum, tuos circos et castella obeundo, praedicavi et docui; leprosos, aegros, daemoniacos, sanavi; tuos mortuos vitae restituere. Tu ergo, filia Ierusalem, filia adeo a me dilecta, cur me tui tam amantem non redamas, sed velut hostem spernis et perimis? » (3).

Deprecatio. Domine Iesu Christe, qui ineffabiles Cordis tui divitias novo amoris miraculo Ecclesiae tuae aperire dignatus es; per hunc ipsum amorem te supplices rogamus, da nobis amabilissimum hoc nostrique amantissimum Cor ita amare et redamare, ut simul etiam iniurias ab ingratis mortalibus praesertim in amoris sacramento eidem illatas, dignis obsequiis compensare valeamus (4).


(1) IOAN. XV, 15.

(2) II^a-II^{ae} q. XXV, a. 7.

(3) A LAP. in Luc. XIX, 42.

(4) Ex officio parvo SS. Cordis Iesu, pag. 432. Nilles.





CONCIO XIV.

THEMA: Discite a me.

(Matth. XI, 29).

IDEA CONCIONIS

PROPOS. Cor Iesu imitandum, quia est virtutum omnium abyssus.

DIVISIO I. Virtutes theologicae; II. Virtutes morales Cordis Iesu.

PARS I. Cor Iesu est abyssus; a) charitatis; b) non vero fidei; c) nec spei.

Charitatem habuit cum suis effectibus: A) internis, scilicet: a) cum gaudio spiritali; b) pace; c) et misericordia. B) et cum effectibus externis: nempe a) cum beneficentia; b) eleemosyna; c) et correptione fraterna. Sed non habuit fidem quia anima Christi Deum videbat. Nec spem quia hypostatice Verbo unita erat.

PARS II. Est abyssus virtutum moralium, scilicet a) prudentiae; b) iustitiae; c) fortitudinis; et d) temperantiae.

A) Habuit prudentiam cum suis integralibus, nempe: a) memoria; b) intellectu; c) docilitate; d) solertia; e) ratione; f) providentia; g) circumspectione; h) et cautione. Et cum suis partibus subiectivis, scilicet: a) cum prudentia personali; b) et gubernatrici. Et tandem habuit partes potentiales prudentiae: a) Ebulliam; b) Synessim; c) et Gnome.

B) Habuit iustitiam cum suis integralibus, scilicet, declinare a malo et facere bonum. Et cum suis partibus potentialibus, seu virtutibus annexis, scilicet: a) cum religione, et cum huius actibus, nempe, devotione, oratione, adoratione et sacrificio et oblatione; b) pietate; c) observantia; d) veracitate; e) gratitudine; f) vindicatione; g) liberalitate; h) et affabilitate, seu amicitia.

C) Habuit fortitudinem cum suis integralibus seu potentialibus: nempe, a) cum fidentia; b) magnificentia; c) patientia; d) et perseverantia.

D) Habuit tandem temperantiam cum suis subiectivis, seu speciebus, scilicet: a) cum abstinencia; b) sobrietate; c) castitate; d) et pudicitia. Et cum suis potentialibus, seu partibus annexis, nempe: a) cum humilitate; b) mansuetudine; c) clementia; d) modestia; e) eutrapelia.

Exordium. Post tractatum virtutis excellentissimae sacratissimi Cordis Iesu, amoris nempe, de qua deprecationes octava, nona et decima; compellit nos Ecclesia venerari omnes simul virtutes, quibus Cor illud plenissime ornatur, sub deprecatione undecima, qua invocatur: « Cor Iesu virtutum omnium abyssus ».

Virtutes, ob quas Cor illud sacrosantum coli debet, iuxta P. Colombiere, hae sunt praecipuae: amor in Patrem ardentissimus, cum summa veneratione ac submissione coniunctus. Patientia in malis tolerandis infinita. Dolor de peccatis immensus, pro quibus onus satisfaciendi iustitiae divinae ultro in se suscepit. Fiducia dilectissimo Filio propria, pudori ac verecundiae maximi peccatoris consociata. Commiseratio erga peccatores tenerrima, et charitas in nos et ardentissimus amor. Denique in mediis hisce affectionibus tam variis pax summa et tranquillitas orta ex conformitate cum divina voluntate (1). Illas ergo caeterasque omnes virtutes sacratissimi Cordis ut imitari conemur, iuxta sensum deprecationis allatae, dico:

Propositio. *Cor Iesu imitandum, quia virtutum omnium abyssus.*

Virtus quae etymologice vigorem ex vi, seu virilitatem ex viro significat, iuxta Ciceronem « appellata est ex viro virtus » (2), definitur in hoc sensu a D. Bernardo « Vigor animi immobiliter stantis cum ratione » (3); prout est habitus, definiri potest (4); « Bona qualitas animum constanter et efficaciter disponens ad bonum »; prout vero est actus singularis definitur a D. Thoma: « Actio bona ab habitu bono proveniens ». Percelebris est in scholis ab Augustino tradita definitio: « Bona qualitas mentis qua recte vivitur, et nullus male utitur ».

(1) *Exercitium oblationis sui suarumque rerum.*

(2) *Lib. de offi.*

(3) *Serm. 85 in Cant.*

(4) *DEL VECCHIO, I, 652.*

Virtutum quaedam sunt intellectuales, quae intellectum perficiunt in ordine ad cognitionem veri: quaedam vero morales perficientes voluntatem in ordine ad bonum honestum: quaedam autem theologicae quae Deum immediate respiciunt. Cum in animarum spirituale lucrum fiat consideratio virtutum SS. Cordis Iesu, quod quidem potissime oritur a perfertiori incremento virtutum theologiarum et moralium, in quo modo hoc duplex genus divisionis pandit viam.

Divisio. I. *Virtutes theologicae*; II. *Virtutes morales Sanctissimi Cordis Iesu.*

PARS I. — VIRTUTES THEOLOGICAE.

Dico Cor Iesu esse abyssum charitatis, non vero Fidei et spei.

a) Charitas, quae definitur: « virtus theologica, qua Deum diligimus super omnia, propter se, et proximum sicut nos propter Deum » fuit eminenter et ardentissime in Corde Iesu quod est fornax ardens charitatis ut alibi dicitur: (Concione IX). Ratio est quia virtus supernaturalis consequitur gratiam habitalem, sicut est quaedam proprietas eius. Cum ergo in Christo gratia habitualis esset perfectissima iam ab initio conceptionis, sequitur quod et omnes virtutes morales per se infusae et charitas, de qua fit sermo, essent in eo iam a primo instanti et in summo gradu.

Praeterea « habitus virtutum dantur ad connaturaliter operandum; imo habitus supernaturales dantur ad simpliciter posse operari. Ergo ut Christus connaturaliter operaretur et eliceret opera supernaturalia, indiguit habitibus virtutum supernaturalium » (1). Et ideo fuit in eo habitualiter charitas: qua dilexit quatuor ex charitate diligenda iuxta Angelicum, scilicet: Deum, seipsum, proximum et corpus suum; primum quod

(1) *BILLUART, Tract. de Inc. Dis. VIII, a. 3.*

supra nos est, secundum quod nos sumus, tertium quod iuxta nos, et quartum quod infra nos est, secundum ordinem in dilectione servandum.

Inde sequuntur aliae virtutes, seu effectus tum interni tum externi, qui ex charitate procedunt, sicut fructus ab arbore, iuxta D. Thomam. Interni sunt; gaudium spirituale, sive dilectio de Deo; pax importans non solum voluntatum unionem in diversis, sed concordiam appetituum, qui sunt in eodem; et misericordia, quae definitur ab Augustino « alienae miseriae in nostro corde compassio, seu tristitia, qua utique, si possimus, subvenire compellimur » (1).

Externi etiam tres numerantur, scilicet: beneficentia, quae consistit in benefacere amico secundum rationem boni in communi, nullis aliis attentis: eleemosyna quae est « opus quo datur aliquid indigenti ex compassione propter Deum »: et correptio fraterna, quae definitur « actus charitatis et misericordiae, quo per convenientem sermonem, vel aliquid aequivalens proximum a malo peccati ad bonum virtutis convertere nitimur ».

Nunc vero hi omnes effectus, seu virtutes, in Corde Iesu sunt ut ex multis probari potest, quod hic non faciemus brevitati studentes. Unde evincitur Cor Iesu esse abyssum charitatis, eiusque filialium virtutum et actuum.

b) In eo tamen non fuit fides, quae est de non vassis, seu de rebus obscure cognitis iuxta Apostolum: « sperandarum substantia rerum argumentum non apparentium » (2). Nam anima Christi vidit Deum per essentiam ex quo fuit Verbo hypostatice unita (3).

c) Similiter non habuit spem inquantum est virtus theologica, qua homo expectat principaliter visionem et fruitionem Dei; sic enim repugnat unioni hypostaticae et visioni beatificae, quas Christus habuit a conceptione, in qua anima eius fuit unita Verbo, videns extunc divinam essentiam eaque

(1) *De Civ. Dei*, lib. IX, c. 5.

(2) *Ad Hebr.* XI, 1.

(3) Vide D. Thom. *Sum. Theol.* p. III, q. VII, a. 3.

fruens. « Habuit tamen spem respectu aliquorum, quae nondum erat adeptus, non enim adhuc plene habebat omnia, quae ad eius perfectionem pertinebant puta, immortalitatem et gloriam corporis, quam poterat sperare » (1).

PARS II.

Deinde Cor Iesu est abyssus omnium virtutum moralium, sive supernaturales sint, sive naturales per se acquisibiles, excepta poenitentia, quae est de peccato proprio; nam peccatum est incomponibile cum unione hypostatica.

Quia vero virtutes morales sunt quatuor, quae cardinales dicuntur, ad quas caeterae omnes revocantur, ut aliquis ordo servetur, dico in Corde Iesu fuisse.

a) Prudentiam, seu rectam rationem agibilium, cum omnibus suis partibus, sive integralibus, sive subiectivis, sive potentialibus.

Partes integrales sine quibus non est perfectus actus prudentiae, octo enumerantur nempe: *memoria* non sumpta pro potentia, sed pro ipsa recordatione praeteritorum; *intellectus* seu intelligentia, non ut potentia cognoscitiva, sed sumpta vel pro cognitione praesentium, vel pro recta aestimatione alicuius finis particularis; *docilitas* qua aliquis bene disciplinam sit suscepturus; *solertia* seu facilis et prompta coniunctio circa inventionem medii congruentis; *ratio*, quia opus prudentis est recte praecogitare et disponere modum assequendi; *providentia* quae, vel sumitur pro ordinatione mediorum ad finem, vel pro consideratione futurorum eventuum, qui possunt oriri ex opere; *circumspectio* quae est attenta consideratio circumstantiarum; *et cautio* sive cura vitandi mala et impedimenta, quibus ex intrinseco opus virtutis vitari aut impediri potest.

Partes subiectivae, seu species, in quas prudentia dividitur, sunt duae, nempe: *prudentia personalis* qua quis regit seipsum:

(1) Art. 4 loc. cit.

et gubernatrix qua quis regit multitudinem, quae est diversa secundum diversas species regiminis.

Partes potentiales prudentiae, sive virtutes adiunctae, quae ordinantur ad actus nonnullos secundarios vel materiales, quasi non habentes totam potentiam prudentiae, sunt tres: scilicet, *Ebulla*, quae circa consilium; *Synesis*, quae est circa iudicium eorum, quae sunt secundum regulas communes; et *Gnome*, quae est circa iudicium eorum, in quibus oportet quandoque a communi lege recedere (1).

Hanc prudentiam praedicens Isaia ait: « quis erudit eum scientiam et viam prudentiae ostendit illi? » (2) Ideo adhuc erat infans et iam « stupebant (autem) omnes, qui eum audiebant, super prudentia et responsis eius » (3).

b) In Corde Iesu fuit iustitia seu constans et perpetua voluntas ius suum cuique tribuendi; « reddite ergo quae sunt Caesaris Caesari, et quae sunt Dei Deo » (4); et cum suis partibus integralibus fuit, scilicet: declinare a malo et facere bonum; nam « nec fecit proximo suo malum » (5), et « pertransiit benefaciendo » (6); et cum partibus suis potentialibus, sive virtutibus finitimis et annexis, quae cum ea in aliquo conveniunt. Haec autem praecipue enumerantur a D. Thoma; religio, pietas, observantia, veracitas, gratitudo, vindictio, liberalitas, et amicitia, seu affabilitas, quarum omnium fuit abyssus Cor Iesu. Et primo *religionis*, per quam Deo, tamquam primo omnium principio, cultum exhibuit: « Meus cibus est ut faciam voluntatem eius qui missit me » (7). Et hanc virtutem habuit cum actibus suis internis, scilicet *devotione*, quae est volitio efficax tradendi se prompte ad ea quae pertinent ad cultum Dei: « Ecce ascendimus Ieroso-

- (1) Vid. BILLUART, *De Prudentia*, Dissert. II.
- (2) XL, 14.
- (3) LUC. II, 47.
- (4) MATTH. XXII, 21.
- (5) Psalm. XIV, 3.
- (6) Act. X, 38.
- (7) IOAN. IV, 34.

lymam » (1); et *oratione*, qua res decentes à Deo postulamus: « Erat pernoctans in oratione Dei » (2). Et cum actibus externis, scilicet *adoratione*, quae est honor Deo exhibitus propter summam eius excellentiam: « Honorifico Patrem meum » (3); et *sacrificio* et *oblatione*, quae Deo immediate offeruntur vel cum immutatione, vel absque immutatione, ad testandum supremum eius dominium, nostramque subiectionem « Hostiam et oblationem noluisti; corpus autem apstasti mihi » (4).

Secundo est abyssus pietatis, per quam sanguine iunctis patriaeque benevolis officium et diligens tribuitur cultus. Nam de parentibus legitur: « Et erat subditus illis » (5), de patrio amore: « Videns civitatem (Ierosolymam) flevit super eam » (6).

Tertio est abyssus observantiae « per quam homines aliqua dignitate antecellentes, quodam cultu et honore dignantur » (7). « Ego nullam invenio in eo causam » (8).

Quarto, *veritatis*, seu veracitatis: « Quaeritis me interficere hominem, qui veritatem vobis loquutus sum? » (9). « Si non vultis mihi credere, operibus credite » (10).

Quinto, *gratitudinis*, seu gratiae, quae respicit debitum ex beneficio ad aliud aliquo modo compensandum: « Pater, gratias ago tibi quoniam audisti me » (11).

Sexto, *vindicationis*, per quam vis aut iniuria et omne quod obscuratum est defendendo aut ulciscendo propulsatur:

- (1) MATTH. XX, 18.
- (2) LUC. VI, 12.
- (3) IOAN. VIII, 42.
- (4) Hebr. X, 5.
- (5) LUC. II, 51.
- (6) LUC. XIX, 41.
- (7) AUG. lib. 83, q. XXXI.
- (8) IOAN. XVIII, 38.
- (9) IOAN. VIII, 40.
- (10) IOAN. X, 38.
- (11) IOAN. XI, 41.

« Vade Satana: scriptum est enim: Dominum Deum tuum adorabis » (1).

Septimo, *liberalitatis*, quae reddit hominem facilem et promptum ad divitias erogandas, quando recta ratio dictat: « Et comederunt omnes, et saturari sunt » (2).

Octavo, *amicitiae*, seu affabilitatis, qua quis ex debito socialis vitae, in communi victu decenter se habet ad alios, spectata conditione personarum et aliis circumstantiis, sic ut neque nimis blande, neque nimis aspere se gerat in consortio; sed e contra omnibus tam amicis quam extraneis eius conversatio fit rationabiliter grata et suavis: « Et mirabantur in verbis gratiae, quae procedebant de ore ipsius: et dicebant: nonne hic est filius Ioseph? » (3).

c) Dico in Christo fuisse fortitudinem, seu virtutem cardinalem inclinantem voluntatem hominis ad pericula mortis, tempore et loco debito flocci facienda, aequo animo obvianda, et ad labores perferendos consequutioni boni necessarios. Et habuit eam cum omnibus suis partibus, scilicet, fidentia, magnificentia, patientia, et perseverantia: quae virtutes, si considerentur tanquam versantes circa pericula mortis, quod est materia fortitudinis, sunt quasi partes integrales ipsius: si autem versantur circa alia, quae non sint tam difficilia superatu, sunt virtutes distinctae a fortitudine, cui tamen famulatum praestant, et adhaerent sicut secundarium principali; unde partes potentiales fortitudinis vocantur (4). Cum enim actus fortitudinis sit duplex, scilicet: aggredi et sustinere, unicuique illae virtutes deserviunt.

Nam aggredi importat *fidentiam*, quae promptitudinem animi praestat ad periculum quodcumque subeundum: et *magnificentiam* quae confert strenuitatem in exequutione illorum, quae quis fidenter inchoavit. Deinde alter actus fortitudinis, quod est: sustinere, duo etiam importat, nempe

(1) MATTH. IV, 10.

(2) MATTH. XV, 37.

(3) LUC. IV, 22.

(4) Vid. BILLUART, *De fortitud.* a. 1.

patientiam, ne animus frangatur per tristitiam et dolorem decedatque a sua magnitudine ob difficultates abortas, et aspectu malorum imminuentium; et *perseverantiam* ne diuturna difficilium passione homo fatigetur, et desistat.

Quia ergo Cor Iesu fuit magnanimum, seu fidentissimum, magnificentissimum, patientissimum, et perseverantissimum, en quare fuit abyssus etiam fortitudinis, sicut de eo dictum fuerat: « Et requiescet super eum spiritus fortitudinis » (1). « Ecce Dominus Deus in fortitudine veniet » (2).

d) Tandem temperantia, quae iuxta rectae rationis dictamen, moderatur affectum usumque voluptatum gustus et tactus, fuit etiam in Christo cum omnibus suis speciebus, et virtutibus annexis.

Quatuor sunt partes subiectivae, seu species temperantiae scilicet: *abstinentia*, quae moderatur usum cibi; et *sobrietas* quae moderatur usum potus; hae fuerunt in Christo qui « cum ieiunasset quadraginta diebus et quadraginta noctibus postea esuriit » (3), *castitas*, quae in pluribus carnem cohibet, perfectissime in eo fuit qui omnibus pravis concupiscentiis penitus caruit; unde non permisit quod inter ludibria passionis, verbo aut facto minus casto verecundaretur: et *pudicitia* quae moderatur tactus, oscula, amplexus: nam et post resurrectionem ait Magdalenae: « Noli me tangere: nondum enim ascendi ad Patrem meum » (4).

Habuit etiam virtutes annexas temperantiae, seu partes potentiales eius, nempe; *humilitatem* quae moderatur motum ad excellentiam aliquam; et *mansuetudinem* quae est virtus moderatrix irae; unde: « Discite a me quia mitis sum et humilis corde » (5); et *clementiam* quae est virtus moderatrix poenarum: « Mitte gladium tuum in vaginam » (6): *mode-*

(1) ISAI. XI, 2.

(2) ISAI. XL, 10.

(3) MATTH. IV, 2.

(4) IOAN. XX, 17.

(5) MATTH. XI, 29.

(6) IOAN. XVIII, 11.

stiam, quae affectus humanos, gestusque corporis et ornatum moderatur (1); « Discipuli eius mirabantur, quia cum muliere loquebatur »; et *eutrapeliam* quae in recreationibus modum servat honestum.

Consequentia. Ergo imitandum. « Exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita et vos faciat » (2). Venit docere; sed prius coepit facere. Unde intima eius amicitia et sigillum apostolatus ipsius non adipiscitur auscultando tantum verbum illius, sed mandatum et exemplum exequendo: « Vos amici mei estis, si feceritis quae ego praecipio vobis » (3). Ostendens bonus Iesus Cor suum unicuique, inculcat quod olim Deus Moysi dixerat: « Iuspice et fac secundum exemplar, quod tibi in monte monstratum est » (4). Est etiam imitandum propter ipsius virtutis excellentiam; etenim iuxta S. Chrisostomum: « Nihil tam stultos homines facit, sicut malitia; nihil sapientiores reddit, quam virtus; etenim gratos, benignos, mites, humanos, mansuetos, lenes efficit. Fons, mater, radix sapientiae, virtus. Omne peccatum ex stultitia ortum habet: qui virtuti studet, is sapientissimus est » (5).

Affectus. Te, o sanctissima omni laude dignissima Trinitas, per illud Cor summe benedictum laudo, glorifico et benedico, quod potueris, sciveris atque volueris huic nobilissimo Cordi tam multiplicia dona, gratiarumque abundantiam conferre, et summo quo possum affectu ac reverentia, offero tuae supremae maiestati idipsum Cor dulcissimum atque unice dignissimum omni honore, quia plenum est divina gratitudine, ac beatitudinis perfectione excellens in perpetuum; atque oro ut per illud ipsum supplere ac perfecte

(1) IOAN. IV, 27.

(2) IOAN. XIII, 15.

(3) IOAN. XV, 14.

(4) Exod. XXV, 40.

(5) Homilia 40 in Ioan.


restaurare digneris quidquid mali admisi, et in omni bono neglexi (1).

Deprecatio. « Fac nos, Domine Iesu, sanctissimi Cordi tui virtutibus indui et affectibus inflammari, ut et imagini bonitatis tuae conformes, et tuae redemptionis mereamur esse participes » (2).

(1) Ex S. Machtilde.

(2) Ex Missa « Egredimini ».





CONCIO XV.

THEMA: Laus eius in ecclesia sanctorum.

(Psalm. CXLIX, 1).

IDEA CONCIONIS

PROPOSITIO. Cor Iesu semper collaudandum, quia est omni laude dignissimum.

DIVISIO. Est dignissimum, ut laudetur; I. Ab angelis; II. Ab hominibus III. A tota simulque creatione.

PARS I. Ab angelis nam: a) in eos immittit accidentaliter quaedam beatitudinis; b) ministros suos primos elegit; c) ab initio participes regni et gloriae suae effecit.

PARS II. Ab hominibus nam: a) eos a potestate diaboli per redemptionem eripuit; b) eos consortes divinae naturae per redemptionem effecit; c) eis, ad coelestem beatitudinem, viam per suum nobile triumphum aperuit.

PARS III. A tota creatione. Totam namque: a) sublimavit assumptionem humane naturae; b) nunc magnificat operationibus gratiae; c) postea exornabit purgatione futura.

Exordium. Ille Deus, qui tantum beatis se conspicendum praebebat, nobis tamen suae maiestatis, potentiae et sapientiae vestigia admiranda reliquit, quocumque oculos et mentem convertamus. Omnia, quae de eo nobis innotescunt, sive haec per revelationem manifestata sint nobis, sive per rationem sint cognita, vel sint per sensus apprehensa, tantum, et tam altum Deum ostendunt, ut nemini in comparatione illius debeatur laus, quia monet Propheta: « Exaltatum est nomen eius solius » (1).

(1) Psalm. CXLVIII, 13.

Laudabilis revera in se quia bonus, quia sanctus, quia potens, quia sapiens, quia habens unus in se quidquid perfectionis in singulis et in omnibus creaturis invenitur, et quidquid excogitari potest seminatum, sed gradu excellentissimo et perfectissimo.

Laudabilis ab omnibus, quae per ipsum facta sunt sive in coelis, sive in firmamento, sicut in terra et in abyssi.

Laudabilis in omnibus quae praesertim operatus est, angelum ministrum sui efformans, hominem ad imaginem et similitudinem suam creans, Abraham eligens, populum Israeliticum ducens et liberans, nationes gentium vocans, Ecclesiam per Christum statuens, alens et illuminans, omnes uno verbo ad se trahens.

Et propterea Angeli ab initio suae creationis Deum laudant, teste Isaia: (1) « Et clamabant alter ad alterum et dicebant: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus exercituum; plena est omnis terra gloria eius ». Quin hoc canticum laudis cesset umquam inter Angelos et Sanctos, ut ait D. Ioannes: (2) « Et requiem non habebant die ac nocte dicentia: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus omnipotens, qui erat, et qui est, et qui venturus est ».

Et etiam irrationalia et insensibilia suo quoque modo Deum laudant: Sol et Luna et Stellae in firmamento, sicut legitur in Iob, dicente Deo: « Ubi eras quando appendebam fundamenta terrae..., cum laudarent me astra matutina? » (3). Ignis, grando, nix et glacies in aëre; ligna fructifera et omnes cedri, bestiae et universa pecora in terra; montes et colles, maria et flumina, fontes et abyssi.

Et ab hominibus, etsi non ab omnibus, proli dolor! semper laus de terra ad Deum coeli ascendit, cum semper fuerint aliqui iusti. Et attendite: quamvis omnes homines viatores simul cum sanctis et inanimatis hanc laudem Deo debitam tribuerent, numquam tamen pro merito pervenissent ad eum

(1) Cap. VI, v. 3.

(2) Ap. IV, 8.

(3) Iob, cap. XXXVIII.

digne laudandum, quia est: « Magnus Dominus, et laudabilis nimis, et magnitudinis eius non est finis » (1).

Unus tantum Deum condigne laudavit: Christus Iesus, cuius Cor divinum est etiam infinita laude dignum.

Unde

Propositio. *Cor Iesu semper collaudandum, quia omni laude dignissimum.*

Quid praefert haec universalis propagatio devotionis erga sacratissimum Cor Iesu in omnibus fere orbis partibus asurgens, et volitans, nisi consensum omnium Fidelium, qui profitentur se debere Cordi huic sacratissimo laudes, et sponte et libenter occasionem arripere, qua persolvant, qua fateantur? Vere hisce temporibus reservatum videtur, ita Illud strenue colere ac incessanter laudare corde, ore et opere, ut videatur de Eo scriptum illud Davidis: « Laus eius in Ecclesia Sanctorum » (2). Nam cognitio thesaurorum sapientiae ac charitatis sacratissimi Cordis, et perceptio bonitatis illius ita corda ad se attrahit, ut non sit iam qui non agnoscat et diligat corde; et ideo « omnis spiritus laudat Dominum » (3). Et ita singulos haec devotio implet spirituali laetitia, ut hac gestientes, abrepti, quasi nequeant intra se continere dulcedinem, qua eos afficit SSmi huius obiecti dilectio, erumpant in cantica, cantantes canticum novum in Ecclesia Sanctorum, canticum indeficiens et penetrans coelos quasi virgula fumi in odorem suavitatis, nec est qui se abscondat a calore eius, nec est qui sibi non augeret aeternum hoc posse canticum dicere semper: « Semper laus Eius in ore meo » (4). Et laudibus cordis et oris talis ornatus splendorque iniungitur, ut vere de his festis videatur scriptum: « Laudate eum in sono tubae; laudate eum in psalterio et cithara. Laudate in tympano et choro; laudate eum in chordis et organo. Laudate eum in cymbalis

(1) Psalm. CXLIV, 3.

(2) Psalm. CXLIX, 1.

(3) Psalm. CL, 6.

(4) Psalm. XXXIII, 2.

bene sonantibus; laudate eum in cymbalis iubilationis » (1).
Revera enim Cor Iesu semper et ubique est collaudandum
quia est omni laude dignissimum.

Divisio. I. *Ex parte angelorum*; II. *Ex parte hominum*;
III. *A tota simul creatione.*

PARS I. — EX PARTE ANGELORUM.

Quamvis directe et praecipue ad nostram utilitatem formatio cordis carnei Iesu in tempore locum habuit; « Qui propter nos homines, et propter nostram salutem descendit de coelis et incarnatus est » (2); tamen usque ad coelos se extendunt effectus sacerdotii illius, et ab initio Christus est « sacerdos in aeternum » (3), dicente propheta, et B. Paulo admonente (4). Quin etiam iuxta eundem apostolum « Christus autem eo quod maneat in aeternum, sempiternum habet sacerdotium ». Et ideo; quia « tanto melior angelis effectus quanto differentius prae illis nomen haereditavit » (5), idcirco cum Pater introducit primogenitum in orbem terrae dicit: « Et adorent eum omnes Angeli Dei » (6). Unde laudant eum: « Laudate eum omnes Angeli eius, laudate eum omnes Virtutes eius » (7). Et hoc, triplici capite.

a) Quia inde influunt in eos accidentaliter quaedam beatitudinis.

Ad rem Billot: « Verum, etsi habeat Christus homo relate ad angelos tria illa, quae ad rationem capitis pertinent, praeeminentiam, dico, dignitatis propter unionem, praeeminentiam

(1) Psalm. CL, 3, 4, 5.

(2) Symb.

(3) Psalm. CIX, 4.

(4) Ad Heb. VII, 24.

(5) Ad Heb. I, 4.

(6) Ad Heb. I, 6.

(7) Psalm. CXLVIII.

perfectionis propter gratiae plenitudinem ac denique praeeminentiam imperii, necnon et influentiae ratione communicationis quorundam donorum gratiae, longe tamen perfectius ac multo magis proprie est caput hominum quam sit angelorum: 1° quia nobiscum communicat in natura speciei, cum angelis vero communicat secundum genus intellectualis naturae tantum. 2° quia nobis influit totum quod est spiritualis vitae et beatitudinis tam animae quam corporis: angelis vero (loquendo consequenter ad dicta superius q. I, a. 3) non influit substantiam gratiae et gloriae; sed influit tantum ea quae pertinent ad accidentaliter beatitudinis, quatenus angeli, cum sint ministri Christi, ei per omnia famulantes (Heb. I, 16-17) admittuntur etiam ad eius societatem et fructum et consortium (I. Petri II, 12) variasque ab eo recipiunt de mysteriis gratiae illuminationes (Ephes., III, 10, 11). Unde S. Thomas in 3^m Sent. Dist. 13. q. 2. a. 2. dicit « quantum ad influentiam... non influit Christus angelis... merendo gratiam..., sed in his quae ad actus hierarchicos pertinent, secundum quod unus angelus illuminat alium... Hoc enim multo eminentius a Christo recipiunt » *De verbo incarnato*, Thesis XVIII.

b) Praeterea quia angelos ministros sibi primos elegit: ideo D. Paulus: « Qui facit angelos suos spiritus, et ministros suos flammam ignis » (1) id est qui facit angelos suos celeres ut aer, et ministros suos activos sicut flamma ignis. Super quo scribit D. Thomas (2) « Iustum est quod adorent, quia sunt ministri. Deus enim aliquando operatur illuminando intellectum; aliquando vero movet ad opus. Et utrumque per angelos facit. In quantum ergo illuminat per ipsos, dicuntur nuntii. In quantum vero sunt mediatores operum divinorum, dicuntur ministri ». Et postea subdit « Angeli sunt ignis in quantum ministri; ignis autem inter omnia elementa est maxime activus et efficax ad agendum; unde in psalmo de angelis, ubi dicuntur ministri eius, additur: « et ministros suos

(1) Ad Heb. I, 7.

(2) In Epist. Ad Heb. c. I, lect. 3.

ignem urentem ». Item ignis calorem causat, per quod designatur charitas: unde describuntur in igne, et dicuntur Seraphim. Item ignis semper movetur sursum; ita angeli et boni ministri omnia, quae agunt, semper referunt in gloriam Dei, sicut patet de Angelo Tobia comite « benedicite Deum coeli ».

c) Tandem semper collaudandum ab Angelis, quia ab initio participes regni et gloriae suae effecit. « Ab initio, nempe, creationis eorum; nam Angeli, sicut animae, sunt a Deo creati, contra Aristotelem asserentem animas esse aeternas, ut definitum est a Concilio Lateranensi IV. Unde, sive sint ante mundum creati, ut docent Doctores graeci cum S. Gregorio Nazianzeno, sive simul cum creatura corporea, ut defendunt Patres Latini iuxta quod legitur Eccl. « Creavit omnia simul » (1) non simultaneitate instantanea sed simultaneitate temporis non discontinuati et hoc quoad species, nam individua earum, sicut animae, quotidie producuntur in esse, certum est quod creati fuerunt ab initio temporis; et omnes simul; et in regno seu gloria sua, sive in supremo coelorum quod est empyreum collocati, ut legitur Ezechiel: « In deliciis Paradisi Dei fuisti... posui te in monte sancto Dei (2). Ratio est quia Angeli, utpote spirituales substantiae, creaturas corporeas sua dignitate excedunt, et tamquam superiores, universae naturae praesident. Unde conveniens fuit ut in supremo crearentur, quia licet a corpore vel loco non pendeant, locus tamen dignitati semper respondet ut patet in ipsis corporibus, quae quanto sunt nobiliora, tanto in superiori loco collocantur » (3).

PARS II. — Ex PARTE HOMINUM.

Una cum Angelis etiam homines collaudare tenentur sacratissimum Cor Iesu quia maiestate gravissimum, altissimum, ditissimum, sapientissimum, uno verbo divinum; quia ipsis

(1) XVIII, 1.

(2) XXVIII, 13, 14.

(3) BILLUART, *De Ang.* Dis. I, a. 3.

est illud cor optimum, unde omne bonum effluxit quod in omnes pertransiit.

a) Nam eos a potestate diaboli per redemptionem eripuit. De Iudaeis enim scribit David: « Servierunt sculptilibus eorum; et immolaverunt filios suos et filias suas daemoniis » (1). Et de gentibus D. Paulus: « Et servierunt creaturae potius quam creatori » (2). Colebant enim corpora coelestia, et aerem, et aquam, et ignem, et ipsa irrationabilia animalia, et ipsos daemones loquentes per similitudines igneas, vel lapideas, vel ferreas, secundum illud (3) « Aut ignem, aut spiritum, aut citatum aerem, aut gyrum stellatum, aut Solem et Lunam, rectores orbis terrarum deos putaverunt ». Et quoniam omnes dii gentium daemonia, sub eorum dominio erant quocumque immolabant hostias suas eis: « Certe iniquorum omnium caput diabolus est; et huius capitis membra sunt omnes iniqui » (4). Sed misericors Iesus, rex deorum et universae potestatis, eripuit nos de potestate tenebrarum (5) quando salutem humani generis in ligno crucis constituit, ut unde mors oriebatur, inde vita resurgeret, et qui in ligno vincebat in ligno quoque vinceretur, ut canit Ecclesia in praefatio de cruce. Unde universa laude, antehac tributa diis alienis ab hominibus errantibus, ex tunc acclamatum est Cor Iesu: « dignus est Agnus qui occisus est accipere gloriam et benedictionem » (6). Unde Augustinus: « Poterat Deus hominem aliunde suscipere non de genere istius Adae, qui suo peccato obligavit genus humanum; sed melius iudicavit ut ab ipso, quod victum fuerat, genere assumeret hominem Deus, per quem generis humani vinceret inimicum » (7).

b) Verbum assumendo humanam naturam factum est

(1) Psalm. CV, 36, 37.

(2) Rom. I, 25.

(3) Sap. XIII, 2.

(4) S. GREG. Homil. XVI in evang.

(5) Coloss. I, 13.

(6) Apoc. V, 12.

(7) Lib. 3, De Trinit.

particeps humilitatis nostrae: « Post haec in terris visus est et cum hominibus conversatus est » (1). Idcirco S. Leo: « Omnipotens Dominus cum saevissimo hoste non in sua maiestate, sed in nostra concreditur humilitate, obliens ei eandem formam, eandemque naturam, mortalitatis quidem nostrae participem, sed peccati totius expertem » (2).

Sed ubi humilitatem humanae naturae assumebat, hominem in amicum, participem et consortem divinae naturae mutabat: « Per quem maxima, et praetiosa nobis promissa donavit, ut per haec efficiamini divinae consortes naturae » (3). Hoc autem consortium et mystica desponsatio duarum naturarum antea praenuntiata: « Et deliciae meae esse cum filiis hominum » (4), et simul divitiae, gloria, laus, et honor, ad quorum fructum sponsa, seu humana natura, electa et vocata fuit a Deo et elevata, describitur a Salomone: « Veni in hortum meum, soror mea sponsa, messui myrrham meam cum aromatibus meis: comedi favum cum melle meo, bibi vinum meum cum lacte meo; comedite amici, et bibite, et inebriamini carissimi » (5).

Unde S. Leo « Exultet sanctus, quia propinquat ad palmam; gaudeat peccator, quia invitatur ad veniam; animetur gentilis, quia vocatur ad vitam ». Et postea subdit « Agnosce, o christiane, dignitatem tuam, et divinae consors factus naturae, noli in veterem vilitatem degeneri conversatione redire » (6).

c) Tandem Cor Iesu semper ab hominibus collaudandum quia eis ad coelestem beatitudinem viam per suum nobilem triumphum aperuit. Ideo per Ioannem: « Quia vado parare vobis locum » (7), id est « coelum reserans hucusque hominibus inaccessum » ubi mox anima glorificati, et propediem,

(1) BARUCH. III, 38.

(2) Serm. I, de Nativ.

(3) II Petri, I, 4.

(4) Prov. VIII, 31.

(5) Cant. V, 1.

(6) Serm. I, de Nativ.

(7) IOAN. XIV, 2.

et anima et corpore, sitis consortes felicitatis meae. Quod quidem fecit ascendendo Christus, qui « ascendens in altum captivam duxit captivitatem; dedit dona hominibus » (1). Inter quae dona merito cum gaudio enumeratur, quod humana natura transgrediens angelicos ordines, est in Christo super summum coelorum collocata. Unde S. Leo: « Et revera magna et ineffabilis erat causa gaudendi, cum in conspectu sanctae multitudinis super omnium creaturarum coelestium dignitatem, humani generis natura conscenderet supergressura angelicos ordines, et ultra Archangelorum altitudines elevanda, nec ullis sublimitatibus modum suae profectionis habitura, nisi aeterni Patris recepta consensu, illius gloriae sociaretur in throno, cuius naturae copulabatur in Filio » (2).

PARS III. — A TOTA SIMUL CREATIONE.

Omnes creaturae, ex hoc ipso quod sunt, Deum quoque suo modo laudant. Coeli suam sublimitatem, spatia suam immensitatem, luminaria suam claritatem. Stabilitatis eius vestigia, propugnant montes excelsi; incomprehensibilitatis illius, abyssi: maiestatis ipsius, tempestas valida. Adspectabilis huius mundi machina omnipotentiam divinam praedicat: ordo constans totius universi eius sapientiam dicit: cuiuscumque rei conditio varia, suam laudabilem bonitatem annuntiat.

Sed alia laus, praeter hanc perennem ob bonum naturale, ponitur in ore ipsorum, ob bonum gratiae quod Deus collaturus erat homini: « Montes exultaverunt ut arietes, et colles sicut agni ovium » (3). Tunc exultabunt omnia ligna silvarum a facie Domini (4). Flumina plaudent manu, simul montes exultabunt » (5).

(1) Ephes. IV, 8.

(2) Serm. I, de Ascens.

(3) Psalm. CXIII, 4.

(4) XCV, 12.

(5) XCVII, 8.

a) Nam totam creationem sublimavit assumptione humanae naturae. Universa enim, quae propter semetipsum operatus est Dominus, a recto servitio Divinitatis defecerunt, ex hoc quod homo, in cuius favorem condita fuerunt, a Deo recessit.

Ideo ad peccatum hominum delendum « cuncta, in quibus spiraculum vitae est in terra, mortua sunt » (1). Ergo a pari; ex quo humana natura reparata est per Christum, in quo homo factus est Deus, tota simul creatio sublimata fuit, nam in hoc verbo: *homo* includitur omnis creaturae nomen. Ad rem S. Gregorius: « Omnis creaturae nomine signatur *homo*. Omnis autem creaturae aliquid habet homo. Habet namque commune esse cum lapidibus, vivere cum arboribus, sentire cum animantibus, intelligere cum angelis. Si ergo commune habet aliquid cum omni creatura homo, iuxta aliquid, omnis creatura est homo » (2).

b) Nunc magnificat eam operationibus gratiae. Sed hoc indirecte tantum: nam subiectum gratiae est anima, seu creatura rationalis, quae per eam adiuvatur ad operationes, quae vires naturae superant, quaeque ordinantur ad aeternam salutem. Unde definitur « donum supernaturale gratis a Deo per merita Christi collatum quod de se tendit ad actum et finem supernaturalem ». Inde cum creatura mere sensibilis, seu natura physica, non sit capax huiusce actus et finis supernaturalis, non potest directe ornari et magnificari operationibus gratiae; sed solum in quantum deserviunt animae sanctificatae per gratiam. Et sic corpus hominis dicitur templum Spiritus Sancti: « Nescitis quoniam membra vestra templum sunt Spiritus Sancti? » (3) Ita, quia tota natura habet quasi quamdam consecrationem ex gratia procedentem, ut patet per miracula et alias gratias gratis datas, per quas in omnia elementa effulsit manus Domini, tota suo modo laudat Deum a quo magnificatur operationibus gratiae.

(1) Gen. VII, 22.

(2) Homil. XXIX in *Evang.*

(3) I ad Cor. VI, 19.

c) Postea exornabit purgatione futura. Nam omnia elementa in statum meliorem et sublimiorem mutabuntur, ut dicit D. Ioannes: « Vidi coelum novum et terram novam; primum enim coelum et prima terra abiit » (1). Nam « quia mundus propter hominem aliquo modo factus est, oportet quod quando homo secundum corpus glorificabitur, etiam alia mundi corpora ad meliorem statum mutantur, ut sit et locus convenientior, et aspectus delectabilior » (2). Quam purgationem operabitur Iesus quando veniens in nubibus coeli: « ignis in conspectu eius exardescet et in circuitu eius tempestas valida » (3). Et sic patet quod etiam a tota simulque creatione dignissimum est ut laudetur Cor Iesu.

Consequentia. Ergo semper collaudandum. « Quamvis enim secundum essentiam debeat ei reverentia et cultus latriae, quia maior omni laude, cum incomprehensibile sit et ineffabile; tamen secundum effectus ipsius, qui in nostram utilitatem ordinantur, debetur Deo laus ut dicit Isaias: (4) « Miserationum Domini recordabor: laudem Domini super omnibus, quae reddidit nobis Dominus » (5). Quae quidem triplex est: prima *oris*, non quidem ut ei, qui est inspector cordium, nostros conceptus manifestemus; sed ut nosmetipsos et alios audientes ad eius reverentiam inducamus; affectus enim excitatur in Deum ex laude ipsius. Secunda *cordis*: laus enim oris inutilis est laudanti si fit sine laude cordis: « Populus hic labiis me honorat » (6); tunc enim loquitur Deo laudem, dum magnalia operum eius recogitat cum affectu (7). Tertia *opere*, recta scilicet vivendi ratione, conformi voluntati eius quem laudamus.

(1) Apoc. XXI, 1.

(2) Supplem. Sum. Theol. q. LXXIV, a. 1.

(3) Psalm. XLIX, 3.

(4) LXIII, 7.

(5) II^a-II^{ae}, q. XCI, a. 1.

(6) MATTH. XV, 8.

(7) D. THOM. loc. cit.

Affectus. O Cor Iesu omni laude dignissimum! Felix, qui possit cum discipulo praedilecto videre quatuor animalia et viginti quatuor seniores coram te habentes singuli citharas et phialas aureas! Felix, qui possit audire, sicut ille audit, vocem Angelorum multorum in circuitu throni, et animalium, et seniorum dicentium: « Dignus es, agnus, qui occisus es, accipere virtutem et divinitatem et sapientiam, et fortitudinem, et honorem, et gloriam, et benedictionem ». Felix, qui associatus omni creaturae, quae in coelo est, et super terram, et sub terra, et iis, quae sunt in mari et quae ubique, possit te dignis laudibus celebrare dicens: « Sedit in throno et agno benedictio, et honor, et gloria, et potestas in saecula saeculorum! » Sed vox mea potius moerorem sonat, quam laudem, et in gemitu labens atque in lamentum, nequit in hymnos assurgere, nequit laeta decantare alleluia. Exul a patria tristis sum; gemere scio, canere nescio. Cantent te, laudent te parvuli, innocentes et recti corde; ego, donec vixero, rugiam a gemitu cordis mei. Sed fac quod tuam laudabilem et infinitam bonitatem cum sanctis tuis, postquam corpus mortis huius dissipabitur morte, aeternum cantare coram te valeam, et dicam: « Laudate Dominum de coelis: laudate eum in excelsis » (1).

Deprecatio. « Domine Iesu Christe, qui ineffabili charitatis miraculo, ut mortalium corda tibi omnino devinceret, sacratissimum corpus tuum ipsis in pabulum impertire dignatus es; exaudi supplicum preces, et confitentium tibi parce peccatis, et in quos suavissimi Cordis tui affectus dirigit, in eos misericordiosissimae pietatis oculis benignus intende, ut dignum tibi in hoc sacro mysterio obsequium exhibentes, eiusdem sacratissimi Cordis accendamus affectibus, et dignis in aeternum laudibus eiusdem divini Cordis erga nos effectus prosequamur (2).

(1) *Psalm* CXLVIII, 1.

(2) Ex P. SCHANENBURG.

CONCIO XVI.

THEMA: Dicite filiae Sion: Ecce rex tuus venit tibi mansuetus.

(Matth. XXI, 5).

IDEA CONCIONIS

PROP. Cor Iesu acclamandum, quia est Rex omnium cordium.

DIVISIO. Est Rex, I. mansuetus, II. zelotes, III. potens.

PARS I. Est Rex mansuetus: a) humilitate vitae; b) simplicitate conversationis; c) suavitate sermonis.

PARS II. Est Rex zelotes: a) amoris integri; b) sustinentis; c) aggredientis.

PARS III. Est Rex potens: a) mutare corda prava; b) inflammare corda tepida; c) et vincere catenis aureis corda amantia.

Exordium. Alter ex titulis ad sacratissimum Cor Iesu spectantibus ratione tum divinae tum humanae naturae, est dignitas regalis, qua omnibus imperat, et super omnibus eminet. Nam loquendo de praelio quod praeliaturum erat cum bestia, septem capita, et decem cornua habente, scribit D. Ioannes (1): « Hi cum Agno pugnabunt, et Agnus vincet illos: quoniam Dominus Dominorum est, et Rex Regum ». Ideoque; « habet in vestimento et in femore suo scriptum: Rex Regum et Dominus Dominantium » (2). Et revera; ratione divinae naturae est rex, quia Deus et Filius Dei: « Filius meus es tu; ego hodie genui te » (3). Ratione vero humanae

(1) *Apoc.* XVII, 14.

(2) *Apoc.* XIX, 16.

(3) *Psalm.* II, 7.

Affectus. O Cor Iesu omni laude dignissimum! Felix, qui possit cum discipulo praedilecto videre quatuor animalia et viginti quatuor seniores coram te habentes singuli citharas et phialas aureas! Felix, qui possit audire, sicut ille audit, vocem Angelorum multorum in circuitu throni, et animalium, et seniorum dicentium: « Dignus es, agnus, qui occisus es, accipere virtutem et divinitatem et sapientiam, et fortitudinem, et honorem, et gloriam, et benedictionem ». Felix, qui associatus omni creaturae, quae in coelo est, et super terram, et sub terra, et iis, quae sunt in mari et quae ubique, possit te dignis laudibus celebrare dicens: « Sedit in throno et agno benedictio, et honor, et gloria, et potestas in saecula saeculorum! » Sed vox mea potius moerorem sonat, quam laudem, et in gemitu labens atque in lamentum, nequit in hymnos assurgere, nequit laeta decantare alleluia. Exul a patria tristis sum; gemere scio, canere nescio. Cantent te, laudent te parvuli, innocentes et recti corde; ego, donec vixero, rugiam a gemitu cordis mei. Sed fac quod tuam laudabilem et infinitam bonitatem cum sanctis tuis, postquam corpus mortis huius dissipabitur morte, aeternum cantare coram te valeam, et dicam: « Laudate Dominum de coelis: laudate eum in excelsis » (1).

Deprecatio. « Domine Iesu Christe, qui ineffabili charitatis miraculo, ut mortalium corda tibi omnino devinceret, sacratissimum corpus tuum ipsis in pabulum impertire dignatus es; exaudi supplicum preces, et confitentium tibi parce peccatis, et in quos suavissimi Cordis tui affectus dirigit, in eos misericordiosissimae pietatis oculis benignus intende, ut dignum tibi in hoc sacro mysterio obsequium exhibentes, eiusdem sacratissimi Cordis accendamus affectibus, et dignis in aeternum laudibus eiusdem divini Cordis erga nos effectus prosequamur (2).

(1) *Psalm* CXLVIII, 1.

(2) Ex P. SCHANENBURG.

CONCIO XVI.

THEMA: Dicite filiae Sion: Ecce rex tuus venit tibi mansuetus.

(Matth. XXI, 5).

IDEA CONCIONIS

PROP. Cor Iesu acclamandum, quia est Rex omnium cordium.

DIVISIO. Est Rex, I. mansuetus, II. zelotes, III. potens.

PARS I. Est Rex mansuetus: a) humilitate vitae; b) simplicitate conversationis; c) suavitate sermonis.

PARS II. Est Rex zelotes: a) amoris integri; b) sustinentis; c) aggredientis.

PARS III. Est Rex potens: a) mutare corda prava; b) inflammare corda tepida; c) et vincere catenis aureis corda amantia.

Exordium. Alter ex titulis ad sacratissimum Cor Iesu spectantibus ratione tum divinae tum humanae naturae, est dignitas regalis, qua omnibus imperat, et super omnibus eminet. Nam loquendo de praelio quod praeliaturum erat cum bestia, septem capita, et decem cornua habente, scribit D. Ioannes (1): « Hi cum Agno pugnabunt, et Agnus vincet illos: quoniam Dominus Dominorum est, et Rex Regum ». Ideoque; « habet in vestimento et in femore suo scriptum: Rex Regum et Dominus Dominantium » (2). Et revera; ratione divinae naturae est rex, quia Deus et Filius Dei: « Filius meus es tu; ego hodie genui te » (3). Ratione vero humanae

(1) *Apoc.* XVII, 14.

(2) *Apoc.* XIX, 16.

(3) *Psalm.* II, 7.

naturae est rex, tum propter unionem hypostaticam, tum propter imperium universale a Patre acceptum; « Hic erit magnus et Filius Altissimi vocabitur; et dabit illi Dominus Deus sedem David Patris eius; et regnabit in domo Iacob in aeternum, et regni eius non erit finis » (1); sicut iam dictum fuerat per prophetam: « Dabo tibi gentes haereditatem tuam, et possessionem tuam terminos terrae » (2). Hinc Deus Pater per Zachariam monet populos ut ad adventum eius praeparentur: « Ecce Rex tuus venit tibi » (3); futurum enim erat ut populos et rectores populorum illuminaret: « Et ambulabunt gentes in lumine tuo, et reges in splendore ortus tui » (4). Venit ergo regere, non tamen per potentiam, sed per beneficentiam; venit imperare, non in corpora, sed in corda; venit tandem omnes subicere, non timore, sed amore. Et haec est ratio, qua, ad similitudinem commorantium in urbe Ierusalem, illum suscipere et Regem acclamare debemus. En ergo.

Propositio. *Cor Iesu acclamandum, quia est Rex omnium cordium.*

Antequam ad probationem propositionis veniam, oportet inquirere cur sacratissimum Cor Iesu tanquam rex omnium cordium sit acclamandum, et non tanquam rex omnium hominum, cum regnum eius sit universale, dicente propheta: « Regnum ipsius omnibus dominabitur » (5); id est « a mari usque ad mare, a flumine usque ad terminos orbis terrarum » (6).

Quod quidem dupliciter attenditur: primo ex parte hominum; et sic nihil aliud significat nisi quod Iesus vult in cordibus omnium imperare, prouti cor sunnitur pro tota anima

- (1) Luc. I, 32, 33.
- (2) Psalm. II, 8.
- (3) IX, 9.
- (4) Isaï, LX, 3.
- (5) Psalm. CII, 19.
- (6) LXXI, 8.

et velut principium interiorum affectionum eius, sive pravae sint, ut legitur Matth.: « De corde exeunt cogitationes malae; homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemiae » (1); sive sint rectae, ut ait propheta: « Eructavit cor meum verbum bonum » (2); cum enim cor sit sedes voluntatis, ipsum est veluti totus homo. Et ideo: « Fili mi praebe cor tuum mihi » (3).

Secundo ex parte Iesu, qui est praecipuus rex cordium, non enim venit in corpora imperium exercere: « Regnum meum non est de hoc mundo » (4) sed in animas; « Ecce enim regnum Dei intra vos est » (5). Propter quod dicit D. Paulus: « quod non est regnum Dei esca et potus, sed iustitia, et pax et gaudium in Spiritu Sancto » (6). Ideoque non vult in homines imperare vi, sed blanditiis; non timore, sed amore; non ut in servos, sed ut in filios; non terrendo, sed trahendo. Et sic dicitur et est rex cordium...

Divisio. I. *Mansuetus*; II. *Zelotes*; III. *Potens*.

PARS I. — REX MANSUETUS.

Mansuetudinem huius regis venturi annuntiavit Ieremias: « Et ego quasi agnus mansuetus » (7). Cuius mansuetudinis exemplum, triplici sub aspectu nobis admirandum proponitur.

a) Humilitate vitae. Nihil Christo deesse poterat eorum, quae ad regalem maiestatem circumdandam adhiberi solent, cum sit Dominus omnium: neque divitiarum copiae, neque famulorum multitudo, neque splendor aedium, neque diade-

- (1) XV, 19.
- (2) Psalm. XLIV, 2.
- (3) Prov. XXIII, 26.
- (4) Ioan. XVIII, 36.
- (5) Luc. XVII, 21.
- (6) Rom. XIV, 17.
- (7) XI, 19.

matum nitor, et clamydis regiae maiestas. Et tamen omnibus magnificentiae et dominationis signis abiectis, summam humilitatem vitae praetulit et hac ita se circumornavit, ut adimpleretur quod dictum fuit per prophetam: « Ego autem mendicus sum et pauper » (1). Nam natus extra parentum domum in praesepio, et in medio duorum animalium, pastores mites, adhibet primos adoratores, ut inciperet paupertatem et mansuetudinem nobilitare, qui venerat de superbia mundi humilitate crucis triumphaturus. Domi Nazareth morans usque ad praedicationis tempus, subditus vixit Mariae et Ioseph; eisque paruit non necessitate perductus, sed pietate compulsus, ut enim scribit D. Ambrosius; « Non infirmitatis, sed pietatis erat ista subiectio » (2), qua obedientia et primi parentis inobedientiam reparavit, et nobis admirabile subiectionis exemplar reliquit.

Et tamen omnes thesauri sapientiae et scientiae absconditi, in sacratissimo Corde eius sedem habebant; proficiscens in exteriorem sapientiae ostensionem et gratiae manifestationem et procedens iuxta conditionem aetatis ad modum solis apparentis, quem claritate et ardore crescere ab ortu ad meridiem videmus, quin tamen in se crescat, nec magis ardeat nec alius ab ante clarescat.

Et ita in omni vitae suae cursu; semper humilis victu, vestitu et domu; et quando socios ministerii adhibere voluit, non divites, aut sapientes, aut mundi potens, sed pauperes, ignaros, fragiles et stulta mundi elegit, ut scribit D. Paulus: « Stulta mundi elegit Deus, ut confundat sapientes, et infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia » (3).

b) Simplicitate conversationis. « Scientia inflat » (4); id est, scientia sola reddit hominem superbum; sed virtutis socia, et sibi et aliis proficit; « Charitas vero aedificat » (5);

(1) Psalm. XXXIX, 18.

(2) Lib. II in Lucam.

(3) I ad Corint. I, 27.

(4) I ad Corint. VIII, 1.

(5) Eodem loc. v. 1.

ut enim legitur Ecclesiast. « Vir sapiens plebem suam erudit » (1). En quare sacratissimum Cor erat maximae simplicitatis in conversatione, habebat enim et sapientiam altissimam et ardentissimam erga homines charitatem. Ideo neminem umquam repulit, omnibus se indiscriminatim communicavit, et cum omnibus blande affatus est. Ad se venientium preces benignissime exipiebat, consolabatur, favebat et turbis et privatis omnibus large benefecit. Eadem commiseratione puerum nobilis Centurionis sanavit, qua caeco secus viam sedenti visum, rogatus, restituit. Quando offerebant ei parvulos ut ipsos tangeret, et discipuli conminabantur offerentibus, videns Iesus indigne tulit et ait: « Sinite parvulos venire ad me, et ne prohibueritis eos » (2); non solum quia in simplicitate parvulorum sibi complacebat, sed quia nomine parvulorum intelliguntur peccatores, quos quaerere, ignaros, quos erudire, pauperes, quos ditare, debiles, quos roborare, infirmos, quos sanare, vinctos, quos liberare, oppressos, quos levare, laborantes, quos reficere optabat, et propter quos veniebat; et ideo clamans ait: « Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis et ego reficiam vos » (3). Quod tunc fecit, nunc gerit; per vulnus lateris ad Cor suum omnes ut ingrediantur invitat, quia pro omnibus fuit perforatum: de eo enim dici potest; « Exi cito in plateas, et vicos civitatis, et pauperes, debiles, et caecos, et claudos, introduce huc, ut impleatur domus mea » (4).

c) Suavitate sermonis. Abs dubio Cor Iesu in corda audientium hac suavitate imperavit, quia sermo suavis attrahit animum, dicente Ecclesiastico: « Verbum dulce multiplicat amicos » (5). Quam vocis suavitatem sponsa laudat dicens: « Guttur illius suavissimum, et totus desiderabilis » (6); nullus

(1) XXXVIL, 26.

(2) MARG. X, 14.

(3) MATTH. XI, 28.

(4) LUC. XIV, 21.

(5) VI, 5.

(6) Cant. V, 16.

enim, sicut sponsa seu anima iusta, eam degustaverat, quamvis, etiam peccatores, sicut David, voluit huius suavitatis participes facere: « Quam dulcia faucibus meis eloquia tua! super mel ori meo! » (1). Et ideo ad similitudinem sponsae, sponsum audire cupientis; « Sonet vox tua in auribus meis, vox enim tua dulcis, et facies tua decora » (2), turbae Iesum audire desiderantes, sequebantur per vicos, et civitates in desertum, et a Galilea in fines Iudaeae, et a Iudaea et Ierusalem, et maritima Tyri et Sidonis veniebant auditurae illum; et tali ardore, ut, cum Iesus secessisset a Nazareth, ne sequerentur, in navicula, in locum desertum seorsum, turbae secutae sunt eum pedestres de civitatibus (3).

PARS II. — ZELOTES.

Deinde est rex cordium zelotes. Et hoc est nomen eius: « Dominus zelotes nomen eius » (4). Venit enim non solum in omnia corda per suum amorem imperaturus, sed omnia corda per nostrum amorem integre possessurus. Est enim zelotes.

a) Amoris integri. Et plane dignum est ut, qui infinita charitate totum se dedit, ex toto corde redametur; dignum est ut qui in pignus amoris aestuantis, cor suum nostris hisce temporibus praebeuit, ardentem requiratur. Ideo, « nemo potest duobus dominis servire; aut enim unum odio habebit et alterum diliget; aut unum sustinebit et alterum contemnet » (5). Qui enim cordis affectus partim Christo, partim hominibus offerre contendunt, Christo non placent, dicente D. Paulo: « Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem » (6); sed e contra pereunt: « Divisum est cor eorum, nunc interi-

- (1) Psalm. CXVIII, 103.
- (2) Cant. II, 14.
- (3) MATTH. XIV, 13.
- (4) Exod. XXXIV, 14.
- (5) MATTH. VI, 24.
- (6) Ad Galat. I, 10.

bunt » (1). Ad quod D. Bernardus « Nec misceri poterunt vera vanis, aeterna caducis, spiritualia corporalibus, summa imis, ut pariter sapias quae sursum sunt, et quae super terram » (2). Christianis tepidis Deo servire et mamnae conantibus, potest dici quod Helias universo populo Israel: « Usquequo claudicatis in duas partes? Si Dominus est Deus, sequimini eum; si autem Baal, sequimini illum » (3).

b) Amoris sustinentis. Via Christi est via crucis; qui enim « non baiulat crucem suam et venit post me non potest meus esse discipulus » (4). Quia autem Magistrum nostrum Iesum videmus propter passionem mortis gloria et honore coronatum (5), cognoscimus etiam quod oportet discipulos per multas tribulationes intrare in regnum Dei; non est enim discipulus supra magistrum. De his tribulationibus undequaque advenientibus admonuit cum dixit: « Si me persecuti sunt, et vos persequentur » (6). Est ergo zelotes amoris sustinentis in sensu, quo desiderat nos sustinere passiones pro nomine suo ut sic allevemus illum qui patitur in membris, in nobis scilicet. Et etiam in sensu quo desiderat non sustinere cum illo passiones ab inimicis suis, seu a pravis, haereticis, schismaticis et peccatoribus quibuscumque ipsi advenientes. Ad primas allicit sustinendas dicens: « Beati eritis cum vos oderint homines, et cum separaverint vos, et exprobraverint, et eiecerint nomen vestrum tamquam malum, propter Filium hominis. Gaudete, et exultate; ecce enim merces vestra multa est in coelo » (7). Ad secundas cum eo perferendas vocans ait: « Sustinete hic, et vigilate mecum » (8). « Sic non potuistis una hora vigilare mecum? » (9).

- (1) OSEAE X, 2.
- (2) Sermón. super « Missus est »
- (3) III Reg. XVIII, 21.
- (4) LUC. XIV, 27.
- (5) Hebr. II, 2.
- (6) IOAN. XV, 20.
- (7) LUC. VI, 22.
- (8) MATTH. XXVI, 38.
- (9) MATTH. XXVI, 40.

c) Amoris aggreddientis. Tristis erat anima Christi acerbissimam passionem sibi advenientem praevidens. Sed tamen in oratione proluxa ab Angelo confortatus, et per illum, Patris voluntate recognita, surgit non tristis, sed fortis, non timens sed terrens, et ad discipulos veniens ait: «Surgite eamus. Ecce qui me tradet, prope est» (1). Et in occursum proditoris ac militum ad eum comprehendendum venientium, sponte sua vadit, et se tradit dicens: «Cum quotidie vobiscum fuerim in templo, non extendistis manum in me; sed haec est hora vestra, et potestas tenebrarum» (2). Perfectionem huius amoris aggreddientis, seu invictissimam fortitudinem ad passiones pro nomine suo sectandas, ab aliquibus etiam repetit hic Rex summus; omnibus summatim id est peccatoribus, imperfectis et tepidis, qui amore saeculi plura incommoda aggreddiuntur, quin pro amore suo animum erigant, nec audeant oneri crucis se subiicere, dicit sicut Apostolis: «Sic non potuistis una hora vigilare mecum?» Perfectis autem, crucem ut portent, et tormenta pro nomine suo patiantur invitans, ait: «Surgite, eamus: ecce appropinquavit qui me tradet».

PARS III. — POTENS.

Hoc accidit inter potentes, quod «principes gentium dominantur eorum; et qui maiores sunt potestatem exercent in eos» (3). Nemo tamen in voluntatem subditorum imperium exercere valet; hoc enim solius Dei est. Et in hoc sensu dico Cor Iesu esse regem potentem omnium cordium, quia scilicet est potens, mutatque in carnea de saxeis, in filios repromissionis filios damnationis.

a) Potens est mutare corda prava, seu gratia efficaci «de lapidibus suscitare filios Abrahae» (4). Quo significari

(1) MARC. XIV, 42.

(2) LUC. XXII, 5, 3.

(3) MATTH. XX, 25.

(4) MATTH. III, 9.

docent Ss. Patres, posse Deum Abrahae filios per fidem suscitare in gentibus, quae lapides et simulacra muta colunt, ideoque in Scriptura sacra lapidibus comparantur. Et revera ut dicit D. Thomas (1). «Deus, qui potentior est quam voluntas humana, potest voluntatem humanam movere secundum illud Prov.: «Cor regis in manu Domini, et quocumque voluerit inclinabit illud» (2). Sed non per violentiam, alioquin iam non esset actus voluntatis; sed potest ab illo mutari, operando in illa sicut in natura, et in hoc sensu dicit Apostolus, quod: «Deus est qui operatur in nobis velle et perficere» (3). Et sic mutavit Iesus Magdalenam de peccatrice in adoratricem; S. Matthaeum in telonio sedentem, in Apostolum se sequentem; Samaritanam in turpibus submersam, ad veram fidem conversam; Dimam latronem, in regni adeptorem; Paulum lupum rapientem, in doctrinas per omnes gentes dividendum. Et quod tunc fecit, frequens quotidie per gratiam suam operatur (4).

b) Inflammaré corda tepida: propter quod dicitur: «Deus tuus ignis consummens est» (5). Quod quidem fit dupliciter. Primo quia igne ardentissimae charitatis suae exurit quidquid imperfectum est in cordibus nostris, ut legitur Malachiae: «Ipse enim quasi ignis conflans... et sedebit conflans, et emundans argentum, et purgabit filios Levi, et colabit eos quasi aurum, et quasi argentum, et erunt Domino offerentes sacrificia in iustitia» (6). Secundo quia luce sua mentem illuminat: «Erit lumen Israel in igne» (7): qua luce divinitus in animam infusa, homo non solum cognoscit se suamque insufficientiam, sed perfectius videt amabilitatem Dei, et sacri Cordis Iesu inaestimabilem perfectionem; et praeterea ardore

(1) I^a-II^{ae}, q. VI, a. IV, ad 1^{um}.

(2) XXI, 1.

(3) Ad Philipp. II, 13.

(4) Vid. art. IV, quaest. CV, part. 1^{ae} Sum. Theol.

(5) Deut. IV, 24.

(6) III, 23.

(7) ISAI. X, 17.

suo accenditur cor: « In meditatione mea exardescet ignis » (1); quo ardore movetur voluntas ad obsequium ferventius Deo praestandum, et ad eum redamandum, qui prius dilexit nos, et tradidit semetipsum pro nobis. Ita inflammavit corda prius tepida S. Theresiae, S. Ignatii a Loyola, S. Francisci de Assisio, aliorumque.

c) Vincere catenis aureis corda amantia. Et quia, ubi clare cognoscatur Cor istud, fieri non potest quominus cognoscentes amantem amore rependant, et redament, hinc iste potens vincit electos suos catenis aureis; id est tam intime eos secum nequit, ut ad similitudinem D. Pauli, nolint aliud scire, nisi Christum, et hunc crucifixum. Ita S. Francisca Romana saepe cum oraret, maxime sumpto sanctissimae Eucharistiae sacramento, spiritu in Deum elevata ac coelestium contemplatione raptā immobilis permanebat (2). S. Paulus a Cruce sacrum faciens non poterat se a lacrymis temperare frequenti quoque extasi cum mira interdum corporis elevatione frui, vultuque superna luce radiante conspiciebatur. Ita Theresia quae aiebat « Domine aut pati aut mori ». Et S. Magdalena de Pazzis, quae dicebat « Domine pati, non mori ». De quibus omnibus Dominus dixit per Oseam: « In funiculis Adam traham eos, in vinculis charitatis » (4).

Consequentia. Ergo acclamandum; quem quidem clamorem quotidie ad Deum ferimus, cum orantes dicimus « adveniat regnum tuum! » (5) postulamus enim ut nomen Dei et Christi per hoc regnum glorificetur. Et sicut ore, ita corde debemus rogare ut adveniat primum regnum, id est, dominium Dei in omnes creaturas, de quo Psalter regius ait: « Regnum tuum regnum omnium saeculorum; et dominatio tua in omni generatione et generationem ». Secundum regnum

- (1) Psalm. XXXVIII, 4.
- (2) Die IX Martii.
- (3) XXVIII Aprilis.
- (4) XI, 4.
- (5) MATTH. VI, 10.


est regnum Dei mysticum, quo, per fidem et gratiam regnet in animabus fidelium et sanctorum. Tertium est regnum quod est in coelo, ubi et quo feliciter per gloriam regnat in beatis. Quartum regnum plenissimum et perfectissimum est quod, devicto et destructo prorsus diaboli regno, peccati, et mortis, Deus solus perfecte tam amicis suis, scilicet sanctis, quam inimicis, id est, impiis et reprobis dominabitur; quod fiet in resurrectione, et die iudicii, durabitque in omnen aeternitatem (1).

Affectus. « O Cor Iesu, cordium omnium dominator legitime, imo et unice! Tu corda nostra tuae illi tam iustae dominationi penitus subiice, ac iure tuo tota posside. Ingrata etiam atque rebellia clementer et potenter tibi servire compelle. Imperium illud tuum sanctissimum, aequissimum, suavissimum in ea constanter exerce. Fac, ut in rebus omnibus voluntati tuae subiecta, a te numquam ac nullatenus discrepent. Tu terrestres, quibus premuntur, cupiditates coelestibus tuis affectionibus reprime, expelle, restringe; nutantia confirma, egentia dita; ad res infimas prona retrahe, erige inclinata; dura emolli; immunda purifica; frigida igne illo, quo ardes, inflamma » (2).

Deprecatio. Deus, qui propter nimiam charitatem tuam nos Unigeniti tui membra et filios tuos efficiens, cor unum cum capite et patre nostro habere voluisti; praesta quaesumus, ut igne tui amoris et flamma charitatis Cordis amantissimi Iesu accensi, tuam in omnibus voluntatem corde magno adimpleamus, et quae recta sunt desiderantes, desiderata percipere mereamur (3).

- (1) Vide A LAPIDE in hunc locum.
- (2) Ex P. GALLIFET.
- (3) Ex P. EUDES.





CONCIO XVII.

THEMA: Congregamini, et venite, et accedite simul, qui salvati estis ex gentibus.

(ISAÍ. XLV, 20).

IDEA CONCIONIS

PROP. Cordi Iesu consociandum, quia centrum omnium cordium.

DIVISIO. Est centrum omnium: I. Creatione; II. Perfectione; III. Operatione.

PARS I. Est centrum omnium, creatione; quia genitum ut principium omnium: a) Quantum ad rerum creationem; b) Quantum ad rerum distinctionem; c) Quantum ad earum conservationem.

PARS II. Est centrum omnium perfectione, quia: a) Quidquid perfectionis invenitur in caeteris cordibus, summo gradu est in Corde Iesu; b) Quia quidquid perfectionis desideratur a caeteris cordibus, in Corde Iesu est, et ab Eo exhaustiunt.

PARS III. Est centrum operatione: nam a) Omnia circa Illud moventur; b) Omnia ab Eo participant.

Exordium. Coadunationem in unum, omnium salvandorum per Christum redemptorem, et aditum eorum in Cor suum, velut ad centrum praenuntians Isaias, aiebat: « Congregamini, et venite, et accedite simul, qui salvati estis ex omnibus gentibus ». Non enim ex solis Iudaeis, sed ex gentibus etiam venit ad gregem suum efformandum. « Et alias oves habeo, quae non sunt ex hoc ovili: et illas oportet me adducere; et vocem meam audient, et fiet unum ovile et unus pastor » (1). Quam quidem coadunationem Christus praenuntiavit per

(1) IOAN. X, 16.

mortem suam efficiendam esse: « Et ego, si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me ipsum » (1). Id est: « Cum ē terra in crucem sublatus fuero, omnia traham ad me ipsum, omnes praedestinos ad salutem, ex quibus nemo est periturus. Verbum enim trahere efficaciam et virtutem invictissimam significat. Aut certe omnia hominum genera, sive in linguis omnibus, sive in aetatibus omnibus, sive in gradibus bonorum omnibus, sive in artium licitarum et utilium professionibus omnibus, et quidquid aliud dici potest, secundum innumerabiles differentias quibus inter se, praeter sola peccata, omnes distant, ab excellentissimis usque ad humillimos, a rege usque ad mendicum, omnia, inquit, traham ad me ipsum, ut sim caput eorum, et illi membra mea » (2). Nos vero dicimus: ut ego, Cor Iesu sim Cor eorum; et illi, membra de meo Corde viventia. Et quia hac de causa Cor Iesu venerari tenemur ut centrum omnium cordium, sequentem stabiliō propositionem.

Propositio. *Cordi Iesu consociandum, quia est centrum omnium cordium.*

Cor physicum Christi est in medio pectore eius, et quasi in medio superioris corporis, sicut in nobis. Cor ergo physicum est centrum membrorum corporis quae ab eo accipiunt esse, perfectionem et operationem. Primo enim creatur cor; et hoc primum in corporis formatione perficitur; et cor est quod primum operatur: operatio enim vitalis primo est in corde; dein caetera membra formantur, perficiuntur, et postea operantur propter cor. Sic ergo ad similitudinem cordis physici, Cor Iesu est centrum omnium cordium.

Divisio. I. *Creatione*; II. *Perfectione*; III. *Operatione*.

(1) IOAN. XII, 32.

(2) AUG. Tract. 52 in Ioan.

PARS I. — CREATIONE.

Sive caetera corda physice considerentur, sive symbolice, uti centrum habent Cor Iesu, ratione creationis. Ad cuius evidentiam considerandum est, humanitatem Christi esse centrum totius creationis: (et consequenter Cor Eius quod est centrum corporis sui). Quidquid enim extra Deum est, est vel corpus vel spiritus: cor ergo materiale Christi sicut totum corpus ad mundum corporeum pertinet: cor vero metaphysicum, sive anima, est ad mundum spirituum pertinens. Quia vero caeteri omnes spiritus creati fuerunt ad exemplar animae Christi in tempore creandae, et corpora creata fuerunt iuxta exemplar corporis eius in saeculo assumendo, omnia corda in ipso et secundum ipsum condita sunt, ut dicit Apostolus (1): « In ipso condita sunt universa in coelis et in terra, visibilia et invisibilia, sive Throni, sive Dominationes, sive Principatus, sive Potestates: omnia per ipsum et in ipso creata sunt, et ipse est ante omnes, et omnia in ipso constant ».

Triplici modo D. Thomas (2) Christum dicit esse genitum ut principium omnis creaturae. Primo quantum ad rerum creationem. Secundo quantum ad earum distinctionem. Tertio quantum ad conservationem in esse.

a) Quantum ad rerum creationem Christus est centrum omnium, quia est principium omnis creaturae « non formaliter quasi haec sit ratio generandi, sed eminenter et veluti consecutive; quia ex quo est Verbum Dei, sequitur ut etiam cuiusvis creaturae principium sit » (3). Nam « Deus omnia in sua sapientia dicitur facere, quia sapientia Dei se habet ad res creatas sicut ars aedificatoria ad domum factam. Haec autem forma et sapientia est Verbum. Et ideo omnia in ipso condita sunt, sicut in quodam exemplari, quia in Verbo suo

(1) Ad Coloss. I, 16 et 17.

(2) In epist. cit. loc. cit.

(3) Nota marg. Ad Expos. D. THOMAE.

aeterno creavit omnia ut fierent ». « Et hoc ad similitudinem artificis facientis artificium, ex hoc quod facit illud participare formam apud se conceptam, quasi involvens eam exteriori materia; sicut si dicatur quod artifex facit domum per formam rei, quam habet apud se conceptam » (1). Unde Apostolus dicit: « In ipso condita sunt universa », sicut D. Ioannes: « Omnia per ipsum facta sunt ».

b) Deinde est centrum omnium quantum ad rerum distinctionem; propter quod sequitur: « in coelis et in terra, visibilia et invisibilia ». Ideo per ipsum et in ipso creata sunt, corpora coelestia incorruptibilia, et corpora terrena corruptibilia; « in coelis et in terra »; contra Manichaeos asserentes haec a malo Deo, illa vero a bono Deo esse, nempe a Patre Christi. Et haec est distinctio secundum partes naturae corporeae.

Deinde etiam secundum distinctionem naturae creaturarum, quarum aliae spiritus, aliae corpora sunt. Et omnes, tam angeli quam corpora, per ipsum et in ipso creata sunt, contra Platonicos dicentes Deum per se et immediate solum Angelos, et per Angelos naturas corporeas efformasse. Unde Apostolus: « In ipso condita sunt universa visibilia et invisibilia ». Tandem est alia distinctio, quae est secundum ordinem et gradum in creaturis invisibilibus. Et secundum hoc est etiam Christus centrum omnium per creationem; nam, ut ait Apostolus: « Sive Throni, sive Dominationes, sive Principatus, sive Potestates, omnia per ipsum et in ipso creata sunt », quasi diceret: non dependent ab aliis principiis ordinatis; sed ab ipso uno, solo, vero Deo (2); et hoc contra Platonicos etiam, qui dicebant in rebus diversas esse perfectiones; et quamlibet attribuebant uni principio; et secundum ordines earum perfectionum ponebant ordines principiorum; sicut ponebant primum ens, a quo participant omnia esse; et aliud principium ab isto, scilicet primum intellectum, a quo omnia participant

(1) Vid. THOM. loc. cit.

(2) D. THOM. loc. cit.

intelligere; et aliud principium vitam, a quo omnia participant vivere » (1).

c) Tertio; Cor Iesu est centrum omnium rerum quantum ad conservationem earum. Ipse est enim splendor gloriae et figura substantiae eius, « portansque omnia verbo virtutis suae » (2); id est imperio suo, secundum Glossam; id est seipso, qui est Verbum virtuosum ut exponit Angelicus. Unde D. Paulus: « Et omnia in ipso constant », « id est conservantur. Sic enim se habet Deus ad res, sicut Sol ad Lunam, quo recedente deficit lumen Lunae. Et si Deus subtraheret suam virtutem a nobis, in momento deficerent omnia » (3).

PARS II. — PERFECTIONE.

Deinde: Cor Iesu est centrum omnium cordium perfectione. Et hoc duplici via demonstrari potest. Prima: quia quidquid perfectionis invenitur in caeteris cordibus, summo gradu est in Corde Iesu. Secunda: quia quidquid perfectionis desideratur a caeteris cordibus, in Corde Iesu est, et ab eo haurire possunt.

a) Centrum est medium a quo aliqua aequaliter distant. In his vero duplex relatio attendi potest; una, qua a centro procedant, sicut a Sole procedit omnis vis illuminativa, et calefactiva, et ignea in naturam; unde Sol est centrum totius lucis. Et in hoc sensu centrum vocatur principium, quasi dicatur solem esse principium, seu causam totius lucis physicae. Altera ratio inquantum ea, quae centrum circumstant, ad illud tendunt, sicut corpora gravia vi gravitatis feruntur ad ima usque ad centrum gravitatis. Et tunc centrum dicitur finis rei gravis, attrahens ad se omnia corpora gravia, in quo reposita quiescunt. Similiter Cor Iesu est centrum omnium cordium, quia est medium inter omnia, quae, in quantum creaturae

(1) Eod. loc.

(2) Hebr. I, 3.

(3) Ad Hebr. I, 3; D. THOM. Ad Coloss. in hunc locum.

sunt, aequaliter distant ab eo, distant enim in infinitum. A quo medio recipiunt quidquid perfectum habent, est enim in eo summo modo, velut in causa. Cor perficitur amando; sed quia nihil volitum quin praecognitum, perficitur et primo cognoscendo. Cor ergo aliquod in tantum erit perfectius, in quantum per cognitionem Deum perfectius attingat, et per meditationem, eum diligat, iuxta illud: « In meditatione mea exardescet ignis » (1). Per studium, in scientia sanctorum proficit: et per amorem, divinitati se vovit, mandata et consilia adimplendo; charitas enim est vinculum perfectionis (2), et mater, et magistra, et vita caeterarum virtutum, unde « qui non diligit manet in morte » (3).

Nunc autem tam cognitio divinorum, quam charitas Dei, ita sunt in Corde Iesu, quod est fornax ardens charitatis (ut supra dictum est conc. IX); et in eo sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae (ut infra dicemus conc. XVIII et XIX). Unde sequitur quod quidquid perfectionis est in caeteris cordibus, summo gradu sit in corde Iesu.

b) Cor viatoris numquam plene quiescit. Sicut corpora gravia ad centrum suum, ita spiritus feruntur ad Deum, qui est centrum et finis eorum. Qui angor, in similitudinem sitis torquentis, sic exponitur a Propheta: « Sitivit anima mea ad Deum fortem vivum: quando veniam et apparebo ante faciem Dei? » (4). « Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus » (5). Ratio est quia: « non habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus » (6). Et exules a patria « quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena? » (7). Vere cantamus, suspirando, canticum clamoris, lacrymarum, et desiderii, quia.

(1) Psalm. XXXVIII, 4.

(2) Coloss. III, 14.

(3) I IOAN. III, 14.

(4) XLI, 3.

(5) XLI, 2.

(6) Hebr. XIII, 14.

(7) Psalm. CXXXVI, 4.

ut ait D. Augustinus: « Fecisti nos Domine ad te; et inquietum est cor nostrum donec requiescat in te ». In ergo quomodo Cor Iesu est centrum omnium cordium; in eo enim invenitur quidquid desiderari potest. Quia vero conditi sumus ut perenniter in veritate aeterna firmemur, et bonitatem infinitam gustemus, et pulchritudine increata fruamur; omne quod in infirmitate positi appetimus, est vel sub specie recti, vel boni, vel delectabilis. Quaero ergo: quid verius Corde Iesu, qui, ut Deus, est ipsa increata veritas? Quid melius eo, quod est appetibilitate plenum? (ut dicimus supra conc. XII). Quid pulchrius illo, qui est splendor Patris, et figura substantiae eius? Mirum non est quod sancti sicut D. Thomas nullam aliam mercedem pro laboribus appeterent, nisi solum Iesum; vel pati et contemni sicut S. Ioannes a Cruce: vel aut pati aut mori sicut S. Theresia; vel non mori sed pati sicut S. Magdalena de Pazzis. Non est mirum quod pompas saeculares aspernarentur et noctes insomnes ducerent, et a patria exulare sustinerent, et in eremum secederent. Non est mirum quod nullam aliam scientiam discere vellent nisi solum Iesum: et nihil aliud appeterent nisi eum, in quo sunt omnia. « Deus meus et omnia ».

PARS III. — OPERATIONE.

Est tandem centrum omnium cordium operatione, qua animus ad divina se extollit: quod non fit nisi mediante gratia, quae advenit omnibus per Christum, de cuius plenitudine omnes accipimus.

Et haec operatio, qua omnia corda habent pro centro Cor Iesu, sicut Sol est centrum totius creationis visibilis, dupliciter est consideranda: Primo ex parte cordium, quae circa Cor Iesu moventur. Secundo ex parte Cordis Iesu, iuxta quod caetera corda moventur, et ab eo accipiunt virtutem operativam.

a) Primo: Cor Iesu est centrum omnium cordium operatione, quia omnia circa illud moventur, sicut circum Solem

in firmamenti loco manentem planetaria astra vias suas sequuntur. Unde per Isaiam: « Mihi curvabitur omne genu » (1). Et Apost. Paulus: « Omnia subiecta sunt ei » (2), vel quia Pater subiecit ei omnia, inquantum est homo, secundum Psalmistam: « Omnia subiecisti sub pedibus eius » (3), vel quia ipse Filius, ut Deus, subiecit sibi omnia, et sic potest omnia, quae potest et Deus Pater. Et in hoc sensu potest dici de Corde, quod scribit Apostolus: « Deus est qui operatur in vobis velle et perficere pro bona voluntate » (4). Quibus verbis, iuxta D. Thomam, Apostolus excludit quatuor falsas existimationes: unam hominum credentium quod homo per liberum arbitrium possit salvari absque divino auxilio. Contra hoc, dicit: « Deus est qui operatur »; « Sine me nihil potestis facere » (5). Alii omnino negant liberum arbitrium, dicentes quod homo necessitatur a fato, vel a providentia. Et hoc excludit cum dicit: « in vobis »; quia interius per instinctum movet voluntatem ad bene operandum. Tertia Pelagianorum, sicut prima dicentium, electiones esse a nobis, sed prosecutiones operum in Deo; quia velle est a nobis, sed perficere a Deo. Sed hoc excludit dicens: « et velle et perficere ». Quarta quod Deus facit omne bonum in nobis, et hoc per merita nostra. Hoc excludit cum dicit: « pro bona voluntate », scilicet sua, non pro meritis nostris; quia ante gratiam Dei nihil boni meriti est in nobis (6). Ideo sequitur quod quisquis in viam Dei progreditur, circa Cor Iesu movetur: motus enim est actio vitae datae nobis per Christum: « In ipso vita erat » (7).

b) Deinde, Cor Iesu est centrum omnium cordium operatione, ex parte Ipsius a quo caetera corda accipiunt poten-

(1) XLV, 24.

(2) I ad Cor. XV, 27.

(3) Psalm. VIII, 8.

(4) Ad Philipp. II, 13.

(5) IOAN. XV, 5.

(6) Expos. loc. cit.

(7) IOAN. I, IV.

tiam operandi, per quam circa illud moventur: « Amen, amen dico vobis, qui credit in me opera, quae ego facio, et ipse faciet, et maiora horum faciet » (1).

Unde D. Paulus: « Divisiones operationum sunt; idem vero Deus, qui operatur omnia in omnibus » (2).

Ad rem D. Thomas: « In his, quae per gratiam Spiritus Sancti conferuntur, tria oportet considerare. Primo quidem facultatem hominum ad operandum. Secundo auctoritatem. Tertio executionem utriusque. Facultas quidem habetur per donum gratiae; puta per prophetiam, vel potestatem faciendi miracula, aut aliquid huiusmodi. Auctoritas autem habetur per aliquod ministerium; puta, per Apostolatam, vel aliquid huiusmodi. Executio autem pertinet ad operationem ». Haec autem a Corde Iesu, et per illud omnia corda participant.

Et primo facultas quae habetur per donum gratiae. Nam « sicut in corpore naturali, caput habet omnes sensus, non autem alia membra, ita in Ecclesia, solus Christus habet omnes gratias, quae in aliis membris dividuntur, quod significatur Genesi, ubi dicitur quod fluvius egrediebatur ad irrigandum paradisum, qui inde dividitur in quatuor capita (3). Et quamvis dona gratiarum sint diversa, quae a diversis habentur, non tamen procedunt a diversis auctoribus. Ideo Apostolus: « Divisiones gratiarum sunt, idem autem Spiritus »; id est, Spiritus Sanctus qui est auctor omnium gratiarum » (4). Nunc autem Spiritus Sanctus est in nos effusus per Christum: « Si autem abiero, mittam eum ad vos » (5). Unde et omnes gratiae et facultas operandi, in nos per Christum pervenit.

Deinde auctoritas, quae procedit ex diversis ministeriis, etiam est a Christo: « Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem prophetas, alios vero Evangelistas,

(1) IOAN. XIV, 12.

(2) I ad Cor. XII, 6.

(3) C. II, 10.

(4) Exp. D. THOM. in I ad Cor. XII, 4.

(5) IOAN. XVI, 7.

alios autem pastores, et doctores, ad consummationem sanctorum in opus ministerii, in aedificationem corporis Christi » (1). Nam ad gubernationem Ecclesiae requiruntur diversa ministeria et officia, unde praelati ministri dicuntur: « Sic nos existimet homo, ut ministros Christi ». Et quia haec diversa ministeria, quae etiam spectant ad decorem et perfectionem Ecclesiae, sunt a Christo, dicente Apostolo: « Et divisiones ministrationum sunt, idem autem Dominus » (2), etiam auctoritas, quae ea ministeria consequitur, est a Christo, et vice ipsius exercetur.

Tandem, executio facultatis, quae habetur per gratiam, et auctoritatis quae habetur per ministerium aliquod, est etiam a Christo. Ideo D. Paulus: « Divisiones operationum sunt, idem vero Deus qui operatur omnia in omnibus » (3). Ad rem D. Thomas: « Deinde ponit (Apostolus) distinctionem operationum, dicens: « Et divisiones operationum sunt » quibus aliquis in seipso bonum operatur, sicut per ministrationes ad proximum. Quae tamen procedunt ab uno principio: unde subdit: « Idem vero Deus, qui operatur omnia », sicut prima causa, causans omnes operationes. Ne tamen aliae causae videantur esse superfluae, subdit: « in omnibus »; quia in causis secundariis prima causa operatur: (4) « Omnia opera nostra operatus est in nobis » (5).

Consequentia. Ergo Cordi Iesu hic consociari debemus, ut in aeternum simus consocii gloriae ipsius. Et attendite; non dico Cordi Iesu sociandum, nam hoc ad hominem individuum spectat, qui per charitatem iam est socius et amicus Iesu; sed consociandum; id est collective, omnes simul ad Cor Iesu properemus; quod fit nomen dando associationi Apostolatus orationis, vel alii cuicumque sodalitati, sub ti-

(1) Ephes. IV, 11, 12.

(2) I ad Cor. XII, 5.

(3) Ib. v. 6.

(4) ISAI. XXVI, 12.

(5) Expos. D. THOM. in Paul. loc. cit.

tulo sacratissimi Cordis, ut gloria eius magisque augeatur: « Ubicumque fuerit corpus, illic congregabuntur et aquilae » (1). Adeamus ergo ad illud, volatu aquilae spiritalis, id est non vanitate, vel humano quocumque respectu ducti, sed reparationis spiritu compulsi, laudantes eum in tympano et choro.

Affectus. O Cor Iesu! « Bonum Cor! bonum cor da mihi et mortalibus omnibus. Ecce quam misere et quam procul a te aberrant corda nostra! Eia; effunde super illa copiosam gratiam tuam, et ea iustae dominationi tuae penitus subiice, ac iure tuo tota posside; ingrata etiam atque rebellia clementer et potenter tibi servire compelle. Hoc imperium tuum sanctissimum et suavissimum constanter in ea exerce, ut ab omnibus profanis amoribus, et carnalibus desideriiis purgata, virtutibus autem tuis exornata, te unice colant et in te omnium desideriorum et amorum centro hic et in aeternum quiescant » (2).


Deprecatio. Cordibus nostris, omnipotens Deus, spiritum et unctionem dilectissimi Filii tui Iesu benignus infunde; ut nos uno spiritu et uno corde cum ipso unam eandemque hostiam immolantes, tibi etiam nosmetipsos munus aeternum offerre mereamur (3).

(1) MATH. XXIV, 28.

(2) NILLES, *Preces sodalitiae. Petitio.*

(3) Ex Missa « Venite ».





CONCIO XVIII.

THEMA: In Christo Iesu sunt omnes
thesauri sapientiae... absconditi.

(Ad Coloss. II, 3).

IDEA CONCIONIS

PROP. Cor Iesu consulendum, quia in Eo sunt omnes thesauri sapientiae absconditi.

DIVISIO. Mirabimur hos thesauros: I. Ex parte Cordis Iesu; II. Ex parte nostri.

PARS I. Ex parte Cordis Iesu, haec sapientia est alta, plena et perfecta. A) Est alta; nam a) Cognoscit Se; b) Cognoscit omnia per Se; c) Cognoscit certe. B) Est plena; nam a) Noscit omnia; b) Noscit statim; c) Omnibus hanc cognitionem communicat. C) Est perfecta; nam a) Habet plenam sapientiam de divinis; b) Et omnimodam scientiam de creatis.

PARS II. Ex parte nostri haec sapientia est thesaurus absconditus: A) Ob debilitatem intellectus nostri. B) Ob duplex impedimentum interpositum, scilicet: a) Ob velamen creaturarum; b) Ob velamen carnis qua Verbum apparet nobis velatum.

Exordium. Sapientia significat quidquid esse potest obiectum, sive terminus intellectus cognoscentis; at complexus cognitionum harum sapientia est. Hinc apud graecos *Sophi* vocabantur, qui in his versabantur, scilicet, sapientes. Superbam hanc vocem Socrates emendavit, voluitque philosophos dici qui sapientiam colerent; Philosophiam vero, amorem, seu studium scientiarum huiusmodi, non artium. Vocabulum autem est ab hebraeo *Sophet*, unde *Sophetim* sapientes, et *Oppidum*, in quo praecepta sapientiae tradebantur = *Cariath-Sopher*. *Sophi* apud Graecos, et *Sophia* inde fuerunt.

In sacris vero litteris plura, et interdum diversa, sonat. Et primo: pro operibus Dei Creatoris: « incerta et occulta sapientiae tuae manifestasti mihi » (1). Secundo: pro peritia in aliqua arte: « Fecit ergo Beseleel et Ooliab et omnis vir sapiens, quibus dedit Dominus sapientiam et intellectum, ut scirent fabre operari » (2). Tertio: vitae rectam rationem significat: « facies ergo iuxta sapientiam tuam » (3). Quarto: experientiam in negotiis: « In antiquis est sapientia et in multo tempore prudentia » (4). Quinto: complexum omnium virtutum: « Sapientiam sanctorum narrent populi » (5). Sexto: dicitur etiam sapientia carnis, prudentia mundi: « perdam sapientiam sapientium » (6). Septimo: Sapientia aeterna est nomen Filii Dei: « Propterea et sapientia Dei dixit: mittam ad illos prophetas et apostolos » (7). Tandem sumitur pro cognitione finis, ad quem homo tendit, et mediorum ad illum consequendum: « Timor Domini principium sapientiae » (8).

His duabus ultimis significationibus accipiendum est vocabulum SAPIENTIA, cum de Corde Iesu dicimus « Cor Iesu, in quo sunt omnes thesauri sapientiae absconditi ». Est enim sapientia aeterna amictu carnis velata; et est veluti receptaculum cognitionis rerum divinarum, quas verbo et exemplo hominibus praebuit. Quia ergo sapientia est donum altissimum, dicente Salomone: « melior est sapientia cunctis preciosis » (9), haec manet statuta

Propositio. *Cor Iesu consulendum, quia in Eo sunt omnes thesauri sapientiae absconditi.*

Sapientia est cognitio divinarum; quae quidem est in Deo

(1) Psalm. L, 8.

(2) Exod. XXXVI, 1.

(3) III Reg. II, 6.

(4) Iob. XII, 12.

(5) Eccli. XLIV, 15.

(6) I ad Corint. I, 19.

(7) Luc. XI, 49.

(8) Prov. I, 7.

(9) Prov. VIII, 11.

sicuti in thesauro; nam thesaurus est coacervatio divitiarum congregatarum seu repositarum in loculo, sive in aerario, a quo si in partes divisae huc illuc, effusae fuerint, nec divitiae illae, nec locus, in quo fuerunt, amplius dicentur thesaurus.

Et secundum hoc, in Deo sunt omnes thesauri sapientiae, quia huiusmodi rationes uniuntur in uno, scilicet sapientia divina. Nam omne quod sciri potest de Deo, pertinens ad sapientiam, totum Deus adaequate in se cognoscit. Nunc autem omnes isti thesauri sapientiae divinae in Christo sunt; nam quidquid in sapientia Dei est, est in uno eius Verbo; quia, uno simplici actu intellectus, cognoscit omnia; nam in eo non est scientia in potentia, vel in habitu. Et ideo in isto Verbo, idest Christo, sunt omnes thesauri sapientiae infinitae. Et sunt absconditi nobis; perfecte enim eos videre non possumus; nam « videmus nunc per speculum et in aenigmate » (1). Miramur ergo hos thesauros sapientiae SS. Cordis.

Divisio. I. *Ex parte Cordis Iesu;* II. *Ex parte nostri.*

PARS I. — EX PARTE CORDIS IESU.

Apostolus Paulus, quasi ad haec investiganda se insufficientem recognoscens, exclamat divinam excellentiam admirans: « O altitudo divitiarum sapientiae et scientiae Dei! quam incomprehensibilia sunt iudicia eius, et investigabiles viae eius! » (2). Quod exponens D. Thomas dicit (3): « Apostolum excellentiam divinae sapientiae admirari, quantum ad tria: quantum ad altitudinem; quantum ad excellentiam; quantum ad perfectionem ».

A) Quantum ad altitudinem. « Alta profunditas quis inveniet eam? » (4). « Solium gloriae altitudinis a principio » (5).

(1) I ad Corint. XIII, 12.

(2) Ad Rom. XI, 33.

(3) In hunc loc.

(4) Eccles. VII, 25.

(5) IEREM. XVII, 12.

« Nomine altitudinis videtur hic S. Thomas intelligere sublimitatem, cum verba Ieremiae et Ecclesiastes, quae in exemplum affert, sublimitatem significant. Quasi sit sensus: O sublimitas cognitionis Dei! Vox tamen graeca significat profunditatem. Nam et profundum usurpamus pro eo, quod volumus a scientia penitiori commendare. Sed quia profunditas altitudinis mensura est, et pro una mensura communiter accipi ambae solent, indeque propter profunditatem puteus altus, propter altitudinem coelum profundum appellatur, altitudo ponitur loco profunditatis (et utramque, quasi in summa, significat). Et sic intelligitur ab Augustino, cum hunc locum aptat illis verbis psalmi XXXV: « iudicia tua abyssus multa » (1).

Quae quidem altitudo, seu sublimitas et simul profunditas sapientiae divinae commendatur:

a) Uno modo, quantum ad rem cognitam; in quantum, scilicet, Deus seipsum perfecte cognoscit, ut enim scribit D. Paulus: « quae sunt Dei, nemo novit nisi Spiritus Dei » (2). « Nam Deus ita se perfecte cognoscit, sicut perfecte cognoscibilis est; non enim cognoscitur aliquid secundum quod est in potentia, sed secundum quod est actu. Tanta autem est virtus Dei in cognoscendo, quanta est actualitas eius in existendo; quia per hoc quod actus est, et ab omni materia et potentia separatus, Deus cognoscitivus est. Unde manifestum est, quod tantum seipsum cognoscit, quantum sibi cognoscibilis est (id est, ad amussim quantus est); et propter hoc se ipsum perfecte comprehendit » (3).

b) Alio modo, quoad modum cognoscendi, in quantum, scilicet, omnia per seipsum cognoscit. Videt enim res, tum praeteritas, tum praesentes, tum futuras, non solum prout sunt, vel erunt in seipsis, sed in sua essentia, tamquam in specie intelligibili, in qua repraesentatur, sicut in speculo, earum realis existentia.

c) Tertio, quantum ad certitudinem cognitionis, quae

(1) Nota in D. THOM. loc. cit.

(2) I ad Corint. II, 11.

(3) Summ. Theol. Part. I, q. XIV, a. 3.

falli nequit: « apud Deum non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio » (1). Nam quia intelligere divinum est suum esse, nequit scientia eius variari, sive falli, sicut eius essentia nequit immutari. Vere ergo est alta sapientia divina Cordis Iesu, qua cognoscit se, cognoscit omnia in se, et certe cognoscit.

B) Deinde admirari debemus excellentiam huius divinae sapientiae, quantum ad eius plenitudinem; quae quidem, etiam in tribus attenditur:

a) Uno modo in multitudine cognitorum, quia scilicet omnia novit: « Omnia autem nuda sunt et aperta oculis eius » (2). Nam certo Deus cognoscit omnia, ac etiam occulta cordis scrutatur, et quidem singillatim, prout sunt in seipsis; nam ea omnia sunt cognoscibilia; atque inde est quod cognoscantur a Deo cuius scientia est infinita. Ideo legitur: « Oculi Domini multo plus lucidiores sunt super solem, circumspicientes omnes vias hominum et profundum abyssi et hominum corda intuentes in absconditas partes » (3).

b) Secundo: quoad facilitatem cognoscendi, quia scilicet omnia intuetur sine inquisitione et difficultate, ut enim ait D. Augustinus: « Deus non particulatim, vel singillatim omnia videt, velut alternante conceptu hinc, illuc, inde huc: sed omnia videt simul » (4). Ratio est quia, discursus defectum arguit, qui concipi nequit in Deo, uno ac simplici actu, omnia simul penetrante; videt enim omnes effectus rerum in seipso, tamquam in causa; atque inde fit quod cognitio eius non sit discursiva.

c) Tertio: attendi debet plenitudo sapientiae Dei et SS. Cordis Iesu, quantum ad copiam cognitionis; quia eam omnibus communicat affluenter: « Omnis sapientia a Domino Deo est. Et effudit illam super omnia opera sua et

(1) IACOB. I, 17.

(2) Ad Hebr. IV, 13.

(3) Eccles. XXIII, 28.

(4) Libro V, De Trinit. cap. XIV.

super omnem carnem, secundum datum suum, et prae-buit illam diligentibus se » (1).

C) Tandem admirabilis valde est divina sapientia Cordis Iesu, quantum ad perfectionem; habet enim et sapientiam de divinis et scientiam de creatis.

a) Habet sapientiam plenam de divinis: « Ego autem novi Eum (idest Patrem). Et si dixero quia non scio eum, ero similis vobis mendax. Sed scio eum et sermonem eius servo » (2). Est enim ipsa sapientia increata, qua Pater cognoscit se; seu unicum Verbum et conceptus eius. Et etiam, ut homo, per scientiam visionis, noscit Deum perfectius prae caeteris, ut dicitur, concione XIX.

b) Et habet scientiam de creatis, quia « attingit a fine usque ad finem fortiter » (3). « Pertingens usque ad divisionem animae et spiritus; compagum quoque et medullarum; et discretor cogitationum et intentionum cordis; et non est ulla creatura invisibilis in conspectu eius » (4). Unde legitur: « cognovit enim Dominus omnem scientiam » (5).

PARS II. — EX PARTE NOSTRI.

Deinde Cordis Iesu thesaurum sapientiae admirari debemus, in quantum est absconditum nobis. Dupliciter accedit, quod aliquid nobis abscondatur, seu non pateat. Primo propter debilitatem intellectus, illud capere non valentis, sicut ineptis ad studium scientiarum contingit. Vel, secundo, gratia impedimenti oppositi, ut accedit ignorantia laborantibus, sed magna sagacitate praeditis; sicut quis, ait D. Thomas, non videt candelam quia caecus est, vel quia velata est. Similiter in Corde Iesu sunt omnes thesauri sapientiae, sed absconditi nobis:

(1) *Eccli.* I, 1 et 10.

(2) *IOANN.* VIII, 55.

(3) *Sapient.* VIII 1.

(4) *Ad Hebr.* IV, 12.

(5) *Eccles.* XLII, 19.

A) Primo: quia non habemus limpidos oculos, sed lippos. Et revera oculi mentis nostrae nequeunt hanc divinam sapientiam attingere, prout est in se: « Non poteris videre faciem meam, non enim videbit me homo et vivet » (1), respondit Dominus Moysi, postulanti ut suam ipsi gloriam ostenderet. Unde Apostolus: « quis enim cognovit sensum Domini? aut quis consiliarius eius fuit? » (2). Ratio est quia omnis cognitio est secundum naturam cognoscentis; nam cognitum est in cognoscente secundum modum cognoscentis. Cum autem modus essendi sapientiae divinae excedat modum nostrae naturae, est enim ipsum esse per se subsistens, et nobis est connaturale cognoscere naturas, quae non habent esse, nisi in materia individuali, secundum quod abstrahuntur ab ea per considerationem intellectus, sequitur quod nullus homo potest istam sapientiam divinam cognoscere, propter debilitatem intellectus capientis; et in hoc sensu haec sapientia dicitur thesaurus, quia est quid absconditum nobis.

B) Secundo est thesaurus absconditus, ob impedimentum impediens cognitionem huius sapientiae; quod duplex est ante oculos intellectus nostri interpositum:

a) Primum est impedimentum creaturarum, quibus hic et nunc Deum attingimus. Unde legitur (3): « Quis enim hominum poterit scire consilium Dei? Aut quis poterit cogitare quid velit Deus? Cogitationes enim mortalium timidae et incertae providentiae nostrae. Corpus enim quod corrumpitur, aggravat animam, et terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem ». Cognitio autem, quam nunc per creaturas habemus, est imperfecta: inde Apostolus: « videmus nunc per speculum et in aenigmate » (4). Et hoc triplici ratione iuxta D. Thomam. Prima quia per speciem creatam, non potest essentia divina videri, quia, per similitudines inferioris ordinis rerum, nullo modo superiora possunt cognosci.

(1) *Exodi*, XXXIII, 20.

(2) *Ad Rom.* XI, 34.

(3) *Sapient.* IX, 13, 14, 15.

(4) *I ad Corinth.* XIII, 12.

Ergo nec sapientia potest capi sicuti est, quae est unum cum essentia. Secunda, quia Deus est suum esse quod nulli formae creatae competere potest; sicut autem est suum esse, est sua sapientia. Tertia, quia sapientia divina sicut sua essentia est quid incircumscriptum (1).

b) Secundum impedimentum est velamen carnis; quia scilicet hic Deus venit ad nos, carne involutus: « et Verbum caro factum est »; et quamvis aliquid sic cognoscamus de Deo, non tamen totum. Unde Augustinus: « Ipsa nativitate collyrium fecit, unde tergerentur oculi cordis nostri et possemus videre maiestatem eius per eius humilitatem. Ideo Verbum caro factum est, et habitavit in nobis. Sanavit oculos nostros; et vidimus gloriam eius. Gloriam eius nemo posset videre, nisi carnis humilitate sanaretur. Unde non poteramus videre? Irruerat homini, quasi pulvis in oculum, irruerat terra, sauciaverat oculum, videre non poterat lucem; oculus iste sauciatus inungitur; terra sauciatus erat, et terra illuc mittitur ut sanetur. Omnia enim collyria et medicamenta, nihil sunt nisi de terra. De pulvere caecatus es; de pulvere sanaris. Ergo caro te caecaverat, caro te sanat. Carnalis enim anima facta erat, consentiendo affectibus carnalibus; inde fuerat oculus cordis caecatus. Verbum caro factum est. Medicus iste tibi fecit collyrium. Et quoniam sic venit, ut de carne vitia carnis extingueret, et morte occideret mortem, ideo factum est in te, ut quoniam Verbum caro factum est, tu possis dicere: et vidimus gloriam eius. Qualem gloriam? Qualis factus est Filius hominis? Illa humilitas ipsius est, non gloria. Sed quo perducta est acies hominis curata per carnem? Vidimus, inquit, gloriam eius, gloriam quasi Unigeniti a Patre, plenum gratiae et veritatis » (2).

Consequentia. Ergo Cor Iesu consulendum. Nam nemo novit Patrem nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare. Omnia

(1) *Summ. Theol.* Part. I, q. XII, a. 2.

(2) *Tract. II in Ioan.*

tradita sunt Christo; potestas revelandi mysteria, salutis et gratiae thesauros dispensandi; nam utpote plenus gratiae et veritatis, de plenitudine eius nos accipimus. Hoc fecit, Apostolis Spiritum Sanctum largiendo: « Paracletus, quem ego mittam vobis, ille vos docebit omnia ». Unde Apostolus: « Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunda Dei » (1). Nam sicut ea, quae sunt hominis nullus hominum scit nisi spiritus hominis, qui in ipso est, « ita et quae Dei sunt, nemo cognovit nisi spiritus Dei » (2). Hoc faciet et nobis si ad Eum velut magistrum et doctorem accedamus, ut dubia nostra dissolvat, et tuto per vias ab ipso indicatas ad vitam procedamus.

Affectus. « Quis hominum poterit scire consilium Dei? aut quis poterit cogitare quid velit Deus? Cogitationes enim mortalium timidae, et incertae providentiae nostrae. Corpus enim, quod corrumpitur, aggravat animam, et terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem. Et difficile aestimamus quae in terra sunt et quae in prospectu sunt invenimus cum labore. Quae autem in coelo sunt quis investigabit? Sensum autem tuum quis sciet, nisi tu dederis sapientiam et misseris Spiritum Sanctum tuum de Altissimis, et sic rectae sint semitae eorum qui sunt in terris, et quae tibi placent didicerint homines? Nam per sapientiam sanati sunt quicumque plaquerunt tibi, Domine, a principio » (3).


Deprecatio. Deus qui omnes thesauros sapientiae et scientiae atque omnium gratiarum tuarum plenitudinem posuisti in Corde Filii tui, ut ex ipso, quasi ex fonte divino, in omnes sanctos, angelos et homines abundantes effluerent; concede quaesumus sic Cordis eiusdem illustrari splendoribus, ut eodem spiritu repleti novum tibi cantemus canticum et intus renovati tibi similes esse mereamur (4).

(1) *I ad Corinth.* II, 10.

(2) *Eod. loc.* v, 11.

(3) *Sapient.* IX a vers. 13 ad 19.

(4) *Ex breviar. gallicano.*



CONCIO XIX.

THEMA: Et vocabitur nomen eius Consiliarius.

(Isai. IX, 6).

IDEA CONCIONIS

PROP. Cor Iesu perlegendum, quia in eo sunt omnes thesauri scientiae.

DIVISIO. In eo sunt omnes thesauri scientiae: I. Beatae; II. Infusae; III. Et acquisitae.

PARS I. In Corde Iesu sunt omnes thesauri scientiae beatae, quia: a) Est medium, quo nos beatificamur; b) Quia unitum Verbo personaliter; c) Quia omnia in Verbo videt.

PARS II. In Eo sunt omnes thesauri scientiae infusae, quia: a) Habuit plenam scientiam infusam; b) Quia per eam cognovit omnia, naturalia et supernaturalia.

PARS III. In Corde Iesu sunt omnes thesauri scientiae acquisitae, quia: a) Fuit in eo plena scientia per se acquisibilis; b) Quia per eam cognovit omnia, quae sciri possunt per actionem intellectus agentis.

Exordium. Tantopere placuit Domino, quod Salomon non postulasset dies multos, nec divitias, nec animas inimicorum suorum, sed sapientiam, ut posset iudicare et discernere inter bonum et malum, ut diceret ei: « Ecce feci tibi secundum sermones tuos et dedi tibi cor sapiens et intelligens in tantum, ut nullus ante te similis tui fuerit, nec post te surrecturus sit » (1). De humana sapientia loquutus est Dominus, quia revera Salomon, « erat sapientior cunctis hominibus » (2). Sed verba illa Domini, Christum et Cor Christi

(1) III Reg. III, 12.

(2) III Reg. IV, 30.

non possunt attingere, quia fecit Deus Salomoni secundum sermones Salomonis, petentis quae Regem humanum decent, non quae Verbum incarnatum decuissent, cuius mysterium nescio utrum noverit Salomon vel ignoraret, nos Deo revelante cognoscimus. Et ideo Iesus Christus Cordi SS^{mo} suo sapientiam vindicans maximam, Deo parem, ita nos docet Evangelicis verbis: « Regina Austri surget in iudicio cum generatione ista et condemnabit eam; quia venit a finibus terrae audire sapientiam Salomonis. Et ecce plus quam Salomon hic » (1). Quasi Christus diceret: Regina Austri, mulier ethnica, potentissima, Regni curis distracta, venit a longinquo ut audiret sapientiam Salomonis, hominis mortalis. Sed ecce plus quam Salomon, Ego. Christus enim est Dei sapientia, in quo sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae absconditi. In Christo, attendite, thesauri omnes; in Salomone vix pars unius thesauri fuit.

Omnes aquae in Oceano, flumina, fontes, pluviae, glaces; in exiguo conchylio vix gutta maris habetur. In Christo habes Oceanum; in Salomone conchylium. Ecce quantum inter se distant. Illa ab exordio orbis terrarum; haec vix ad momentum, et cito arescet, undantibus illis et aestuantibus fluctu sempiterno. Et ad nos venit Christus, quin longum iter suscipere necesse sit, ut audiamus, discamus et admiremur Sapientia ergo Salomonis, quae praesertim super terrenis versabatur, fuit figura scientiae Cordi Iesu reconditae. Regina Austri, Saba, venit, sapientiam Salomonis audire, eius fama permota. Adeamus et nos ad scientiam Sapientissimi Salomonis discendam. Unde haec a me stabilitur

Propositio. *Cor Iesu perlegendum, quia in eo sunt omnes thesauri scientiae.*

Quia sapientia est cognitio divinorum, et scientia creaturarum cognitio (2), distinguo inter sapientiam et scientiam

(1) MATTH. XII, 42.

(2) Vide D. THOM. *Exposit. ad Coloss. II, 3.*

Cordis Iesu. Sapientia enim, sive scientia divina, Verbum cognoscit se et omnia in se: et ideo Iesus cuius Cor colimus, per sapientiam perfecte cognoscit Deum et creaturas in Deo, sive in Seipso qui est imago Dei; et hoc ratione divinae naturae, et per modum Dei proprium. Sed scientia, cognoscit non creaturas tantum, sed et Deum, modo tamen creaturae connaturali. Et in hoc sensu loquar de scientia quam ut clarius a sapientia, seu scientia divina distinguatur, scientiam creatam Cordis Iesu dicemus; nam Christus, praeter scientiam divinam, habuit scientiam creatam, in quantum est homo. Quae quidem, quia triplex est, scilicet, beata, infusa, et acquisita, tripartitae propositionis pandit viam.

Divisio. In Corde Iesu sunt omnes thesauri scientiae: I. Beatae; II. Infusae; III. Et acquisitae.

PARS I. — DE SCIENTIA BEATA.

Dicitur scientia beata, quae est beatorum, sive comprehensorum propria: et etiam beatifica, quia comprehensores beatos facit, secundum illud: « ostende faciem tuam et salvi erimus » (1); quae quidem a theologis communiter definitur « clara Dei cognitio seu visio ». Nam in patria beati vident Deum: « videmus nunc per speculum in aenigmate; tunc autem facie ad faciem » (2). Circa quod sciendum est « quod Deus, secundum quod Deus, non habet faciem: et ideo hoc, quod (Apostolus) dicit facie ad faciem, methaphorice dicitur. Cum enim videmus aliquid in speculo, non videmus ipsam rem, sed similitudinem eius; sed quando videmus aliquid secundum faciem, tunc videmus ipsam rem, sicut est. Ideo nihil aliud vult dicere Apostolus (cum dicit - videbimus in patria facie ad faciem -), quam quod: videbimus ipsam Dei

(1) Psalm. LXXIX, 4.

(2) I ad Corinth. XIII, 12.

essentiam; unde (1) *videbimus eum sicuti est* » (2). Et hanc beatorum scientiam habuit Cor Iesu secundum quod homo.

a) Dicens: « Si dixero quia non scio eum (scilicet, Patrem) ero similis vobis mendax; sed scio eum et sermonem eius servo » (3); Christus loquitur de se, ut homo, iuxta haec verba: *et sermonem eius servo*. Sed scire Patrem, est eum videre et clare et intuitive cognoscere; nam qui clare et intuitive non videt, credit, non scit; ideo iuxta Evangelium habuit scientiam visionis.

Alio argumento nititur D. Thomas (4). Ad scientiam beatorum, quae in Dei visione consistit, homo est in potentia; nam est creatura rationalis et capax illius cognitionis beatae, in quantum est ad imaginem Dei creatus. Quod autem est in potentia, reducitur in actum per id, quod est actu, sicut oportet esse calidum id, per quod alia calescent. Unde oportuit, quod in Corde Iesu esset scientia beata, « quoniam per ipsum habemus accessum ambo (idest populus Iudaeus et Gentilis) in uno spiritu ad Patrem » (5).

Praeterea ad hanc visionem, sive scientiam beatam, homo ordinatur sicut ad finem, ut enim ait Apostolus, « nunc cognosco ex parte; tunc autem cognoscam, sicut et cognitus sum » (6). Ad hunc vero finem beatitudinis, homines reducuntur per Christi humanitatem, secundum illud: « decebat eum, propter quem omnia et per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, auctorem salutis eorum per passionem consummare » (7). Unde quod talis scientia esset in Christo, in quantum homo; medium enim semper debet fini conformari.

Et tandem habuit eam excellentissimo modo prae caeteris

(1) I IOANN. III, 2.

(2) *Exp. D. THOM. in Paulum*, loc. cit.

(3) IOANN. VIII, 55.

(4) *Sum. Theol.* p. 3, q. XI, a. 2.

(5) *Ad Eph.* II, 18.

(6) *I ad Corinth.* XIII, 12.

(7) *Ad Hebr.* II, 50.

hominibus; habuit enim, ut diximus, velut causam visionis nostrae futurae; et semper causam oportet esse potiore causato.

b) Ratio qua anima Christi visionem beatificam, iam ab initio suae creationis, prae omnibus habuit, ex unione hypostatica oritur. Ideo D. Thomas (1): « Visio divinae essentiae convenit omnibus beatis, secundum participationem luminis derivati in eos a fonte Verbi Dei, secundum illud: *fons sapientiae Verbum Dei in excelsis* » (2). Huic autem Verbo Dei propinquius coniungitur anima Christi, quae est unita Verbo in persona, magis quam quaevis alia creatura. Unde necesse est ut prae caeteris perfectius videat ipsam primam veritatem, quae est Dei essentia; ideo: *vidimus gloriam eius, quasi unigeniti a Patre, plenum*, non tantum *gratiae*, sed etiam *veritatis* » (3). Et ideo, non solum nunc in coelo, quia altius omnibus constitutus est, Christus perfectius caeteris beatis, videt; sed etiam dum vitam degebat mortalem, quia a primo instante anima Verbo hypostatice unita, clarius omnibus beatis videbat; ita ut esset simul viator et comprehensor, ut probat D. Thomas (4).

c) Quid per hanc scientiam videat in Deo anima Christi, hic breviter enucleabimus. Nota primo; ab anima Christi non comprehendere Verbum: comprehendere enim est quasi metare, et intra terminos amplecti: ut enim dicit Augustinus « quod se comprehendit, finitum est sibi » (5). Quia autem Verbum infinitum est, nequit a potentia animae Christi circumiri, quae creatura est. Sed tamen cognoscit in Verbo omnia, quae sunt actu, vel fuerunt, vel erunt, facta, dicta vel cogitata; nam unicuique intellectui beato datur videre in Verbo omnia, quae ad suum statum pertinent. Cum ergo ad dignitatem Christi pertineat omnia actu existentia cognoscere, secundum

(1) *Sum. Theol.* part. III, q. X, a. 4.

(2) *Eccles.* I, 5.

(3) IOANN. I, 14.

(4) *Sum. Th.* part. III, q. XV, a. 10.

(5) *Lib. LXXXIII*, q. q. quaest. XIV.

quodcumque tempus, nam omnia subiecta sunt illi: « omnia subiecisti sub pedibus eius »; inde est quod haec omnia videat, et nedum habitualiter, sed etiam actualiter; et consequenter cognoscit etiam, hac visione, seu scientia, omnia quae sunt in potentia creaturae, quamvis numquam ad actum reducenda; cognoscit enim omnem virtutem creaturae. Sed non cognoscit omnia, quae sunt in potentia Dei numquam ad actum reducenda; hoc enim esset infinitam virtutem divinam comprehendere, quod impossibile est, ut diximus; infinitum enim nequit finito metari, et quodammodo circumscribi.

PARS II. — DE SCIENTIA INFUSA.

Praeter scientiam beatam, habuit Cor Iesu scientiam infusam, quae a Deo liberaliter infunditur, absque ullo humanitatis actu, qua similiter ac per beatam, omnia cognovit.

a) Et primo habuit hanc scientiam infusam. Dicit enim Ieremias: « Novum (idest perfectum) creavit Dominus super terram: Femina circumdabit virum » (1). Non autem esset perfectum si gradatim ad plenitudinem scientiae, sicut caeteri homines, pervenisset; esset enim aliquando in potentia ad hanc scientiam. Unde fuit in eo etiam plenitudo scientiae infusae, ut ait D. Paulus: « in quo sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae absconditi ».

His verbis exponitur argumentum a D. Thoma (2): « Decebat ut natura humana, assumpta a Verbo Dei, imperfecta non esset. Omne autem quod est in potentia, est imperfectum, nisi reducat ad actum. Intellectus autem possibilis humanus est in potentia ad omnia intelligibilia; reducitur autem ad actum per species intelligibiles, quae sunt quaedam formae completivae ipsius. Et ideo oportet in Christo ponere scientiam inditam, in quantum per Verbum Dei, animae

(1) XXXI, 22.

(2) *Sum. Theol.* part. III, q. IX, a. 3.

Christi sibi personaliter unitae, impressae sunt species intelligibiles ad omnia, ad quae intellectus possibilis est in potentia ».

Confirmatur argumentum. Intellectus Christi non debuit perfici minus quam intellectus angelicus. Sed in angelis secundum Augustinum, ponitur duplex cognitio, una matutina, per quam cognoscuntur res in Verbo; et alia vespertina per quam res cognoscuntur in propria natura. Ergo praeter scientiam divinam increatam, est in Christo secundum eius animam, et scientia beata, qua cognoscit Verbum et res in Verbo: et scientia infusa, qua cognoscit res in propriis naturis (1).

b) Quid per scientiam infusam Cor Iesu cognoverit, videamus.

Cognovit, primo; omnia naturalia, non solum in communi, quoad rationes genericas et specificas, sed distincte et in particulari, quoad rationes individuales. Cognovit omnia creata supernaturalia quidditative, imo probabilius ac comprehensive (2). Perfectio enim animae eius exigebat, ut omnis potentialitas eius, esset reducta ad actum. Quia in anima humana est duplex passiva potentia, una naturalis ad cognoscendum naturalia, non solum per species acquisitas, sed etiam infusas; et alia obediens ad cognoscendum supernaturalia, etiam per species infusas; inde est quod anima Christi, per scientiam infusam, cognoverit « primo quaecumque ab homine cognosci possunt per virtutem luminis intellectus agentis, sicut sunt quaecumque pertinent ad scientias humanas; secundo vero per hanc scientiam cognovit Christus omnia illa, quae per revelationem divinam hominibus innotescunt, sive pertineant ad donum sapientiae, sive ad donum prophetiae, sive ad quodcumque donum Spiritus Sancti; omnia enim ista, abundantius et plenius caeteris, cognovit anima Christi. Ipsam tamen Dei essentiam per hanc

(1) Vid. BILLUART. *De Incarn.* Dissert. XI, a. 1.

(2) BILLUART. loc. cit.

scientiam non cognovit » (nempe cognitione intuitiva et faciali) (1).

PARS III. — DE SCIENTIA ACQUISITA.

Tandem sunt in Corde Iesu omnes thesauri scientiae quia praeter scientiam beatam et infusam, fuit in eo scientia acquisita, seu per se acquisibilis; quae cognovit omnia, quae sciri possunt per actionem intellectus agentis.

a) Fuit in Christo, non solum intellectus possibilis, sed intellectus agens; assumpsit enim Filius Dei humanam naturam integram atque perfectam, non solum quoad corpus, sed etiam quoad animam, in qua Deus plantavit intellectum possibilem et intellectum agentem. Nunc autem; vel hic intellectus agens Christo inesset frustra, vel necesse est ponere in eo scientiam acquisibilem per se. Non potest dici quod intellectus agens animae Christi sit frustra, quia si Deus et natura nihil frustra, in reliquis faciunt, multo minus in Christo, qui perfectissimus est. Restat ergo ut ponatur in eo operatio propria intellectus agentis. « Propria autem operatio intellectus agentis est facere species intelligibiles actu, abstrahendo eas, a phantasmatibus. Sic igitur, necesse est dicere, quod in Christo fuerint aliquae species intelligibiles per actionem intellectus agentis, in intellectu possibili eius receptae, quod est, esse in ipso scientiam acquisitam, quam quidam experimentalem nominant » (2).

b) Per hanc scientiam cognovit omnia, quae sciri possunt per actionem intellectus agentis, quia « fuit excellentissima vis ingenii Christi. Nec obstat, ut hic advertit Sylvius, quod nec litteras didicerit, nec philosophorum libros revoluerit, nec omnium, immo nec plurimorum experientiam habuerit; tanta enim erat vis animae eius, partim naturalis, partim ex lumine adiuncto scientiae beatae et infusae, ut ex

(1) D. THOM. *Sum. Theol.* part. III, q. XI, a. 1.

(2) D. THOM. *Sum. Theol.* part. III, q. IX, a. 4.

rebus, quas experiebatur, colligere posset species et cognitionem aliorum, nec distraheretur, vel impediretur a consideratione unius rei per aliam, sed sic poterat intendere pluribus ac si tantum occuparetur circa unam » (1).


Consequentia. Ergo Cor Iesu perlegendum, seu studendum ipsi, ut discamus. Studium enim et continua affectio scientiae Cordi Iesu reconditae, principaliter convenit religiosi ac piis; nam proficit magis quam philosophicis discussionibus operam dare. Ad rem S. Thomas: « Philosophi profitebantur studio litterarum, quantum ad saeculares doctrinas. Religiosis competit principaliter intendere studio litterarum pertinentium ad doctrinam, quae secundum pietatem est, ut dicitur ad Titum » (2). Multum proficit anima sola lectione Cordis Iesu, ut legitur de Sancta Catharina Senensi « cuius doctrina infusa, non acquisita fuit; quae sacrarum litterarum Doctoribus difficillimas de divinitate quaestiones proponentibus, respondit » et sic de plurimis aliis.

Affectus. O Sapientissime Iesu! O Cor scientia plenum, fons et origo totius luminis! Felix qui a te semper disceret! qui te praeceptorem unicum haberet! qui tuis splendoribus collustrari assequeretur! qui huius libri coelestis, continuo lectioni ac studio vacaret! Vere in te omnis gratia viae et veritatis. Supernis illustrationibus, quibus plenissime ornaris, tu mentes sanctorum locupletasti. A te lumen prophetarum; a te lux Apostolorum; a te sapientia Doctorum; a te omnis coelestium et terrestrium cognitionis origo.

Deprecatio. Domine Iesu Christe, qui investigabiles divitias Cordis tui Beatae Margaritae Virgini mirabiliter revelasti, da nobis eius meritis et imitatione, ut te in omnibus et super omnia diligentes, iugem in eodem Corde tuo mansionem habere mereamur. (Ex Missa B. Margaritae).

(1) BILLUART. *De Incarnation.* Dissert. XII, a. 2.

(2) *Sum. Theol.* II^a II^{ae}, q. CLXXXVIII, a. 5.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

DIRECCIÓN GENERAL DE

CONCIO XX.

THEMA: In ipso inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter.

(Ad Coloss. II, 9).

IDEA CONCIONIS

PROP. Cordi Iesu benedicendum, quia in Eo habitat omnis plenitudo divinitatis.

DIVISIO. I. Quomodo intelligenda sit haec omnimoda plenitudo divinitatis in Corde Iesu commorans; II. Quomodo hanc plenitudinem Christus nos doceat.

PARS. I. a). Tota simul natura divina est in Corde Iesu realiter; b) Verbum est in eo personaliter; c) Pater et Spiritus S. sunt tantum in eo per circuminsessionem.

PARS II. Christus docet nos hanc plenitudinem A) verbis: nam a) Docet nos de sua divinitate et circuminsessione personarum Patris et Spiritus S. in eo, et viceversa; b) De attributis essentialibus trium divinarum personarum, tamquam sibi convenientibus. B) Et factis docet nos: a) De potestate quae Patri appropriatur, miracula patrans; b) De sapientia Filio appropriata docendo; c) De amore Spiritui S. appropriato se praebendo.

Exordium. Maximum inter opera Dei est procul dubio opus Incarnationis, quo Verbum divinum, non accidentaliter nec essentialiter, sed hypostatice sibi copulavit naturam humanam, sumptam de Adam per Virginem Matrem. Unde factum est quod Filius, unius eiusdemque naturae cum Patre, cor carneum assumendo, illud ornaverit charismatibus divinitatis, modo humanae menti prorsus incomprehensibili, et fecerit ut in ipso omnis plenitudo divinitatis commora-

retur, et caput esset omnium, et hominum, et angelorum: « Ut sit in omnibus primatum tenens; quia in ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare » (1). Quae quidem plenitudo non iam de gratia et veritate est intelligenda, iuxta D. Ioannem, sed de plenitudine ipsius divinitatis, ex unione carnis cum Verbo, quod est verus Deus et vita aeterna. Ideo Apostolus: « in Ipso (idest Christo) inhabitat omnis plenitudo divinitatis » (2). Unde sequitur, Cor Iesu esse sedem divinitatis in Eo corporaliter commorantis; quae cum sit omni benedictione digna, en quare Cordi Iesu benedicendum. Ideo haec a me statuitur

Propositio. *Cordi Iesu benedicendum, quia in Eo habitat omnis plenitudo divinitatis.*

Solus Filius carnem assumpsit: « Et Verbum caro factum est » (3). Cor igitur Iesu, est Cor tantum divinae personae Verbi, seu Filii Dei. Quia tamen sub hac deprecatione dicimus, in hoc Corde plenitudinem divinitatis habitare, idest totam simul Deitatem cum suis adorabilibus attributis et infinitis perfectionibus, quasi in Eo includi, considerandum nobis est:

Divisio. I. *Quomodo intelligenda sit haec omnimoda plenitudo divinitatis in Corde Iesu commorans*; II. *Quomodo de hac ipse Christus et verbis et factis nos doceat.*

PARS I. — QUOMODO INTELLIGENDA

SIT HAEC OMNIMODA PLENITUDO.

Ad clariorem rei intelligentiam, memorari debemus, in Deo tres personas realiter distinctas, Patrem, Verbum et Spiritum S. subsistere in una eademque natura divina. Deus

(1) Coloss. I, 19.

(2) Coloss. II, 9.

(3) IOANN. I, 14.

Pater, intelligens, cognoscit se, comprehendit se et amplectitur se; quo actu infinitae intelligentiae generat Verbum, quod est perfecta ipsius imago. Quia tamen Pater ab aeterno intelligit se, ab aeterno generat Verbum, seu Filium et imaginem sui, et vitam suam divinam communicat ei. Quod autem ab aeterno fit, etiam in tempore accidit, cum ex necessitate quadam inexplicabili a communi essentia proveniente, Pater vivit in Filio et cum eo regnat, etiamsi de Filio incarnato fiat sermo.

Sed Pater non solum comprehendit se, sed et amat Verbum suum, comprehendit et diligit bonitatem suam; et hinc, terminus procedens ex amore quo se invicem diligunt Pater et Filius, vocatur Spiritus S., qui est velut complementum vitae divinae Dei. Sic Pater vivit in Filio et Filius in Patre; et Pater diligit Filium et Filius Patrem, et pro communitate naturae ubicumque Filius fuerit vivunt etiam Pater et Spiritus Sanctus.

Super illud: « Qui cum sit splendor gloriae et figura substantiae eius » (1), scribit Tirini (2): « Splendor, idest resplendentia, refulgentia gloriae, seu id in quo refulget gloriosa maiestas Patris; idque totaliter et adaequate: cum in angelis et hominibus solum inadaequate et partialiter refulgeat. Hinc S. Ambrosius et alii Patres colligunt Filium non libere, ut vult Calvinus, sed naturaliter ac necessario, non interrupte, sed continuo, et quidem ab aeterno gigni a Patre, sine ulla seu gignentis, seu geniti mutatione; nec divelli Filium a Patre, sed inseparabiliter illi coexistere, sicut lumen solis naturaliter, necessario, continuo et soli coevum ac indissociabile, sine ulla solis mutatione, a sole procedit. Cui adde; sicut ex sole et splendore calor, ita a Patre et Filio Spiritus S. procedit ».

His expositis, gressum faciamus ad probandum, quo sensu intelligendum sit, omnem plenitudinem divinitatis in

(1) Ad Hebr. I, 3.

(2) Exposit. in loc. cit.

Corde Iesu habitare. De fide est, personam subsistentem in humana natura Christi, solam esse personam Verbi, et huic unice personaliter coniungi Cor Christi, a quo pretium induit inaeestimabile. Quia vero Filius est unum cum Patre, et ambo sunt unum cum Spiritu S. pro communitate essentiae, clare evincitur, plenitudinem divinitatis, sive essentiae divinae in Corde Iesu habitare, quod est Cor Filii Dei.

Sed quia Filius est alius a Patre et Spiritu S. per distinctionem personarum ad invicem, cum tamen unaquaeque habeat esse divinum perfectissimum et completum, quaestio praecipua versatur circa modum, quo se habeant ad Cor Iesu personae Patris et Spiritus Sancti. Ad quod, sciendum est, tribus divinis personis communem esse circuminsessionem, quae a theologis definitur «intima existentia unius personae in altera, sine confusione personae» qua Pater est in Filio, Filius est in Patre, uterque in Spiritu S. et Spiritus S. in utroque; et qua designatur modus existendi communis tribus divinis personis. Hanc intimam et perfectissimam inhabitationem asserit Christus: «Non creditis quia ego in Patre et Pater in me est? Pater autem in me manens ipse facit opera» (1). Ideo S. Fulgentius: «Totus Pater in Filio et Spiritu S. est; et totus Filius in Patre et Spiritu S.; totusque Spiritus S. in Patre et Filio est» (2). Ratio est quia habent unam eandemque naturam indivisibilem, qua, ut dicit Petavius, «inter se inmeant, atque se invicem penetrant».

Triplicem rationem affert D. Thomas, ad probandam circuminsessionem divinarum personarum. Primam: ratione essentiae quae est una, eadem, et indivisibilis in singulis personis. «Secundum essentiam enim, Pater est in Filio, quia Pater est sua essentia, et communicat suam essentiam Filio, non per aliquam suam transmutationem. Unde sequitur, quod cum essentia Patris sit in Filio, in Filio sit Pater. Et similiter, cum Filius sit sua essentia, sequitur quod sit in Patre, in quo est eius

(1) IOANN. XIV, 11.

(2) Lib. de fide, c. I, n. 4.

essentia. Et hoc est quod Hilarius dicit (1): «Naturam suam, ut ita dicam, sequitur immutabilis immutabilem gignens Deum subsistentem. Ergo in eo Dei naturam intelligimus, cum in Deo Deus insit». Secundam rationem sumit ex origine, secundum quam, una persona ab altera emanat per processionem ad intra, dicens: «Secundum originem etiam manifestum est, quod processio Verbi intelligibilis non est aliquid extra, sed manet in dicente. Id etiam quod verbo dicitur, in verbo continetur. Et eadem ratio est de Spiritu S.». Tertia ratio sumitur ex parte relationis, quia relativa simul coexistunt, dicens: «Secundum etiam relationes manifestum est quod unum oppositorum relative est in altero, secundum intellectum» (2).

Si ergo per circuminsessionem, quae de fide est, Pater est in Filio, et Filius in Patre, et Pater et Filius in Spiritu S., et Spiritus S. in utroque; quo sensu intelligi debet Patrem et Spiritum esse in Filio, etiam incarnato, sive in Corde Iesu, et plenitudinem divinitatis in hoc Corde inhabitare?

a) Tota simul natura divina est in Corde Iesu realiter; cum enim sit una, simplicissima, et indivisibilis, necessario consequitur personam Verbi incarnatam. Et ideo dicendum Patrem et Spiritum S. esse in Corde Iesu essentialiter, pro aequalitate naturae, quae una est et communis tribus divinis personis.

b) Persona Verbi est in Corde Iesu personaliter; nam Filiatio quae convenit Verbo vi processionis, est in eo formaliter, seu ad modum formae constituentis filiationem, sive proprietatem personalem Filii; ex quo sequitur Verbum esse hypostasim subsistentem in Corde Iesu; non vero Patrem et Spiritum S., qui non sunt in Corde Iesu formaliter; quia Paternitas et communis spiratio, quibus personae Patris et Spiritus Sancti distinguuntur, quamvis sint unum cum divina essentia, non sunt in Corde Iesu ad modum formae constituentis Patrem et Spiritum S., seu ad modum proprietatis personalis Patris et Spiritus S.

(1) Libro V, de Trinitat.

(2) Summ. Theol. part. I, q. XLII, a. 5.

c) Pater et Spiritus S. sunt tantum in Corde Iesu per circuminsessionem, seu mutuam existentiam unius personae in alia sine earum confusione. Cum enim Cor Iesu sit hypostatice a Verbo assumptum; sicut ante incarnationem, ita postquam incarnatum, cum Filio et in Filio simul coexistunt Pater et Spiritus S. Sed tamen absque ulla confusione, personis, scilicet, distinctis remanentibus; quo, solum Filius est hypostasis subsistens in Corde Iesu.

Ex his evincitur, quo sensu intelligendum est, omnem plenitudinem divinitatis in Corde Iesu habitare. Habitat enim plenitudo essentiae divinae, quae una, et indivisibilis est. Habitat haec plenitudo, quia in eo inmoratur personaliter Filius et identice Pater et Spiritus S., quorum natura communis est; non autem ad modum proprietatis personalis, cuius est constituere personam. Habitat in eo plenitudo divinitatis, quia paternitas et spiratio per identitatem naturae sunt in Filio, non admodum formae hypostaticae, et proprietatis personam constituentis, sed essentialiter. Habitat tandem in eo, quia omnia attributa essentialia divinitatis in eo sunt ratione divinae naturae, et Christus, ut videbimus de seipso praedicat (1).

PARS II. — QUOMODO HANC PLENITUDINEM

CHRISTUS NOS DOCEAT.

Considerandum est in hac secunda meae thesisi parte, quomodo illam plenitudinem ipse Christus nos doceat.

Quia de altissimis disserimus, quae nemo attingere valet, nisi Deus ipse quasi manu duxerit: « nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum » (2), et ad quae nemo pervenit, nisi Christo docente, « nemo venit ad Patrem, nisi per me » (3); opus est ut Christum auscultemus de tali

(1) Nota ad S. THOMAM. Summ. Theol. q. XLII, partis I, a. 5.

(2) IOANN. VI, 44.

(3) IOANN. XIV, 6.

plenitudine loquentem, nam, « quae Dei sunt nemo cognovit, nisi spiritus Dei » (1). Christus autem divinitatis suae plenitudinem docet nos, dupliciter; verbis et factis.

A) Verbis, docet nos a) suam divinitatem et circuminsessionem Patris et Spiritus S. in eo, et viceversa. Divinitatem quidem, dicens: « Ego a Deo exivi » (2), idest ego missus sum a Deo ex quo genitus, ex cuius substantia unigenitus Filius, ab aeterno sum. Exivi a Patre per aeternam generationem et veni in mundum, assumpta carne in utero Virginis. Item circuminsessionem: « Non creditis quia ego in Patre et Pater in me est? » (3), cum natura unum simus? Quibus, exprimitur fundamentalis distinctio Patris et Filii, quia nihil est proprie in seipso; et identitas naturae, secus, viso uno non videretur alter, contra illud: « Philippe, qui videt me, videt et Patrem meum » (4): et ineffabilis personarum complexus, quem theologi immanentiam et circuminsessionem vocant. Unde: « Verba, quae ego loquor vobis, a me ipso non loquor » (5) non enim ita mea sunt, ut non sint Dei Patris, a quo genitus sum: « Pater autem in me manens, ipse facit opera; ab eo enim inseparabilis sum potestate, et essentiae unitate » (6). Item, de circuminsessione Spiritus S., in utrisque ait: « Cum autem venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis, qui a Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me » (7). Spiritum veritatis, idest meum, qui sum veritas: Spiritum, qui veritatem novit, docet, manifestat, qui a Patre procedit ut a primo principio et fonte totius Deitatis, ideoque Patri consubstantialis et eiusdem cum illo naturae, scientiae, potentiae (8).

(1) I ad Corinth. II, 11.

(2) IOANN. XVI, 27.

(3) IOANN. XIV, 11.

(4) IOANN. XIV, 9.

(5) IOANN. XIV, 10.

(6) Vid. AUGUST. Tract. LXXI, in Ioann.

(7) IOANN. XV, 26.

(8) NAT. ALEX. in hunc loc.

Deinde, verbis docet non attributa essentialia trium divinarum personarum, tamquam sibi convenientia. Ita « cum autem venisset domum accesserunt ad eum caeci. Et dixit eis Iesus: Creditis quia hoc possum facere vobis? » (1) Non dixit: creditis quod possim id a Deo impetrare, sed quod ipse possim id facere propria virtute? virtute, nempe, quam habet ab aeterno ut Deus. Deinde Verbum est Sapientia increata: sapientia autem est quidam fulgens, ideo Apostolus vocat Christum: splendorem gloriae: de qua sapientia, sive splendore ait Christus: « Ego sum lux » (2). Ego Sapientia mea, sum lux mundi. Ideo non ait: in me est lux, sed ego sum lux, ne quis in duos filios dividat Christum post incarnationem, ut scribit S. Cyrillus, in hunc locum. Tandem de amore ait: « Sicut dilexit me Pater, ego dilexi vos » (3). Quasi diceret: eadem charitate qua Pater diligit me, ego diligo ac dilexi vos; unus enim et idem Spiritus S. est, quo diligunt se Pater et Filius.

B) Sed Christus docet nos plenitudinem divinitatis suae, etiam factis. Mirabilia innumera, quae ab ipso vel propter ipsum toto vitae suae mortalis decursu, a nativitate ad mortem, a praesepio usque ad Calvarium operata sunt, in firmamento, in aëre, in mari et in abyssis; in languentibus, in inanimatis, in brutis et in ipsis daemonibus, ita divinitatem eius propugnant quod non solum amici, ut Petrus cum ait: « Tu es Christus Filius Dei vivi » (4); sed et peccatores et inimici qui crucifixerant, verum Deum agnoscant: « Vere Filius Dei erat iste! » Quid vero si dixerō haec etiam daemones confessos esse? Atqui confessi sunt: « Occurrerunt ei duo habentes daemonia, de monumentis exeuntes, saevi nimis..., et ecce clamaverunt dicentes: Quid nobis et tibi, Iesu Fili Dei? Venisti huc ante tempus torquere nos » (5). Quam quidem divinitatis plenitudinem factis docet nos: et

(1) MATTH. IX, 28.

(2) IOANN. VIII, 12.

(3) IOANN. XV, 9.

(4) MATTH. XVI, 16.

(5) MATTH. VIII, 28, 29.

a) Primo: potestatem quae Patri appropriatur, miracula patrando innumera, in vivos; leprosos mundando, caecis visum restituendo, infirmos sanando, a quacumque detentos infirmitate liberando; in mortuos: Lazarum, filium viduae Naim, puellam reguli ad vitam revocando; in elementa: maris tempestates sedando, aquam in vinum vertendo, lucem meridianam in hora mortis extinguendo; in peccatores: sicut, Samaritanam illuminando; sicut Matthaeum mutando; sicut Magdalenam, in conversionem ducendo: in iustos; corporaliter, velut in monte, reficiendo, et spiritaliter ad se trahendo; in daemonibus; e possessis et porcis eiiciendo, et ad confessionem divinitatis suae, ut vidimus, cogendo.

b) Sapientiam Filio appropriatam, docendo. Testimonia namque innumera praebet, docens doctrinam, quae non ab hominibus didicit: « Et mirabantur Iudaei, dicentes: quomodo hic litteras scit, cum non didicerit? » (1) Doctrinam altam: « Stupebant autem omnes, qui audiebant, super prudentia et responsis eius » (2); doctrinam coelestem et divinam, quae non de terrenis et naturalibus agit, sed de ipsa divinitate alte pertractat; qua, incomprehensibilia et invisibilia Dei, quae ille clare videbat, « Ego scio enim » (3), homines docuit « omnia quaecumque audivi a Patre meo nota feci vobis » (4). Unitatem Dei, pluralitatem et circuminsessionem personarum, angelos eorumque ierarchias et ordines, mansiones, beatitudines, daemones eorumque tormenta, principium omnium ac finem, morum honestatem, ordinem servandum, iudicium venturum, animae praetium, mercedis ac poenae aeternitatem, omnibus manifestavit. Et ita simpliciter exposuit ut ignari ac pene rudes caperent: « Et sine parabolis non loquebatur eis » (5).

c) Amorem Spiritui S. appropriatum docet nos factis,

(1) IOANN. VII, 15.

(2) LUC. II, 47.

(3) IOANN. VIII, 55.

(4) IOANN. XV, 15.

(5) MATTH. XIII, 34.

se praebendo: dedit enim semetipsum pro nobis oblationem et hostiam cum « maiorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis » (1). Corpus suum in cibum, et sanguinem in potum sub Eucharistiae speciebus reliquit usque ad consummationem saeculi duraturae: « Accipite et comedite; hoc est corpus meum » (2). Et quasi tot tantaque beneficia, hucusque collata, non essent amoris sufficientissima argumenta, novum hisce temporibus, donis praeteritis cumulavit. Cor suum mundo praebens, velut compendium plenitudinis divinitatis ipsius, ut qui coarctationis et hebetudinis mentis causa, non valeant altiora Dei capere, possint, sub symbolo Cordis Iesu, adorare et amplecti.

Consequentia. Ergo benedicendum: « nam, dignus est agnus, qui occisus est, accipere virtutem et divinitatem et sapientiam et fortitudinem et honorem et gloriam et benedictionem » (3). Ideo, omnes angeli, stantes in conspectu throni, adoraverunt dicentes: « honor et virtus et fortitudo Deo nostro, in saecula saeculorum » (4). Ideo et omnem creaturam, quae in coelo est et super terram et sub terra, et quae sunt in mari et quae in eo, omnes audiui dicentes: « Sedenti in throno et Agno benedictio et honor et gloria et potestas in saecula saeculorum » (5). Ergo hanc Agni divinitatem, hanc divinitatis plenitudinem, prout laudamus, superexaltemus ac benedicamus in Corde Iesu, velut in proprio throno sedentem, cum angelis et sanctis ac creaturis omnibus, una voce concordantes dicentes: Amen.

Affectus. O coeli coelorum! angeli, archangeli, throni, dominationes, virtutes et potestates, cherubim ac seraphim et omnes spiritus Domini, benedicite Cordi Iesu. Sol, luna et

(1) IOANN. XV, 13.

(2) MATTH. XXVI, 26.

(3) APOC. V, 12.


(4) APOC. VIII, 12.

(5) APOC. V, 13.

stellae: imber et ros, ignis et glacies, frigus et aestus, benedicite illi. Fontes et aquae, maria et flumina, montes et colles, cete et volucres, benedicite illi. Sacerdotes et sancti, omnis spiritus et animae iustorum, benedicite illi. Laudent te, o Cor Iesu, omnia: benedicant tibi ubique; benedicito, nunc et semper et in saecula saeculorum fidelibus tuis et populo, quem redemisti!

Deprecatio. Per tuum transvulneratum cor, transfige, amantissime Domine Iesu, cor meum iaculis amoris tui, ut nihil terreni continere possit, sed a sola efficacia tuae divinitatis contineatur » (S. Gertrudis lib. II, cap. V).





UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

DIRECCIÓN GENERAL DE

CONCIO XXI.

THEMA: Hic est Filius meus dilectus
in quo mihi bene complacui.

(Matth. XVII, 5).

IDEA CONCIONIS

PROP. In Corde Iesu gloriandum, quia in Eo Pater sibi bene complacuit.

DIVISIO. Pater sibi complacuit in Corde Iesu: I. Si Iesus consideretur ut homo, per subiectionem; II. Si Iesus consideretur ut filius, per inhabitationem; III. Si Iesus consideretur ut Deus per aequalitatem.

PARS I. Pater complacuit sibi in corde Iesu ut in homine, per subiectionem, quae triplex est: a) Secundum gradum bonitatis; b) Ratione potestatis; c) Ratione submissionis.

PARS II. Ut in Filio per inhabitationem, quia: a) Est filius verus; b) Dilectus; c) Placidissimus; d) Cuius praedicatione Pater manifestatur; e) Cuius humilitate clarificatur.

PARS III. Pater complacuit sibi in eo si consideretur ut Deus; quia aequalis Patri: a) Aeternitate; b) Magnitudine; c) Potentia.

Exordium. Est haec, concionis praecedentis consequentia. Concione XX (sub deprecatione XV) probavimus, in Corde Iesu omnem plenitudinem divinitatis habitare. Quia vero Deus habitat in iustis per gratiam, in tantum magis illi placet in his inmorari, in quantum sanctiores sunt et gratia pleniores, quae magis reddit eos similes auctori gratiae et largitori; ita quod talis complacentia Dei in animabus, sit velut effectus gratiae sanctificantis. Nunc autem, quia nullum Cor, sicut Cor Iesu, est plenum gratiae, in quo habitat et pleni-

tudo gratiae, et ipsa plenitudo divinitatis; consequens est ut in nullo, velut in eo, Patrem sibi bene complacereat. Unde rectum est, post illius plenitudinem divinitatis, agere de eius primario et potissimo effectum, sive de complacentia, quam sanctitas infinita huius Cordis, ex illa plenitudine oriens, gignit in Patre erga Filium a se ab aeterno genitum, cuius est Cor Iesu, in quo sibi placet sicut in Corde proprii Filii. Et inde haec.

Propositio. *In Corde Iesu gloriandum, quia in Eo Pater sibi bene complacuit.*

Testimonium huiusce complacentiae legimus datum, quando, Christo transfigurato, vox Patris intonuit: *Hic est Filius meus dilectus*; quod quidem et necessarium erat ad confirmandos apostolos, coelesti indicio de divinitate ipsius, ut constantes permanerent, cum viderent eum sub passione exinanitum, et ut certificaremur de filiatione adoptiva nostra, quae est per conformitatem imaginis ad Filium naturalem, quam adepturi eramus, inchoate per gratiam viae, complete autem per gloriam patriae. Induit enim se nova forma, forma scilicet servi, quin exueret se forma propria, id est divinitate et maiestate. Qui erat ab aeterno Deus, factus est simul homo in tempore; qui erat Filius Dei, factus est simul filius hominis; qui erat Dominus omnium, factus est simul et servus, quin per formam servi et hominis desineret esse Dominus, et Deus, et filius Dei. Unde tamquam de vero filio suo, etsi extranea forma induto, vox Patris e coelo testimonium perhibet, dicens in eo sibi bene complacuisse. Et ideo Pater sibi complacuit in Corde Iesu, sive consideretur Iesus.

Divisio. I. *Ut homo*; II. *Sive ut filius*; III. *Vel ut Deus*. Ut homo, placuit Patri per subiectionem; ut Filius, per inhabitationem; ut Deus, per aequalitatem.

PARS I. — PATER SIBI COMPLACUIT
IN CORDE IESU, SI CONSIDERETUR IESUS UT HOMO.

In primis: in Corde Iesu, considerato ut cor hominis, Pater sibi bene complacuit. Iesum esse nomen significat Verbum induisse formam servi, sive formam, vel naturam humanam, iuxta Apostolum: « qui cum in forma (id est, natura) Dei esset... exinanivit semetipsum, formam (id est, naturam) servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo » (1). Quod servile indumentum, praedixerat Isaias: « inglorius erit inter viros aspectus eius, et forma eius inter filios hominum » (2). Ratio, qua Verbum, natura humana indutum, dicitur formam servi assumpsisse triplex exponitur a D. Thoma.

Prima: quia assumpsit humanam naturam; homo enim ex sua creatione est servus, et natura humana forma servi: ideo; « formam servi accipiens ». Dicitur autem formam servi, non servum, quia servus est nomen suppositi, quod Verbum non assumpsit, sed naturam.

Secunda: quia assumpsit conformitatem humanae naturae; « in similitudinem hominum factus », id est secundum speciem; nam divinitas et humanitas non convenerunt in unam speciem, quasi mutarentur, sed integrae ambae permanserunt.

Tertia: quia assumpsit humanae naturae conditiones: « et habitu inventus ut homo »: id est, suscepit defectus et proprietates speciem consequentes, praeter peccatum (3).

Et sub hac forma servi semper Patri placuit, servans conditionem primariam, subiectionem nempe. Hanc de se, ipse testatur dicens: « Pater maior me est » (4). « Quae placita sunt

(1) *Ad Philipp.* II, 6, 7.

(2) *LII*, 14.

(3) *Expositio D. Thom. ad Philipp.* c. II, lect. II.

(4) *IOANN.* XIV, 28.

ei, facio semper » (1). « Non mea voluntas, sed tua fiat » (2); minoris enim est, subesse et obedire maiori. Et Iesus, quoad naturam humanam, erat minor Patre. Super quod S. Augustinus: « Non immerito Scriptura utrumque dicit, et aequalem Patri Filium, et Patrem Filio maiorem: illud enim propter formam Dei; hoc autem propter formam servi, sine ulla confusione intelligitur » (3).

Triplicem subiectionem ad Deum, ait D. Thomas, habet natura humana ex sua conditione (4). Prima, secundum gradum bonitatis: bonitas enim naturae humanae est quaedam participatio bonitatis infinitae. Secunda; ratione potestatis, quatenus, sicut quaelibet alia creatura, natura humana divinae potestati subiicitur. Tertia, quia natura humana per proprium suum actum voluntati divinae obtemperat.

Nunc autem, hanc triplicem subiectionem Patri habuisse, ipse Christus testatur:

a) Primo habuit subiectionem bonitatis; nam interroganti quid boni faciendum sibi esset, ut vitam aeternam possideret respondit: « quid me interrogas de bono? Unus est bonus; Deus » (5). Quo ostendit se non habere gradum bonitatis divinae secundum naturam humanam.

b) Habuit etiam subiectionem potestati Dei, qua seipsum exinanivit. Et ita omnia quae circa humanitatem Christi acta sunt, divina dispositione gesta creduntur: « Verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu: Pater... fiat voluntas tua in coelo et in terra ».

c) Habuit tandem subiectionem per propriam voluntatem, voluntati Patris, quia fuit obediens usque ad mortem; nam non venit « ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem eius, qui misit me » (6), ut exponitur infra (concione XXXII). Ideo semper, ut homo, placuit Patri quia in omnibus subditus.

(1) IOANN. VIII, 29.

(2) LUC. XXII, 42.

(3) Lib. I de Trinit. c. VII.

(4) Part. III, q. XX, a. 1.

(5) MATTH. XIX, 17.

(6) IOANN. VI, 38.

PARS II. — SI IESUS CONSIDERETUR UT FILIUS.

Deinde, Pater complacet sibi in Corde Iesu, velut in proprio Filio, per inhabitationem. Quod complacet in eo, velut in Filio, patet ex hoc quod Cor Iesu est cor Filii, veri, proprii, et consubstantialis, Patris aeterni ut dictum est supra (concione I). Ideo: *hic est Filius meus dilectus*; iterum ad nos conclamat Pater, complacens sibi in Filio: « Hunc Iesum, quem apostoli in monte gloriosum viderunt, et exinanitum sub passione conspexerunt, et vos adorantes colitis, hic est ex me, ex mea substantia ab aeterno unice genitus: ideo Filius meus ». Adoramus enim sub Cordis Iesu physici symbolo, Filium Dei: non cor carneum ab humanitate praecisum, nec a Divinitate separatum, quacum manet inseparabiliter coniunctum. Nam ut ait P. Gallifet (1) « cum Cor Iesu animae personaeque Christi intime et indissolubiler coniunctum sit, sane oratio, quae ad ipsum Cor dirigitur, eodem tempore, eodemque actu necessatio dirigitur ad ipsam animam et personam indivise, ideoque hic orandi modus, nequaquam videri potest, hominibus saltem attentis, contra rectam rationem ». Ergo, hoc sensu, eadem verba, quae tunc de toto Iesu dicta sunt, proponuntur nunc ab ipso Patre, respectu Cordis Filii, prolata: « hic est Filius meus dilectus »; cor namque aliquando sumitur pro Persona. Unde; sub Corde Iesu colimus Filium: sed et dilectum: « Pater diligit Filium » (2) id est, filium suum Iesum; et in testimonium huiusce dilectionis « omnia dedit in manu eius », nihil enim celat; arbitrio et potestate eius omnia permittit; nam ut ait S. Cyrillus Alex. « huius dilectionis argumentum est, quod rerum omnium potestas ei data est » (3). Et haec est ratio complacentiae infinitae Patris nam:

(1) Lib. II, c. II.

(2) IOANN. III, 35.

(3) Lib II, in Ioann. c. IV.

a) Primo est Cor Filii: «Cor Iesu Filii Patris aeterni» (1); in sensu enim iuxta mentem Ecclesiae exposito, habet hic Filius quidquid Patri essentialiter convenit non per participationem, tametsi Pater dedisse dicitur. «Sed ita omnia sua dat Filio. Pater, quemadmodum etiam homo genito ex se filio tribuere censetur quidquid proprium est naturae humanae; aut sicut ignis calori, ex se actu procedenti, ea quae naturae suae propria sunt tribuere» (2). Ideo: «Ego et Pater unum sumus» (3).

b) Secundo: est Cor Filii dilecti; non est enim sicut illi, de quibus loquens per Isaïam, ait: «Filius enutriti et exaltavi; ipsi autem spreverunt me» (4); sed est Cor faciens semper quae sunt placita Patri, Cor Filii, quem dum Pater diligit, seipsum diligit: «Candor est lucis aeternae et speculum sine macula Dei maiestatis, et imago bonitatis illius» (5).

c) Tertio est Filius, cuius Cor Totus inhabitat, cum quo placidissime vivit, in quo perfecte quiescit: «Ut cognoscatis et credatis, quia Pater in me est, et Ego in Patre» (6); scilicet «per individuum potentiae et essentiae unitatem», necnon per intimam et perfectissimam inhabitationem unius personae in alia. Unde, sicut sibi in seipso, placet sibi et in Filio, qui est unum cum eo, ratione mutuae coexistentiae divinarum personarum ad invicem, quam theologi circuminsessionem vocant: quapropter non sicut in animabus iustis, per gratiam, Pater in Corde Filii habitat, sed summo modo, seu per naturam: ideoque placidissime.

d) Quarto, quia est Filius, cuius praedicatione manifestatur: «Hunc ergo in quo mihi per omnia bene complaceo et cuius praedicatione manifestor, cuius humilitate clarificor,

(1) *Deprecat. I Litaniar.*

(2) S. CYRILLUS loc. citat.

(3) IOANN. X, 30.

(4) I, 2.

(5) *Sapient.* VII, 26.

(6) IOANN. X, 38.

incunctanter audite» (1). Revera enim, per Verbum Pater cognoscit seipsum; ideo dicitur splendor Patris. Et per Verbum caro factum, homines Deum cognoverunt: «Omnia, quaecumque audivi a Patre meo, nota feci vobis» (2).

e) Quinto, est Filius, cuius humilitate clarificatur Pater; de humilitate dico secundum humanam naturam, iuxta illud Pater: «Clarifica Filium tuum, ut Filius tuus clarificet te» (3). Id est «demonstra hominibus innocentiam meam, ac dignitatem, novis in passione ac morte mea miraculis, celerique resurrectione et assumptione in coelum, ut Filius tuus clarificet te; efficiendo, ut, divina maiestatis tuae gloria, per evangelii predicationem, hominibus innotescat» (4).

PARS III. — SI IESUS CONSIDERETUR UT DEUS.

Tandem, Pater sibi bene placet in Corde Iesu, quia, ut Deus, est sibi aequalis: «Aequalis Patri secundum divinitatem, minor Patre secundum humanitatem» (5). Dum enim colimus Cor Iesu, non praecisum ab aliis membris, nec ab anima, et multo minus a divinitate colimus, sed coniunctum, totam simul et humanitatem et divinitatem; seu personam divinam symbolice sub specie cordis physici representatam, ut dixi supra. Ita expositum fuit a Postulatoribus ad S. R. C. sub Benedicto PP. XIII ut Festum SS. Cordis Iesu cum Missa et Officio proprio celebrari concederetur; nempe, «rationem Festi consistere... in Corde Iesu humanitati sacrosantae unito, et consequenter rem unam constituentem cum anima et divina persona» (6). Et in hoc sensu, Clemens PP. XIII concessit primo Episcopis Poloniae Of-

(1) S. LEO, *Homil. de Transfigur.*

(2) IOANN. XV, 15.

(3) IOANN. XVII, 1.

(4) NATAL. ALEX. hoc loc.

(5) *Symb. D. Athanas.*

(6) *De canon. Ss. l. c. n. 21. NILLES.*

ficium et Missam dictam, anno 1765: « Simulque intelligens huius Missae et Officii celebratione, non aliud agi, quam amplificari cultum iam institutum, et symbolice renovari memoriam illius divini amoris, quo Unigenitus Dei Filius humanam suscepit naturam, et factus obediens usque ad mortem, praebere se dixit exemplum hominibus ». Ideo P. Gal-
lifer: « Cor Iesu ita colendum proponitur, ut ab aliis rebus, maxime spiritualibus, quibus intime coniunctum est, minime separetur. Non separatur a persona Verbi, per quam ad divinum ordinem evehitur; non ab anima Christi, a qua vitam et sensum obtinet, quaeque suam ei nobilitatem ac excellentiam totam quasi infundit, et communicat; non a Spiritu Sancti donis, a quibus sanctitatem immensam participat » (1). Ideo (Concione I sub deprecatione I) dicimus Cor Iesu esse cor Filii Patris aeterni; sive, personam adorandam sub symbolo cordis carnei Iesu, esse Filium Patris aeterni.

Ergo pariter, dicere Patrem sibi complacuisse in Corde Iesu, idem est ac asserere, sibi placere in persona Iesu; quae, quia aequalis Patri, haec utriusque personae aequalitas viam pandit ad tertiam considerationem illius complacentiae Patris in Corde Iesu; quia, scilicet, sibi placet in eo, velut in Deo, aequalitatis gratia. Ad quod sciendum est, Patrem inter ac Filium, nullum dari discrimen quoad essentiam, quia in Deo omnia sunt unum et idem, ubi non obstat relationis oppositio. « Et in hac Trinitate nihil prius, aut posterius; nihil maius, aut minus, sed totae tres personae coaeternae sibi sunt et coaequales » (2). Nam « aequalitas, quae dicitur per negationem maioris et minoris, oportet poni in Deo, in quo non est maius vel minus. Si enim esset in Deo maius vel minus, non esset in eo una essentia; nam inaequalium non potest esse una quantitas numero, et in Deo quantitas non est aliud quam sua essentia » (3). Unde quod Pater et Filius sicut et Spiritus Sanctus sint sibi coaequales.

(1) Lib. II, c. II.

(2) *Symbol. fidei.*

(3) *Summ. Theol.* part. I, q. XLII, a. 1.

a) Ergo Filius placet Patri, quia est aequalis ipsi aeternitate « aeternus Pater, aeternus Filius ». Generatur enim a principio cuius virtus agendi est semper perfecta et instantanea, et intellectus eius sicut voluntas est semper in actu. Ideo « totae tres personae coaeternae sibi sunt et coaequales ». Et de se Christus ait: « Antequam Abraham fieret, ego sum ».

b) Secundo, magnitudine. Nam magnitudo in Deo non est aliud quam perfectio divinae naturae; nunc autem eadem est perfectio naturae Filii ac Patris, cum sit eadem utriusque numero natura: « non rapinam arbitratus est esse se aequalem Deo ». Ergo et eadem magnitudo.

c) Tertio, potentia. Potentia enim agendi perfectionem naturae consequitur. Cum ergo Filius sit aequalis Patri magnitudine, sive perfectione naturae, ideo et potentia (1): legitur enim: « Quaecumque ille fecerit, haec et Filius similiter facit » (2).

Et haec est potissima ratio, qua Pater sibi bene placet in Corde Iesu: est namque eadem, qua in seipso sibi complacet. Filius enim etsi alius, non est aliud ab Illo. Contemplando Cor Iesu sacratissimum, seipsum Pater contemplatur, et velut in speculo conspicit; placens sibi in sua propria, in Filii potestate, sapientia, aeternitate, infinita denique perfectione sibi complacens; quarum divinarum perfectionum, cum Cor Iesu, Cor Verbi, sit vera et perfecta imago, mirum iam non est si dicat, sicut olim super montem Thabor: « Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui ».

Consequentia. Ergo in Corde Iesu gloriandum; idest maximi aestimandum regnum eius in universum mundum, et obsequium, quod corde, ore et opere, ipsi praestare compellimur; tali namque famulatu eminemus super gentes gloriantes in vanitates et insanias falsas. Unde meticulosii recedant; accedant utique fortes, qui sine ignavia, absque

(1) D. THOM. eodem loc. art. 2, 4, 6.

(2) IOANN. V, 19.

timiditate ulla, Cor Iesu Dominatorem et Dominum corde recto et alta cervice acclamare aggrediantur, ad similitudinem Patris testimonium de Filii sui divinitate et complacentia reddentis. « Venit hora ut omnis, qui interficit vos, arbitretur obsequium se praestare Deo » (1). Adveniat ergo hora ut omnes hoc obsequium praestent Deo, scilicet, confiteantur nomen Iesu coram hominibus, dicentes cum Apostolo: « Servimus Deo, et gloriamur in Christo Iesu » (2).

Affectus. O Cor Iesu, cuius potestate Pater clarificatur, cuius sanctitate Spiritus magnificatur, cuius merito tota Trinitas superexaltatur! Glorietur gentes in simulacris suis; et divites in divitiis suis; et reges in splendore et magnificentia; duces, in copiis; milites, in hasta, gladio et clypeo; gloriatur quis in vestitu, in sapientia, in maiestate, et diademate; gloriatur fortis in fortitudine sua; superbus in laude; carnales in voluptatibus; iusti in sanctitate: ego in te semper gloriabor. Sis tu, o Iesu, Dominus meus, dux meus, splendor meus; sis tu divitiae meae, gaudium meum, fortitudo mea, gloria mea, nunc et in perpetuum.

Deprecatio. Respice, quaesumus, misericordiosissime Deus, in Cor dilectissimi Filii tui, in quo tibi bene complacui, eiusque SS. Cordis moeroribus, quos nostri causa pertulit, et dignis satisfactionibus, quas pro nobis tibi persolvit, placatus, concede, corde contrito petentibus, nostrorum nobis veniam peccatorum; et tanto Christi amore cor nostrum accende, ut ipsius divini Cordis affectibus prorsus omnes incensi, secundum Cor tuum inveniri mereamur. (Ex quodam antiquo Off. Parv. Nilles).

(1) IOANN. XVI, 2.

(2) Ad Philipp. III, 3.

CONCIO XXII.

THEMA: Et de plenitudine Eius omnes nos accepimus.

(IOANN. I, 16).

IDEA CONCIONIS

PROP. Cordi Iesu gratiae referendae, quia de plenitudine Eius omnes nos accepimus.

DIVISIO. I. De plenitudine paternitatis Eius, accepimus vocationem; II. De plenitudine sanctitatis Eius, accepimus perfectionem; III. De plenitudine auctoritatis Eius, accipimus gloriam.

PARS I. a) Iudaei acceperunt ab Eo vocationem ad populum Dei efformandum; b) Gentiles ad Ecclesiam constituendam; c) Iusti ad status perfectiores sequendos.

PARS II. Accipimus ab Eo perfectionem; a) Mediante doctrina; b) Gratia; c) Exemplo.

PARS III. Per Eum accipimus gloriam: a) Est enim Dominus gloriae ratione et divinae et humanae naturae; b) Et est adeptor gloriae sibi et nobis.

Exordium. Quod de gloria Domini, quam omnes creaturae laudant, quia omnes de ea et cum ea aliquid participant, scribit propheta; nos de SS. Corde Iesu cantare valemus una voce, dicentes: « A summo coelo egressio eius, et occursum eius usque ad summum eius; nec est qui se abscondat a calore eius » (1). Nam revera, a summo coelo oriens, e sinu, nempe, aeterni Patris, Verbum divinum in tempore humanatum, semper per summum coelum iter fecit;

(1) Psalm. XVIII, 7.

timiditate ulla, Cor Iesu Dominatorem et Dominum corde recto et alta cervice acclamare aggrediantur, ad similitudinem Patris testimonium de Filii sui divinitate et complacentia reddentis. « Venit hora ut omnis, qui interficit vos, arbitretur obsequium se praestare Deo » (1). Adveniat ergo hora ut omnes hoc obsequium praestent Deo, scilicet, confiteantur nomen Iesu coram hominibus, dicentes cum Apostolo: « Servimus Deo, et gloriamur in Christo Iesu » (2).

Affectus. O Cor Iesu, cuius potestate Pater clarificatur, cuius sanctitate Spiritus magnificatur, cuius merito tota Trinitas superexaltatur! Glorietur gentes in simulacris suis; et divites in divitiis suis; et reges in splendore et magnificentia; duces, in copiis; milites, in hasta, gladio et clypeo; gloriatur quis in vestitu, in sapientia, in maiestate, et diademate; gloriatur fortis in fortitudine sua; superbus in laude; carnales in voluptatibus; iusti in sanctitate: ego in te semper gloriabor. Sis tu, o Iesu, Dominus meus, dux meus, splendor meus; sis tu divitiae meae, gaudium meum, fortitudo mea, gloria mea, nunc et in perpetuum.

Deprecatio. Respice, quaesumus, misericordiosissime Deus, in Cor dilectissimi Filii tui, in quo tibi bene complacui, eiusque SS. Cordis moeroribus, quos nostri causa pertulit, et dignis satisfactionibus, quas pro nobis tibi persolvit, placatus, concede, corde contrito petentibus, nostrorum nobis veniam peccatorum; et tanto Christi amore cor nostrum accende, ut ipsius divini Cordis affectibus prorsus omnes incensi, secundum Cor tuum inveniri mereamur. (Ex quodam antiquo Off. Parv. Nilles).

(1) IOANN. XVI, 2.

(2) Ad Philipp. III, 3.

CONCIO XXII.

THEMA: Et de plenitudine Eius omnes nos accepimus.

(IOANN. I, 16).

IDEA CONCIONIS

PROP. Cordi Iesu gratiae referendae, quia de plenitudine Eius omnes nos accepimus.

DIVISIO. I. De plenitudine paternitatis Eius, accepimus vocationem; II. De plenitudine sanctitatis Eius, accepimus perfectionem; III. De plenitudine auctoritatis Eius, accipimus gloriam.

PARS I. a) Iudaei acceperunt ab Eo vocationem ad populum Dei efformandum; b) Gentiles ad Ecclesiam constituendam; c) Iusti ad status perfectiores sequendos.

PARS II. Accipimus ab Eo perfectionem; a) Mediante doctrina; b) Gratia; c) Exemplo.

PARS III. Per Eum accipimus gloriam: a) Est enim Dominus gloriae ratione et divinae et humanae naturae; b) Et est adeptor gloriae sibi et nobis.

Exordium. Quod de gloria Domini, quam omnes creaturae laudant, quia omnes de ea et cum ea aliquid participant, scribit propheta; nos de SS. Corde Iesu cantare valemus una voce, dicentes: « A summo coelo egressio eius, et occursum eius usque ad summum eius; nec est qui se abscondat a calore eius » (1). Nam revera, a summo coelo oriens, e sinu, nempe, aeterni Patris, Verbum divinum in tempore humanatum, semper per summum coelum iter fecit;

(1) Psalm. XVIII, 7.

tum quia, susceptione humanae naturae, nullum in divina passum est detrimentum, tum quia, sanctitate ipsius humanae naturae, omnes homines et angelos superavit: tum denique, quia in hominibus degens, una cum Patre Deo vivebat, splendoribus gloriae eius circumamictum. Hinc est, quod non sit, qui se abscondat a calore, idest, a potestate, auctoritate et beneficentia eius, ad similitudinem solis in altissimo firmamento coeli refulgentis. Nulla namque creatura umquam fuit, nec erit, quae lucem vel ardore huius Cordis non participet, sicut nihil in natura lucidum, nihil calidum, quod a sole non oriatur, qui est causa omnis lucis et caloris. Et per hunc modum de plenitudine Cordis Iesu omnes nos accepimus; unde haec a me stabilitur

Propositio. *Cordi Iesu gratiae referendae, quia de plenitudine eius omnes nos accepimus.*

Triplici potissima plenitudine, quoad nos, Iesus Christus apparuit mundo circumdatus, ad modum triplicis aurei diamantis. Prima fuit plenitudo paternitatis; secunda, plenitudo sanctitatis; tertia, plenitudo auctoritatis; et ex unaquaque earum, nos mortales et infirmi speciale donum eramus consequuturi. Nam de plenitudine paternitatis, vocationem, de plenitudine sanctitatis, perfectionem, et de plenitudine auctoritatis, gloriam; ut enim ait S. Petrus Chrisologus: «Christus venit suscipere infirmitates nostras et suas nobis conferre virtutes; humana quaerere, praestare divina; accipere iniurias, dare dignitates: ferre taedia, deferre sanitates; quia medicus, qui non fert infirmitates, curare nescit; et qui non fuerit cum infirmo infirmatus, infirmo non potest conferre sanitatem» (1). Quia ergo triplicem sustentabamus infirmitatem, discessum nempe a Deo, lapsum in peccatum, et exclusionem a regno coelesti, singulis ita optima medicamenta opposuit, ut a discessu divino per vocationem, a lapsu, per sanctitatem, ab exclusionem e coelo per suam auctoritatem nos liberaret.

(1) *Sermon. L.*

Divisio. Ideo brevius: Cordi Iesu referendae gratiae, quia de plenitudine eius: I. *Accepimus vocationem*; II. *Accipimus sanctitatem*; III. *Accipimus gloriam*.

PARS I. — ACCÉPIMUS VOCATIONEM.

De plenitudine paternitatis Christi, accepimus vocationem. Quia misit Deus Filium suum in mundum, non ut iudicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum, praeter paternitatem sibi propriam, ratione divinae naturae, Eum Deus Pater plena auctoritate donavit, etiam in quantum est homo, de qua loquens aiebat: «Omnia mihi tradita sunt a Patre meo» (1); accepit enim, ut homo et secundum formam servi eam, quam ab aeterno habet ut Deus auctoritatem. Accepit ergo, etiam ut homo, paternitatem super omnes homines. Nam super illud: «sicut dedisti ei potestatem omnis carnis» (2), legitur: «siquidem ei ut homini et omnium hominum Redemptori, daturum te promisisti potestatem in omnes homines, ut omne quod dedisti ei, det eis, vitam, scilicet, aeternam, id est omnibus electis secundum propositum voluntatis tuae, quos illi dedisti in peculium utpote ab eo redemptos et omni benedictione spiritali in coelestibus per ipsum et in ipso repletos» (3). Proprium autem paternitatis est, sicut in natura filios procreare, ita in gratia generare et nutrire.

Quam Christi paternitatem Apostolus sic praedicavit: «Et omnia (Deus Pater) subiecit sub pedibus eius; et ipsum dedit caput supra omnem ecclesiam, quae est corpus ipsius et plenitudo eius, qui omnia in omnibus adimpletur» (4); a capite enim, vitam omnia desumunt membra, et ab anima corpus habet operationem et esse. Hac ergo suprema paternitate praeditus, venit Christus vocare omnes; et merito ipsius, Abraham

(1) MATTH. XI, 27.

(2) IOANN. XVII, 2.

(3) NAT. ALEX. in Ioann. XVII.

(4) Ephes. I, 22, 23.

caeterique antiqui iusti vocati sunt et electi. Unde: de plenitudine paternitatis eius

a) Iudaei acceperunt vocationem ad populum Dei efformandum. En modus. Dixit Dominus Abraham: «Egredere de terra tua, et de cognatione tua, et de domo patris tui, et veni in terram quam monstravero tibi. Faciamque te in gentem magnam, et benedicam tibi, et magnificabo nomen tuum, erisque benedictus. Benedicam benedicientibus tibi, et maledicam maledicentibus tibi, atque in te benedicentur universae cognationes terrae» (1). Terra promissa Abrahamo, fuit regio Iudaeorum, ut ait martyr Stephanus: «Et inde postquam mortuus est pater eius transtulit illum in terram istam, in qua nunc vos habitatis» (2). Gens magna fuit populus, sive natio Iudaeorum, ut ait D. Petrus in secunda concione Hierosolymis facta: «Deus Abraham et Deus Isaac et Deus Iacob, Deus patrum nostrorum glorificavit Filium suum Iesum» (3). Et semen Abrahae, in quo omnes gentes benedicentur, secundum divinum eloquium, erat Christus, iuxta Apostolum: «Abrahae dictae sunt promissiones et semini eius. Non dicit: in seminibus quasi in multis, sed quasi in uno: Et semini tuo, quod est Christus» (4). Quia ergo nec ante, nec post Christum ullus, nisi merito ipsius iustificatur, en quomodo de plenitudine eius Iudaei acceperunt vocationem ad populum Dei efformandum.

b) Gentiles ad ecclesiam constituendam. De Messia praedictum fuerat: «Ecce dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terrae» (5). Hanc ipse Christus vocationem praedixit Iudaeis: «Dico vobis quia auferetur a vobis regnum Dei et dabitur genti facienti fructus eius» (6). «Dico autem vobis quod multi ab Oriente et Occidente ve-

(1) Gen. XII, 1, 2, 3.

(2) Act. Apost. VII, 4.

(3) Act. Apost. XIII, 13.

(4) Ad Gal. III, 16.

(5) Isai. XLIX, 6.

(6) MATTH. XXI, 43.

nient et recumbent cum Abraham et Isaac et Iacob in regno coelorum: Filii autem regni eiicientur in tenebras exteriores» (1). Hac auctoritate apostolis imperavit: «Euntes, docete omnes gentes» (2). Hac auctoritate, cuius vos administratos, vicarios ac legatos constituo, a me missi ite, non in Iudaeam solum, ut prius, sed in mundum universum; docete omnes gentes, institute in doctrina fidei, quam a me accepistis, non Iudaeos tantum, sed omnium gentium homines. Hanc Paulus primus nuntiavit: «Vobis (Iudaeis) oportebat primum loqui verbum Dei; sed quoniam repellistis illud, et indignos vos iudicatis aeternae vitae, ecce convertimur ad gentes» (3).

c) Iusti ad statum perfectiorem amplectendum. Equidem Christus omnes vocavit, quia omnes perierant; sed specialius quosdam, velut Apostolos ad opus ministerii, assumpsit. Similiter ex fidelibus quosdam ad status perfectiores vocavit, opera consilii commendans, quae utpote talia, non omnibus obligant, ut ait S. Thomas: «Haec est differentia inter consilium et praeceptum, quod praeceptum importat necessitatem, consilium autem in optione ponitur eius, cui datur» (4). Haec autem consilia tria praecipua enumerantur, iuxta triplex genus bonorum, ad usum vitae humanae spectantia; consilium scilicet paupertatis, continentiae et obedientiae. Bonorum enim, dicit D. Ioannes, quaedam pertinent ad concupiscentiam carnis, deliciae scilicet carnis; quaedam vero ad concupiscentiam oculorum, seu divitiae exteriorum bonorum; quaedam autem ad superbiam vitae, veluti honores (5). «Haec autem tria penitus relinquere, et his etiam secundum affectum totaliter renuntiare, ad consilia evangelica pertinet. In quibus etiam tribus fundatur omnis religio, quae statum perfectionis profitetur; nam divitiae abdicantur per paupertatem; deliciae carnis, per per-

(1) MATTH. VIII, 11, 12.

(2) MATTH. XXVIII, 19.

(3) Act. Apost. XIII, 46.

(4) I, II, q. CVIII, a. 4.

(5) I Epist. c. II, v. 16.

fectam castitatem: superbia vitae, per obedientiae servitutem » (1).

Nunc autem, quod a Christo hanc vocationem accepimus, patet. Ad statum perfectae continentiae, cum ait: « Sunt eunuchi qui seipsos castraverunt propter regnum coelorum. Qui potest capere capiat » (2). Ad perfectionem paupertatis inquit: « Vade, vende quae habes, et da pauperibus » (3). Ad perfectam obedientiam, dicens: « tollat crucem, et sequatur me » (4); et: « veni, sequere me » (5).

PARS II. — ACCIPIMUS SANCTITATEM.

De plenitudine sanctitatis Christi accipimus perfectionem. Tria sunt quibus ad sanctitatem promovemur; doctrina scilicet, gratia et exemplo: doctrina per modum enuntiationis; gratia per modum interioris auxilii: exemplo per modum externi incitamenti.

Plenitudinem doctrinae Christi probavimus supra (vide conc. XVIII et XIX), admirando Cor Iesu plenum thesaurorum sapientiae et scientiae. Plenum gratia et sanctitate consideravimus Cor Iesu (conc. X), velut iustitiae receptaculum. Plenum virtutibus, exemplar factum est nobis, ubi de eo, veluti de abyso virtutum omnium disseruimus (conc. XIV). Unde de plenitudine sua accipimus

a) doctrinam, seu veritatem. Quam plenitudinem annuntians, ait D. Ioannes: « Et vidimus Eum (idest Verbum caro factum) plenum gratiae et veritatis » (6); idest plenum gratia in operibus suis mirabilibus, et plenum veritate in sapientia verborum oris sui. Cuius quidem sapientiae, plene participes facti sumus, ipso teste: « Omnia quaecumque audi

(1) D. THOM. I, II q. CVIII, a. 4.

(2) MATTH. XIX, 12.

(3) MATTH. XIX, 21.

(4) MATTH. XVI, 24.

(5) MATTH. XIX, 21.

(6) I, 14.

a Patre meo, nota feci vobis » (1). Ideo super illud « plenum... veritatis », scribit Nat. Alex.: « plenus veritate, quam nos docuit ut Magister, et qua legis ceremonias implevit ». Unde communiter ab ipsis Iudaeis Magister appellabatur: « Magister, scimus quia verax es » (2). Ipse se magistrum nominat: « Si ergo ego lavi pedes vestros, Dominus et Magister » (3). « Vocatis me: Dominus et Magister, et bene dicitis; sum enim ».

b) Deinde gratiam. Vidimus enim eum plenum gratiae. « Plenum gratiae, quia Spiritum Sanctum eiusque dona sine mensura accepit. Plenum gratiae, gratum facientis et gratis datae; plenum gratiae, quam in nos effudit abunde. Plenum gratiae, qua nos a maledicto legis liberavit, nosque Deo per mortem suam reconciliavit... Plenum gratiae et veritatis, quia complementum est promissionum omnium, quae originem suam ex gratia, seu misericordia Dei habuerant, et veritatis omnium figurarum » (4). Et quia plenus erat, ut inde omnes acciperemus, ideo de suae gratiae plenitudine, omnes participamus. « Ex plenitudine gratiae Christo inexistente, inquit S. Evangelista, omnes nos qui in ipsum credimus, gratiam fidei, remissionis peccatorum, iustitiae, dona Spiritus S. accipimus, pro mensura donationis eius, qui plenitudinem illam habuit ut eam ceu caput in membra sua effunderet » (5). Ipse enim, ait Apostolus: « est caput corporis Ecclesiae, qui est principium, primogenitus ex mortuis; ut sit in omnibus ipse primatum tenens; quia in ipso complacuit omnem plenitudinem habitare, et per eum reconciliare omnia in ipsum, pacificans per sanguinem crucis eius sive quae in terris, sive quae in coelis sunt » (6).

c) Tandem accipimus exemplum. In omnibus enim quae praecepit, fideles suos anteit; non solum quia vita et

(1) IOANN. XV, 15.

(2) MATTH. XXII, 16.

(3) IOANN. XIII, 14.

(4) NAT. ALEX. in Ioann. I, 14.

(5) NAT. ALEX. in Ioann. I, 16.

(6) Ad Coloss. I, 18, 19.

moribus sanctus, non solum quia ardua et difficilia virtutum aggressus, sed quia prius operatus est, quam docuit: « Coepit Iesus facere et docere » (1). Parum ergo erat (Christo) hortari Martyres verbo, nisi prius firmaret exemplo. (S. August. super Psalmos; in Officio maioris hebdomadae). Notate obiter triginta annorum spatio, vitam obscuram duxisse; tres novissimos praedicationi dedisse; quo significatur facto, exempla sexcenta praebuisse. Ideo: « exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita et vos faciatis » (2). « Exempla sublimia, quibus ad modum lucis solaris in altissimo firmamento irradiantis, omnes penitus gressus hominum in viam rectam dirigit, illuminat, ac pandit ea, quae sufficerent imitationi et sequelae, etsi per hypotesim coelestis eius doctrina non extaret. Unde: « si mihi non vultis credere, operibus credite » (3). Quasi diceret: si divinitati, doctrinae et praeceptis simul ac consiliis, quae praedico, non vultis fidem habere, attendite facta, quae divinitatem et sapientiam ac sanctitatem alte propugnant, ut in me credatis.

PARS III. — ACCIPIEMUS GLORIAM.

De plenitudine auctoritatis eius accipiemus gloriam. Quia Christi auctoritas, utpote suprema, usque ad coelos pertingit: « data est mihi omnis potestas in coelo et in terra » (4); non per alium, quam per eum, electi ingressum in coelum consequentur: « Nemo venit ad Patrem, nisi per me » (5). Idest: « Ego do vitam aeternam, ad eam homines morte et resurrectione introduco. Nullus ad eam pervenit nisi per me, quatenus Mediatorem et Redemptorem; nemo, nisi mihi et in me credat, nemo nisi me docente, ducente, et operante » (6).

(1) Act. Apost. I, 3.

(2) IOANN. XIII, 15.

(3) IOANN. X, 38.

(4) MATTH. XXVIII, 18.

(5) IOANN. XIV, 6.

(6) NAT. ALEX. hoc loc.

a) Est enim Dominus gloriae, tum ratione divinae naturae, quam ut Deus ab aeterno habet; unde sicut Pater, quia Deus est, Dominus est; ita Christus, qui Filius Dei Patris est, etiam, secundum naturam divinam, Dominus gloriae est; tum ratione humanae naturae, secundum quam Pater suscitavit illum a mortuis, « constituens illum ad dexteram suam in coelestibus, supra omnem principatum et potestatem et virtutem et dominationem, et omne nomen, quod nominatur, non solum in hoc saeculo, sed etiam in futuro » (1).

b) Deinde habet hanc in gloria plenam auctoritatem quia est adeptor gloriae, sibi et nobis.

Sibi quidem; quia de morte et auctore mortis triumphans luctamine passionis, gloriam resurrectionis et triumphum gloriae meruit; unde videmus eum « propter passionem mortis, gloria et honore coronatum » (2). Et nobis: nam, ut scribit S. Leo, per eum « non solum paradisi possessores firmati sumus, sed etiam Coelorum in Christo superna penetravimus; ampliora adepti per ineffabilem Christi gratiam, quam per diaboli amiseramus invidiam. Nam quos virulentus inimicus primi habitaculi felicitate deiecit, eos sibi incorporatos Dei Filius ad dexteram Patris collocavit » (3).

Unde: *data est mihi omnis potestas*. Idest: data est mihi a Patre, tamquam victori mortis et hominum redemptori, summa auctoritas, summum imperium, super omnem creaturam; quam habui ab aeterno ut Deus, et ut homo ab incarnatione; quam quidem auctoritatem, ut homo et ut Deus, nunc in coelo plenissime exercet, malos perdendo et bonos in vitam aeternam transferendo.

Consequentia. Ergo Cordi Iesu referendae sunt gratiae, a quo tanta bona suscipimus: ut enim scribit D. Thomas: « manifestum est quod benefactor, in quantum huiusmodi, est causa beneficiati; et ideo naturalis ordo postulat, ut ille,

(1) Ad Eph. I, 20 et seq.

(2) Ad Hebr. II, 9.

(3) Serm. I de Ascens. Dom.

qui suscipit beneficium, per gratiarum recompensationem convertatur ad benefactorem » (1); semper enim oportet quod effectus ordinetur ad finem agentis. In quantum autem Cor Iesu est pater noster, ab eo suscipimus novum esse filiorum; in quantum est sanctissimum, nova forma ab ipso induimur; ex hoc, quod summae auctoritatis est, ad finem supernaturalem et vocat et evehit. Quia ergo, esse filii Dei, et sanctificari per Filium naturalem, et consortes fieri gloriae, sunt bona quae omnem existimationem excedunt, en quare Cordi Iesu referendae sunt gratiae operibus bonis, dando illi honorem, et confitentes ore ad salutem, ut a nobis et sit confessio et magnificentia in conspectu Eius, *semper gratias agentes Deo Patri per Ipsum.*

Affectus. O Sanctissimum Cor Iesu! Quid retribuam tibi pro omnibus quae retribuisti mihi? Cor, Dei sanctitate plenum, Dei amore incensum! quid retribuam pro tanto beneficio, quo de tua plenitudine me miserum, effecisti participem? Tui cognitionem per fidem, accessum ad Te per vocationem, sanctitatem tuam per sacramenta, tuam carnem et sanguinem per Eucharistiam, tuum amorem per Cordis cultus revelationem, homines fragiles, mortales, peccatores participare fecisti. Etiam de tua aeterna felicitate, in gloria efficies. O mira dignatio! O tenerima amoris diffusio! O inaestimabilis divinitatis participatio!

Deprecatio. Deus, qui nobis sub Sacramento mirabili passionis tuae memoriam reliquisti, tribue quaesumus, ita nos corporis et sanguinis tui sacra mysteria venerari ut redemptionis tuae fructum in nobis iugiter sentiamus. (Ex Missa de SS. Sacramento).

(1) II^a-II^o, q. CVI, a. 3.



CONCIO XXIII.

THEMA: Benedictiones patris tui confortatae sunt benedictionibus patrum eius, donec veniret desiderium collum aeternorum.

(Gen. XLIX, 26).

IDEA CONCIONIS

PROP. Cor Iesu exoptandum, quia est desiderium collum aeternorum.

DIVISIO. I. Est desiderium totius creaturae, si literaliter sensus sumatur;

II. Est desiderium praecipue eminentium sanctorum, si symbolice accipiat.

PARS I. Est desiderium totius creaturae; seu: *A)* Iustorum, adventum eius expectantium; quia: *a)* Cognoscebant; *b)* Quia indigebant; *c)* Quia eis de Redemptore factae sunt promissiones. *B)* Est desiderium totius humanae naturae: *a)* Libertatem et gratiam expectantis; *b)* Felicitatis gaudium desiderantis. *C)* Est desiderium naturae etiam sensibilis sperantis affectu naturali: *a)* Remotionem maculae; *b)* Sanctificationem; *c)* Pulchritudinem; *d)* Quietem.

PARS II. Est desiderium eminentium sanctorum, nempe: *A)* Coelorum desiderantium: *a)* Videre; *b)* Adorare; *c)* Servire Ei. *B)* Iustorum eminentium antiquorum, scilicet: *a)* Patriarcharum; *b)* Prophetarum; *c)* Caeterorumque expectantium. *C)* Sanctorum christianorum amantissimorum cupientium: *a)* Amare; *b)* Gustare; *c)* Videre; *d)* Et amplecti.

Exordium. Cur mirandum est, omnes sanctos qui delicias Cordis Iesu gustavere semel, illius desiderio ardentius accendi, si prisci illi, praecedentibus aetatibus iusti, sola promissione adventus ipsius, magna expectatione expectavere? Et quid mirum iustos universos simul ac peccatores, rationalia ac insensibilia, angelica et humana, universa quae con-

qui suscipit beneficium, per gratiarum recompensationem convertatur ad benefactorem » (1); semper enim oportet quod effectus ordinetur ad finem agentis. In quantum autem Cor Iesu est pater noster, ab eo suscipimus novum esse filiorum; in quantum est sanctissimum, nova forma ab ipso induimur; ex hoc, quod summae auctoritatis est, ad finem supernaturalem et vocat et evehit. Quia ergo, esse filii Dei, et sanctificari per Filium naturalem, et consortes fieri gloriae, sunt bona quae omnem existimationem excedunt, en quare Cordi Iesu referendae sunt gratiae operibus bonis, dando illi honorem, et confitentes ore ad salutem, ut a nobis et sit confessio et magnificentia in conspectu Eius, *semper gratias agentes Deo Patri per Ipsum.*

Affectus. O Sanctissimum Cor Iesu! Quid retribuam tibi pro omnibus quae retribuisti mihi? Cor, Dei sanctitate plenum, Dei amore incensum! quid retribuam pro tanto beneficio, quo de tua plenitudine me miserum, effecisti participem? Tui cognitionem per fidem, accessum ad Te per vocationem, sanctitatem tuam per sacramenta, tuam carnem et sanguinem per Eucharistiam, tuum amorem per Cordis cultus revelationem, homines fragiles, mortales, peccatores participare fecisti. Etiam de tua aeterna felicitate, in gloria efficies. O mira dignatio! O tenerima amoris diffusio! O inaestimabilis divinitatis participatio!

Deprecatio. Deus, qui nobis sub Sacramento mirabili passionis tuae memoriam reliquisti, tribue quaesumus, ita nos corporis et sanguinis tui sacra mysteria venerari ut redemptionis tuae fructum in nobis iugiter sentiamus. (Ex Missa de SS. Sacramento).

(1) II^a-II^o, q. CVI, a. 3.



CONCIO XXIII.

THEMA: Benedictiones patris tui confortatae sunt benedictionibus patrum eius, donec veniret desiderium collum aeternorum.

(Gen. XLIX, 26).

IDEA CONCIONIS

PROP. Cor Iesu exoptandum, quia est desiderium collum aeternorum.

DIVISIO. I. Est desiderium totius creaturae, si literaliter sensus sumatur;

II. Est desiderium praecipue eminentium sanctorum, si symbolice accipiat.

PARS I. Est desiderium totius creaturae; seu: A) Iustorum, adventum eius expectantium; quia: a) Cognoscebant; b) Quia indigebant; c) Quia eis de Redemptore factae sunt promissiones. B) Est desiderium totius humanae naturae: a) Libertatem et gratiam expectantis; b) Felicitatis gaudium desiderantis. C) Est desiderium naturae etiam sensibilis sperantis affectu naturali: a) Remotionem maculae; b) Sanctificationem; c) Pulchritudinem; d) Quietem.

PARS II. Est desiderium eminentium sanctorum, nempe: A) Coelorum desiderantium: a) Videre; b) Adorare; c) Servire Ei. B) Iustorum eminentium antiquorum, scilicet: a) Patriarcharum; b) Prophetarum; c) Caeterorumque expectantium. C) Sanctorum christianorum amantissimorum cupientium: a) Amare; b) Gustare; c) Videre; d) Et amplecti.

Exordium. Cur mirandum est, omnes sanctos qui delicias Cordis Iesu gustavere semel, illius desiderio ardentius accendi, si prisci illi, praecedentibus aetatibus iusti, sola promissione adventus ipsius, magna expectatione expectavere? Et quid mirum iustos universos simul ac peccatores, rationalia ac insensibilia, angelica et humana, universa quae con-

dita sunt in coelo et in terra, suo unoquoque modo expectavisse, si Deum ipsum scimus, vehemens desiderium, quo de Salvatore mittendo, ut ita dicam,angebatur, iteratis promissionibus patefecisse? Statim post lapsum, Adae spem in Reparatorem erigit; et in Abraham et Isaac et Iacob semine, non semel promittit omnes tribus terrae fore benedicendas. Item, prophetarum praeconiis, qualitates Messiae venturi, ac dona per eum hominibus afferenda, praedixit. Et si supernis testimoniis addatur urgens necessitas, qua in supernaturali et in naturali ordine homines laborabant, numquid mirabimur omnes et omnia una voce clamasse: « Rorate coeli desuper, et nubes pluant iustum! aperiatur terra et germinet Salvatorem! »? (1).

Ideo; quia per revelationem cognoverunt, magna expectatione expectaverunt; et in sola spe adventus ipsius laetati sunt, dicentes cum sponsa: « Vox dilecti mei; ecce iste venit, saliens in montibus, transiliens colles » (2). Quam universalem expectationem in considerando, sequens a me statuitur

Propositio. *Cor Iesu exoptandum, quia est desiderium collium aeternorum.*

Antequam propositionem explanare conemur, conveniens est ut aliquid super eius vero sensu dicamus. Ad quod sciendum est, bis in Genesi nimirum et Deuteronomio, de collibus aeternis verba esse. Moyses enim morti proximus, tribus singulis benedicens eisque ventura praedicens, ad tribum Ioseph ait: « De benedictione Domini terra eius, de pomis coeli, et rore, atque abyssu subiacente. De pomis fructuum solis ac lunae. De vertice antiquorum montium, de pomis collium aeternorum » (3). Ubi colles aeterni, iuxta A Lapide, idem sunt ac colles antiqui; ita enim habet: « Quae poma nascentur in vertice montium priscorum, sive cacuminum aeternorum, idest qui fuerunt ab initio mundi; hoc enim est

(1) ISAI. XLV, 8.

(2) Cant. cant. 11, 8.

(3) Deut. XXXIII, 13 et seq.

quod rythmice explicans subdit: « de pomis collium aeternorum ». Innuit Moyses hos colles ab initio mundi fuisse fertiles et pomiferos » (1).

Deinde in Genesi (2) legitur quod Iacob singulis filiis benedicens, antequam moreretur, ad Ioseph perveniens ait: « Benedictiones patris tui confortatae sunt benedictionibus patrum eius, donec veniret desiderium collium aeternorum ». Quod hoc nomine *Desiderium* Christus venturus signetur, omnes unanimiter expositores conveniunt; significat namque *Desideratum*, sicut ait Aggaeus: « veniet Desideratus cunctis gentibus » (3). Quid vero significet *collium aeternorum*, exponit A Lapidem, dicens; « Christum esse omnium benedictionum complementum; ideo desideratum a tota creatura; et esse eminentium sanctorum desiderium, secundum quod vel literaliter vel symbolice illa verba sumantur » (4).

Divisio. Sic ergo SS. Cor Iesu: I. *Fuit desiderium collium aeternorum, seu totius creaturae, si literaliter sensus sumatur*; II. *Fuit et est desiderium collium aeternorum, idest eminentium sanctorum, si symbolice accipiat.*

PARS I. — COR IESU EST DESIDERIUM TOTIUS CREATURAE.

Cor Iesu fuit et est desiderium totius creaturae, si literaliter sensus sumatur.

Ad rem A Lapidem: « Desiderium collium aeternorum, puta Christus, qui omnium benedictionum et promissionum ultima est et maxima, omniumque clausula, quem proinde omnes homines, imo omnes creaturae irrationales puta, terra, mare, colles et montes, a sui initio quasi hominum redemptorem et totius universi reparatorem et reformatorem avidissime

(1) Super hoc loc.

(2) XLIX, 26.

(3) II, 8.

(4) Super hoc loc.

expectant, et affectu non rationali nec sensitivo, sed naturali intime desiderant. Est prosopopeia, similis illi qua Apostolus (1) ait, omnem creaturam ingemiscere et parturire, donec per Christum liberetur a servitute corruptionis, et transferatur in libertatem gloriae filiorum Dei » (2).

In hoc ergo sensu, Christus fuit et est desiderium collum aeternorum. Nam creatura tripliciter accipi potest (3). Homines iusti; ipsa humana natura; et creatura sensibilis; sicut enim nunc, « expectatio creaturae, revelationem filiorum Dei expectat » (4), tunc omnis creatura expectabat et desiderabat revelationem Christi venturi. Ideo in primis desiderabant eum:

A) homines iusti, qui specialiter creaturae Dei dicuntur. Vel iuxta D. Thomam (5), quia permanent in bono, in quo creati sunt, vel propter excellentiam, quia omnis creatura quodammodo eis deservit. Hi iusti desiderabant,

a) quia cognoscebant; sermo enim, est de his, quibus repromissio specialis futuri Messiae facta fuerat, sicut populus israeliticus erat; et de his, qui de hac promissione conscii facti sunt, etiamsi, sicut Iob, ad gentes pertinerent.

b) quia indigebant. Omnes et iusti et iniusti Messia indigebant; sed iusti hanc indigentiam agnoscebant potius quam gentes, ex hoc quod remedium expectabant. Unde per prophetam: « Rorate coeli desuper, et nubes pluant iustum! aperiatur terra et germinet Salvatorem! » (6).

c) quia eis, de Redemptore factae fuerunt promissiones: « Abrahae dictae sunt promissiones et semini eius ». Unde expectabant Messiam: « Ecce homo erat in Ierusalem, cui nomen Simeon..., expectans consolationem Israel; et Spiritus Sanctus erat in eo » (7).

(1) Rom. VIII, 22.

(2) In Gen. loc. cit.

(3) D. THOM. Expos. ad Rom. c. VIII, v. 19.

(4) Rom. VIII, 19.

(5) Exposit. loc. cit.

(6) Isai. XLV, 8.

(7) Luc. 11, 25.

B) Secundo, creatura dici potest ipsa humana natura, quae nata erat ad bona gratiae et gloriae; ideo expectabat adventum Christi, qui futurus erat Auctor gratiae et gloriae. Huius autem naturae supposita, quaedam iniusta, quaedam vero iusta erant; et omnia expectabant.

a) Ad naturam namque humanam pertinebant quidem iniusti, quorum natura erat quid informe, nondum enim erat per gratiam formata, ideo non iustificati; unde appetebant eam appetitu quodam naturali, sicut materia expectat formam. Et in hoc sensu, dicitur desiderium totius humanae naturae libertatem et gratiam expectantis. Unde dicitur quod est desideratus cunctis gentibus: « Veniet Desideratus cunctis gentibus » (1). « Et ipse erit expectatio gentium » (2).

b) Quidam autem ex eis erant iusti, in quibus humana natura erat iustificata per gratiam, sed non plene; nam ex parte erat formata, ex parte informis. Erat formata per gratiam quam habebant. Et erat informis, quia in illis natura erat informis respectu illius formae, quam accepturi erant per gloriam. Et ideo post Christum, dicit D. Paulus: « Expectatio creaturae revelationem filiorum Dei expectat » (3); sicut ante Christum dixerat Iob: « Scio quod Redemptor meus vivit et in novissimo die de terra surrecturus sum..., et in carne mea videbo Deum Salvatorem meum » (4).

C) Tertio potest intelligi tota creatura pro ipsa creatura sensibili, sicut sunt elementa huius mundi secundum illud: « A magnitudine speciei et creaturae cognoscibiliter poterit eorum Creator videri » (5). Haec autem elementa quatuor expectant:

a) Remotionem maculae; nam inquinata sunt peccato hominum, ex quo Domino displicent. Unde legitur quod Deus « delevit omnem substantiam, quae erat super terram ab ho-

(1) AGGEO, 11, 8.

(2) Gen. XLIX, 10.

(3) Rom. VIII, 19.

(4) IOB. XIX, 25.

(5) Sapient. XIII, 5.

mine usque ad pecus, tam reptile quam volucres coeli; et deleta sunt de terra » (1).

b) Perfectionem. « Nam expectatio creaturae sensibilis secundum quod est a Deo, ordinatur ad aliquem finem, quod quidem contingit dupliciter. Uno modo secundum quod Deus imprimit aliquam formam, seu virtutem naturalem huiusmodi creaturae, ex qua inclinatur ad aliquem finem naturalem; puta si dicamus quod arbor expectat fructificationem, et ignis expectat locum sursum » (2). Huiusmodi autem finis naturalis creaturae sensibilis, ab homine multoties immutatur, secundum illud: « Mutaverunt ius, dissipaverunt foedus sempiternum » (3).

c) Tertio expectat pulchritudinem. Audi D. Thomam (4): « Alio modo creatura sensibilis ordinatur a Deo ad aliquem finem, qui superexcedit formam naturalem ipsius. Sicut enim humanum corpus induetur quadam forma gloriae supernaturalis, ita tota creatura sensibilis, in illa gloria filiorum Dei, quamdam novitatem gloriae consequetur secundum illud: « vidi coelum novum, et terram novam » (5).

d) Et tandem expectat quietem. Nam, agens de qualitate mundi post iudicium, asserit D. Thomas (6) motum coeli cessaturum, secundum illud: « non occidet ultra sol, et luna tua non minuetur » (7). Unde de motu coelestium corporum, quietem perfectam expectantium, agit etiam D. Paulus dicens quod omnis creatura ingemiscit et parturit usque adhuc. Nunc autem quia remotionem maculae, et perfectionem et pulchritudinem et quietem per Christum erant et sunt consequutur, ideo omnis creatura sensibilis expectabat adventum Christi, et expectat etiam nunc adventum gloriae: ideo « expectatio creaturae revelationem filiorum Dei expectat ».

(1) Gen. VII, 23.

(2) THOM. ad Rom. VIII, 19.

(3) ISAI. XXIV, 5.

(4) Expos. in Paulum eod. loc.

(5) Apoc. XXI, 1.

(6) Summ. Theol. Suppl. q. XCI. a. 2.

(7) ISAI. LX, 20.

PARS II. — COR IESU EST DESIDERIUM EMINENTIUM SANCTORUM.

Gressum faciamus, perscrutantes alium sensum, symbolicum nempe, meae propositionis. Nam Cor Iesu fuit et est desiderium eminentium sanctorum, si symbolice sensus accipiat, ut supra dictum est.

Sancti, cuiuscumque temporis sive status fuerint, semper Christum expectaverunt; unde, claritatis gratia, dico Christum fuisse desiderium coelorum; eminentium iustorum antiquorum; sanctorum christianorum eminentissimorum.

a) Et primo fuit desiderium coelorum; idest angelorum in coelo commorantium, quorum est caput: « qui est caput omnis principatus et potestatis » (1); « quia propinquius se habet ad Deum et perfectius participat dona ipsius, non solum quam homines, sed etiam quam angeli: et de eius influentia non solum homines recipiunt, sed etiam angeli » (2). Unde Apostolus dicit quod Deus Pater « constituit eum ad dexteram suam in coelestibus, supra omnem Principatum et Potestatem, et Virtutem et Dominationem » (3). Propterea desiderabant videre Eum, a quo, et per quem tantam gloriam accidentalem erant consequuturi. Ideo per Prophetam aiebant: « Quis est iste qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra? Iste formosus in stola sua, gradiens in multitudine fortitudinis suae » (4). Expectabant eum, ut facie ad faciem adorarent, implentes Patris mandatum; « et adorent Eum omnes angeli Dei » (5). Et sperabant tandem deservire; « et angeli accesserunt et ministrabant ei » (6).

b) Fuit vehemens desiderium iustorum antiquorum. Pa-

(1) Coloss. II, 10.

(2) Summ. Theol. D. THOM. part. III, q. VIII, c. 4.

(3) Ad Eph. I, 21.

(4) ISAI. LXIII, 1.

(5) Hebr. I, 6.

(6) MATTH. IV, 11.

triarchae expectabant, clamantes cum Iacob: «Salutare tuum expectabo, Domine» (1).

Moyses expectabat, orando Dominum, ut eum cito mitteret: «Obsecro, Domine, mitte quem missurus es» (2).

Prophetae expectabant clamantes, sicut Isaias: «Utinam dirumperes coelos et descenderes» (3): et sicut David: «Excita potentiam tuam et veni ut salvos nos facias» (4): «Inclina coelos tuos, et descende» (5).

Sicut patriarchae et prophetae et reges, omnes iusti, Iusti adventum sperabant, ut legitur de Simeone et Anna (6).

c) Fuit tandem semper desiderium sanctorum christianorum eminentissimorum, cupientium ardentius amare, sicut S. Gertrudes, quae sic Dominum deprecabatur: «Ecce, Domine, cor meum abstractum ab omni creatura integra voluntate offero tibi, orans, ut abluas illud in virtuosa aqua SS. Lateris tui, et decentissime exornes illud in pretioso sanguine dulcissimi Cordis tui, ac tibi convenientissime coaptas illud in aromatico vapore divini amoris tui» (7). Cupientium degustare, sicut S. Bonaventura, qui aiebat: «Surge, amica Christi, esto sicut columba nidificans in summo ore foraminis: ibi ut passer invenies domum; vigilare non cesses; ibi, tamquam turtur casti amoris, pullos absconde, ibi os appone ut haurias aquas de fontibus Salvatoris» (8). Desiderantium videre, ad similitudinem D. Pauli dicentis: «Cupio dissolvi et esse cum Christo» (9). Vel optantium amplecti, sicut D. Bernardus: «Quis illud Cor tam vulneratum non diligat? Quis tam amantem non redamet? Quis tam castum non amplectatur?».

(1) Gen. XLIX, 18.

(2) Exod. IV, 13.

(3) LXIV, 1.

(4) Psal. LXXIX, 3.

(5) Psal. CXLIII, 5.

(6) Luc. II.

(7) Lib. III de Insinuat. de pietat. c. XXVI.

(8) Tom. I in ligno vitae.

(9) Philipp. I, 23.

Consequentia. Ergo Cor Iesu exoptandum; superavit enim desideria patrum; superat etiam et desiderium nostrum. Per illud namque non solum ab abyssis peccati et mortis, in quibus cecideramus, educti fuimus, et a vinculis quibus eramus constricti, fuimus liberati; non solum ad pristinum amicitiae statum revocati; sed ad fruitionem gratiae et lucis supernaturalis evecti. Illi exoptabant, quem unice per visum noscebant, nos a fortiori exoptemus quem per visum agnoscimus, per consolationes degustamus, per charitatem possidemus, et quem Eucharistia intime complectimur. Vehementer optemus, ut aliquantulum degustemus, et degustando satureremur; nam saepe «quia gustare intus nolumus paratam dulcedinem, amamus foris miseri, famem nostram» (1).

Affectus. O Cor placidissimum Iesu! Merito amicis, tui dulcedinem appetentibus, dicis: «dilata os tuum, et implebo illud» (2): non modo enim es, omne desiderium, sed totius desiderii complementum. O Cor, Oriens, splendor lucis aeternae! O Cor, Desiderium collum aeternorum! O Cor, Rex gentium et Desideratus earum! O Cor, lapis angularis, qui facis utraque unum! Doce me terrena despicere et amare coelestia. Compelle ad te omne desiderium meum. Fac ut nihil sapiam, nisi te: nihil quaeram, praeter te; in nullo mihi placeam nisi in te.

Deprecatio. Deus, qui fidelium mentes unius efficis voluntatis, da populis tuis id amare, quod praecipis, id desiderare quod promittis; ut inter mundanas varietates, ibi nostra fixa sint corda, ubi vera sunt gaudia. (Dominica IV post Pascha).

(1) S. GREGOR. PAP. Homil. XXXVI in Evang.

(2) Psalm. LXXX, 11.





CONCIO XXIV.

**THEMA: Dominus patiens,
et multae misericordiae.**

(Num. XIV, 18).

IDEA CONCIONIS

PROP. Cum Corde Iesu sustinendum, quia patiens est.

DIVISIO. Compatitur: I. In bello, quod undique adversus Ecclesiam consurgit; II. In malis, quae homines ubique circumstant; III. In poenis quas sui carissimi sustinent.

PARS I. a) In capite; b) In doctrina; c) Et in membris.

PARS II. Quae mala proveniunt: a) A carnis concupiscentia; b) Ab hostis maligni incitamentis; c) A mundi praepotentia et vi.

PARS III. Hominum vero: a) Alii laborant tepiditate; b) Alii vero siccitate; c) Nonnulli tandem temptationum et affectuum sensibilibus tempestate.

Exordium. Levis momenti, in hac thesi conscribenda, occurrit dubium, quod expositione indiget. Materia enim, de qua agitur, iuxta sensum litteralem deprecationis, est patientia Cordis Iesu. Sed non, ut mihi videtur, de patientia stricte sumpta, quae consistit in adversis tolerandis, sed potius de compassione, quasi dicamus: Cor Iesu esse compatiens nostri. Ratio quare non agitur de patientia in quantum est voluntaria ac diuturna perpassio rerum arduarum et difficilium, ut ait Tullius, est, quia infra, Cor Iesu vel saturatum opprobriis (Conc. XXX), vel attritum propter scelera nostra (Conc. XXXI), vel usque ad mortem obediens factum (Conc. XXXII) late considerabimus.

Rationes autem, quibus nitimur, ut agamus hic de compassione, potius quam de patientia proprie dicta, duo praeicipuae sunt. Prima; quia in multis S. Scripturae locis, Dominus Deus vocatur patiens et multum misericors, haud aliter ac si misericordia sit effectus quidam compassionis eius, et quasi idem sonet patiens ac compatiens. Altera sumitur a probatissimis auctoribus, qui sicut P. Gautrelet S. I. (1) pertractant consecutive compassionem et misericordiam SS. Cordis.

His ergo praenotatis, agemus de patientia, sensu exposito, idest de compassione, sequentem stabilientes

Propositionem. *Cum Corde Iesu sustinendum, quia patiens est.*

Etsi innumera S. Scripturae testimonia, infinitam Dei et SS. Cordis Iesu erga nos compassionem, et verbis et exemplis, apertissime non comprobarent, ex ipsa charitatis notione et ex vi amoris, quo erga nos ardet, ut vidimus supra (Conc. XI et XIII), iam eruitur quod malis nostris supramodum compatiatur. Altera enim inter virtutes, quae velut effectus interni a charitate procedunt est compassio, qua compellimur alienae miseriae subvenire, et tunc misericordia nuncupatur. Ideo alter ex characteribus charitatis, iuxta D. Paulum, est quod « non gaudet super iniquitate » (2), sed potius de ipsa dolet, ut exponit Angelicus: « Vel dicit quod charitas non gaudet super iniquitate, scilicet, a proximo commissa, quinimo de ea luget, in quantum contrariatur proximorum saluti quam cupit » (3). Et haec est propria compassionis notio, iuxta vim vocis: pati cum patiente; seu « non desis plorantibus in consolatione » (4).

Quam quidem compassionem habet Cor Iesu:

Divisio. I. In bello, quod undique adversus Ecclesiam consurgit; II. In malis, quae homines ubique circumstant; III. In poenis, quas sui carissimi sustinent.

- (1) Mes del S. Corazon dias 31 y 32.
- (2) I Corinth. XIII, 6.
- (3) Expos. in hunc loc.
- (4) Eccl. VII, 38.

PARS I. — COR IESU COMPATITUR IN BELLO
ADVERSUS ECCLESIAM.

Dicitur Ecclesia sponsa Christi: « veni et ostendam tibi sponsam uxorem Agni » (1): quae, sicut Heva a latere Adami dormientis, a latere eius divino processit. « Salvator, emisso in cruce iam spiritu, sustinuit perforari latus suum, ut inde, sanguinis et aquae profluentibus undis, formaretur unica et immaculata, ac virgo, sancta mater Ecclesia sponsa sua » (2). Et S. Augustinus: « Hic secundus Adam, inclinato capite, in cruce dormivit, ut inde formaretur ei coniux, quae de latere dormientis effluxit » (3). Ideo tamquam sponsam Christus Ecclesiam diligit, ut ait D. Paulus: « viri, diligite uxores vestras, sicut et Christus dilexit Ecclesiam et semetipsum tradidit pro ea » (4). Dilexit eam velut sponsam, et in huius dilectionis argumentum, tradidit semetipsum pro ea, ut mundaret et sanctificaret; lavacrum enim hoc et mundatio virtutem habet a passione eius. Decebat namque quod sponsus immaculatus sponsam haberet immaculatam; unde totum factum fuit, ut exhiberet sibi gloriosam Ecclesiam non habentem maculam (5).

His praenotatis, quivis, etsi rudis, capiet quanto dolore afficiet Cor Iesu adversa, quibus undique Ecclesia afficitur: quae quidem constantia sunt et acerbissima, iuxta praedictum: « si me persecuti sunt, et vos persequentur » (6). Nam modo est persecutio cruenta, martyrum corpora trucidans: modo autem haeresis insaniens et contra eius magisterium assurgens: nunc schisma lacrimabile, vestem nuptialem misere scindens: nunc vero probrosa morum relaxatio audacter faciem eius

- (1) Apoc. XXI, 9.
- (2) Serm. INNOCENT. VI in Decret. de fest. lunc. et clav.
- (3) Tract. c. XX in Ioann.
- (4) Ad Ephes. V, 25.
- (5) Exposit. D. THOM. v. 27.
- (6) IOANN. XV, 20.

deturpans. Et quasi aetas nostra contenderet tempora praeterita criminose superare, et omnibus simul iniuriis, quondam illatis, uno impetu percutere, odio prosequitur adversus eam diabolico et quam acerbissime percutit in capite, in doctrina et in membris.

a) In capite visibili dicam, in Romano nempe Pontifice qui regno temporali expoliatus, mendicato vivens, in servitutem physicam redactus, a suis sociis in custodia pacti penitus derelictus, bellum infensissimum sustinet, cui cederet, in quo abs dubio languesceret, a quo certo superaretur, nisi coelitus, iuxta illud Exodi, firmaretur: « ego ero tecum » (1). Si ergo passiones nostrae passiones sunt Christi, qui est caput; passiones Pontificis, passiones sunt intimae Cordis Iesu, cuius vicem gerit, super quem ad modum petrae firmissimae, fundavit Ecclesiam, cui soli competit in nomine eius, fratres suos in fide confirmare: « Et tu aliquando conversus, confirma fratres tuos » (2).

b) Aliud belli genus sustinet Ecclesia quoad doctrinam. Olim haereses unum vel aliquos fidei determinatos articulos impugnabat. Nunc vero, omnes simul respuit, in integram revelationem pugnat a liberalismo moderno, cuius formula est: libera cogitatio, soluta ab omni auctoritate divina: cuius praxis est vitiorum procax et effrena dominatio in moribus; cuius finis est exclusio cuiuscumque religionis ab omnibus socialibus institutionibus, adeo ut religio non sit nisi libera res individuorum: cuius fructus sunt matrimonium civile, divortium, scholae laicae, publicae beneficentiae opera a dispensatione ministrorum Christi oblatae, et ita porro (3).

c) Tandem bellum in membris suis sustinet vel simul sumptis, sicut hodie adversus tribum sacerdotalem et familias religiosas, sive adversus societatem domesticam dire infertur: vel private contra ipsum individuum: et ita homines oppugnant omnia quae Christi sunt *velamen malitiae habentes libertatem*, ut ait Apostolus. Et revera: simillima videntur nostra,

(1) III, 12.

(2) Luc. XXII, 32.

(3) Vide DEL VECCHIO, T. I, n. 872.

illis temporibus quae Ieremias lamentabatur propter desolationem civitatis et ruinam templi et regionis vastationem, exclamans: « Oblivioni tradidit Dominus in Sion festivitatem et sabbatum: et in opprobrium et in indignationem furoris sui, regem et sacerdotem » (1). Sacerdotes namque nostri non auscultantur Verbum Dei annuntiantes, non adhibetur reverentia ministris Christi debita, nullus mos geritur eis sive consilientibus, sive admonentibus, non redamantur beneficientes. Imo potius in angustiore statu quotidie rediguntur, cinice iridentur, furente vexantur, dum a pueris edocendis et ab agonizantium lectulis et a nuptiis benedicendis repelluntur, avertente eos, societate impia, proterva, blasphema et athea, et ipsis populorum rectoribus qui religiosos in exilium propellunt, qui sacris Domini Virginibus nullum munimen praestant, qui totam Ecclesiam velut civitatem sine muro ponunt, qui societatem domesticam et individuum dissolvunt vel conantur perturbari libris editis libere adversus fidem catholicam, imaginibus obscenis, theatris immoralibus, academiis irreligiosis, concionibus publicis ordinem subvertentibus, et tot impune, immo cum laude publica, erectis congregationibus vitiosis et tot protectis antris turpitudinum et impudicitiae quae ubique pullulant.

PARS II. — COR IESU COMPATITUR IN MALIS QUAE HOMINES CIRCUMSTANT.

Secundo, Cor Iesu compatitur in malis, quae sic generatim sumptis, homines ubique circumstant. « Flebam quondam super eo, qui afflicto erat, et compatiebatur anima mea pauperi » (2); pauperes enim, ex hoc quoad homines, sumus: « pauper sum ego et in laboribus a iuventute mea » (3). Ideo de Iesu compatiente legitur: « non enim habemus pontificem, qui non

(1) Thren. II, 6.

(2) Iob. XXX, 25.

(3) Psalm. LXXXVII, 16.

possit compati infirmitatibus nostris» (1). Super quod D. Thomas: «Sciendum est autem quod *ly* posse aliquando importat, non nudam potentiam, sed promptitudinem et aptitudinem Christi ad subveniendum. Et hoc quia scit per experientiam, miseriam nostram, quam, ut Deus, ab aeterno scivit per simplicem notitiam. Unde subdit: (Apostolus) «pro similitudine, scilicet nostri, tentatus per omnia, absque peccato» (2). Ratio ergo qua compatiens est nostri, sumitur ab experimento, quod de malis nostris sustinuit, peccato excepto. Ideo tentatus per omnia. Ex hac ergo D. Thomae expositione synopsim malorum nostrorum eruemus, quibus Cor Iesu compatitur, quaeque ad tria potissimum capita reducuntur:

a) Quaedam enim, a carne proveniunt, quando scilicet caro concupiscit adversus spiritum. Et ista non sine peccato sunt: quia, ut dicit Augustinus «nonnullum peccatum est cum caro concupiscit adversus spiritum, quia hoc est carnem concupiscere». Nota: Potest porro vitium esse non peccatum; quia vitium dicit proclivitatem ad peccandum, ex qua non semper necesse est peccatum sequi. Sed peccatum supponit D. Thomas, quia, hoc ipso quod concupiscit caro, inordinatus aliquis motus intelligitur. Haec tentatio quae in Christo non fuit, est in homine quia caro est; et haec insidiatur animae, excruciat eam, et aggravat: «corpus enim quod corrumpitur aggravat animam» (3). Hostis terribilissimus, quia domesticus, quia necessarius; qui nisi fortiter superetur et in servitutem redigatur, subito irrumpit et vorat.

His ergo malis miseretur Cor Iesu, dicente Propheta: «Quomodo miseretur pater filiorum, misertus es Dominus timentibus se, quoniam ipse cognovit figmentum nostrum. Recordatus est quoniam pulvis sumus» (4). Mementote quia Samaritanam circa puteum expectavit, adulteram absolvit, Magdalenae peccatrici indulsit.

(1) *Hebr.* IV, 15.

(2) *Exposit.* in hunc loc.

(3) *Sapient.* IX, 15.

(4) *Psal.* C. II, 13, 14.

b) Alia vero procedunt ab hoste maligno, nos ad delectabilia, sed vetita, alliciendo. Ita tentatus fuit Christus quia allectus delectabilibus. Quidquid enim pertinet ad prosperitatem huius vitae, vel pertinet ad concupiscentiam carnis, vel ad concupiscentiam oculorum, vel ad superbiam vitae. De primo tentavit eum diabolus, quando eum de gula tentavit, quae est mater luxuriae: «si Filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant» (1). Item de inani gloria, tentavit cum dicit: «mitte te deorsum; scriptum est enim, quoniam angelis suis mandavit de te, et in manibus tollent te» (2). Item de concupiscentia oculorum, dicit: «haec omnia tibi dabo» (3). Et quia per omnia tentatus, hinc est quod omnibus compatiatur, qui ignorant et errant, quoniam et ipse circumdatus est infirmitate. Hinc suaviter admonuit discipulos, inter quos facta est contentio quisnam eorum videretur esse maior. Iuveni autem, affectu adhuc immoderato seu nimis sollicito erga patrem ducto, respondit, non increpans sed alliciens: «sequere me; et dimitte mortuos sepellire mortuos suos» (4).

c) Tandem aliud genus malorum, quae undique nos circumstant, oritur a mundo, terrente nos per adversa. Aliquando namque mundus, scilicet congregatio stultorum et impiorum bonos afficit paupertate, bonorum expoliatione, exilio, contumeliis, verberibus, et etiam morte. In quibus, etiam suis compatiatur bonus Iesus, qui fuit tentatus per adversa et insidias a pharisaeis, conantibus eum capere in sermone, et per contumelias et per flagella et per innumera tormenta et mortem.

Et non solum compatiatur nobis quia prior tentatus est, sed quia in nobis quodammodo ipse tentatur; unde per Apostolum: «quis infirmatur et ego non infirmor? quis scandalizatur et ego non uror?» (5). Cum simus corpus eius et membra de membro, mirum non est si compassionem sentiat

(1) *MATTH.* IV, 3.

(2) *MATTH.* IV, 6.

(3) *MATTH.* IV, 9.

(4) *MATTH.* VIII, 22.

(5) *II Corinth.* XI, 29.

de omnibus malis undique in nos adventantibus, sive a carnis illecebris, sive a suasionem diaboli, sive ab impetu mundi proveniant! O suavis amicitia! O compassio tenerrima! O dulcissima pietas!

PARS III. — COR IESU COMPATITUR IN POENIS
QUAS CARISSIMI SUI SUSTINENT.

Tandem compatitur poenis quas sui carissimi sustinent. Carissimas dico, animas Iesu amantes et magis sollicitas, tum gloriae eius promovendae, tum propriae salutis adipiscendae, et viae sanctitatis feliciter percurrendae. Quae aliquando infirmas sunt ac debiles, tum ex defectu spiritualium, tum ex aliqua saeculi dilectione; atque inde etiam cum his patitur Cor Iesu: « factus sum infirmis infirmus » (1).

a) Earum, quaedam infirmantur ob defectum, spiritualium bonorum, vel quia ad sanctitatem, ad quam vocatae sunt, et quam ex inita perfectiori vitae conditione profiteri tenentur, abstractae illecebris, non pertingunt; vel quia nonnulla spiritualia bona, quae a Deo enixe precantur et videntur ad perfectionem utilia, non consequuntur. Illae tepiditate laborant, de quibus legitur: « utinam frigidus vel calidus esses; sed quia tepidus es, incipiam te evomere ex ore meo » (2). Meminerint et hae finem infortunatum tepidi: qui enim: « spernit modica, paulatim decidet » (3), et « nemo mittens manum suam, ad aratrum et respiciens retro, aptus est regno coelorum » (4). Similitudo est ab agricultura sumpta. « Sicut enim arator debet non solum manum admoveere stivae, sed et oculos in anteriora intentos habere, alioquin vel opus arandi intermittit, vel infructuose laborat, sulcos ducens nec rectos, nec profundos; sic qui ministerio evangelico aut christianae pietatis professioni se devovet, oblivisci debet quae retro sunt

(1) I Corinth. IX, 22.

(2) Apoc. III, 16.

(3) Eccl. XIX, 1.

(4) Luc. IX, 62.

et ad anteriora intendere, memor uxoris Loth, quae Sodomam versus oculos convertens, non impune tulit sed in statuam salis conversa est » (1).

b) Aliae sunt animae quae angustiantur ex defectu, ut illae vocant, quorundam bonorum spiritualium, quae a Domino precantur quin umquam a sponso exaudiri videantur. Hae perfectiores et ex parte miserrimae, quia siccitate laborant, ita dire in spiritu cruciantur ut soli Deo notum esse possit meritum a desolatione tanta procedens. De his videtur dictum: « non est qui consoletur eam » (2); nam amantes videntur non redamari; orantes, quasi spiritus esset pennis destitutus, non videntur e terra consurgere; communicantes corpus Christi non inflammantur, immo potius, accedentes, videntur repelli; lacrimas effundunt non ex amore dulces, sed vi doloris amarissimas; et ita videtur ab eis dilectus recessisse, ut nequeant umquam cum propheta cantare: « consolationes tuae laetificaverunt animam meam » (3). Vere lacrimabilis et compassione digna conditio qua sponsus non in longinquum discessit, sed tamen stat post parietem. Quis nisi Cor Iesu, cuius delicias et societatem gustare illae appetunt, potest his animabus desolatis digne compati?

c) Sunt tandem aliae quae nimis amore saeculi ductae, quin tamen Deum unquam deserere intendunt, laborant, quasi in tempestate positae et quassatae naves; impetus enim affectuum carnis in consanguineos et etiam in personas spirituales et in alios quoscumque sub spirituali pretextu, altam in corde procellam et commovent et perflant, quae mentem a Deo distrahit, cuius est totum quod est optimum, et qua anima paulatim a Deo recedit qui nullatenus tolerat dimidium et divisum imperium quia « nemo potest duobus dominis servire ». Meminerint hae animae illius mandati: « diliges Dominum Deum tuum ex toto corde »; ex integro corde, seu in intimo cordis. Et si quid inveniant in creaturis appe-

(1) NAT. ALEX. in loc. cit.

(2) Thren. I, 2.

(3) Psalm. XCIII, 19.

tibile, attendant nihil aliud hoc esse quam vestigium tenue summae appetibilitatis divinae.

De his ergo caeterisque humani cordis miseriis condolet Cor Iesu: « quis infirmatur et ego non infirmor?; quis scandalizatur », idest patitur persecutionem, « et ego non uror », igne compassionis? « Et attende quod Apostolus congrue utitur hac voce: uror: quia compassio procedit ex amore Dei et proximi, qui est ignis consumens, dum movet ad sublevandas misérias proximorum et purgat ex affectu compassionis, et per quem nobis peccata relaxantur » (1). Si ergo sic se gerebat D. Paulus misertus super mala fidelium, quomodo SS. Cor Iesu se geret? Hoc iam consideratum est. Melius est ergo ut attendamus, quo animo respondere compassioni tantae debemus.

Consequentia. Ergo cum Corde Iesu sustinenda sunt quaecunque adversantia, sive a proximis, sive ab ipso Deo directe proveniant, ut motu quovis irae et indignationis cohibito, potius compassionem pro inimicis sentiamus, quam ultionem de iniuriis appetamus. Huiusmodi mansuetudo similes Cordi Iesu reddet, qua mundum fuit ab omni impatientia et ab omni ultionis affectu: immo potius compassus est patientissimus Iesus inimicis iniquis, et ob iniurias sibi illatas, et ob mala quibus Iudaei, ob immane scelus, afficerentur. Amor qui fecit ut compatiatur nobis, grato rependendus est animo: et gratus animus postulat ut sustineamus cum eo, compatiētes proximis, super quos signatum est sigillum Sanctae Trinitatis.

Affectus. O Cor mitissimum Iesu! « Tu pro me sustinuisti contumeliam, irrisiōem et afflictionem. Pertulisti sputa, flagella et crucis ac mortis tormenta: et tantum abfuit ut vindictam peteres, quod pro ipsis persecutoribus precatus es. Volo, Domine, a corde meo omnem impatientiam depellere;


(1) *Expos. D. THOM. in epist. II ad Corinth. XI, lect. VI.*

et infamiam, aegritudines, derisiones, contumelias, derelictiones internas, subtractiones sensibilis gratiae et omnem adversitatem aequo animo tolerare. Da mihi, obsecro, ne opere aut verbo de adversariis ultionem sumam; ne corde rancorem et impatientiam feram et ut me omni malo dignum arbitrans, laeto animo cuncta adversa emergentia sustineam » (1).

Deprecatio. Obsecro te, dulcissime Domine Iesu Christe, ut passio tua sit mihi virtus, qua muniar, protegar atque defender: vulnera tua sint mihi cibus potusque quibus pascar, inebrier atque delecter: aspersio sanguinis tui sit mihi ablutio omnium delictorum meorum: mors tua sit mihi gloria sempiterna. In his sit mihi refectio, exultatio, sanitas, et dulcedo cordis mei. (Ex S. Alphonso).

(1) P. ALVAREZ S. I. *Mundie XI.*





UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

CONCIO XXV.

THEMA: Secundum suam misericordiam
salvos non fecit.

(Ad Titum, III, 5).

IDEA CONCIONIS

PROP. In Corde Iesu confidendum, quia est multae misericordiae.

DIVISIO. I. Noscit summam nostri miseriam; II. Miseretur summae nostrae miseriae; III. Allevat summam nostram miseriam.

PARS I. a) Procentem a summa peccati gravitate; b) Ortam a constanti inimicorum perfidia; c) Et a corporis innata infirmitate.

PARS II. Miseretur nostrae miseriae quia: a) Est pater noster, divinitate; b) Est frater noster, humanitate; c) Est caput nostrum, sanctitate.

PARS III. a) Allevat miseriam animae, in sanguine suo hanc mundans; b) Allevat miseriam corporis, infirmitatem eius gratia sua roborans; c) Allevat miseriam, in qua sumus hostis invisibilis causa, virtute sua eum coercens.

Exordium. Non immerito misericordia SS. Cordis Iesu, post considerationem patientiae ipsius, proponitur adoranda; est enim corollarium eius: et consequenter, praesens concio, praecedenti concioni de patientia intime connectitur. Ratio, ut diximus, est quia patientia non sumitur illic stricte, sive pro virtute qua «aequo animo mala toleramus, idest sine perturbatione tristitiae, ne animo iniquo bona deseramus» iuxta Augustinum, de hac enim infra (Conc. XXX, XXXI, XXXII), diffuse agemus; sed melius pro compassione, qua Cor Iesu de nostris malis dolet, et iis compatitur; et quia compatiens est, movetur ad allevandum propter suam mise-

ricordiam. Ita patientia et misericordia in uno conveniunt: scilicet, in commiseratione et compassione cordis quoad miseriam alienam; et in hoc differunt, quod misericordia semper est compassio, sive patientia, sed patientia vel compassio non semper in misericordiam diffunditur. Et adhuc brevius. Compassio est tantum patientia cordis: misericordia autem et cordis patientia et operis praestatio est sublevans et auxilians. Et haec est ratio qua, sub eadem deprecatione (XIX) proponuntur invocandae ambae, et nobis visae sunt sub diversis aspectibus pertractandae. En quare praesens ista stabilitur

Propositio. *In Corde Iesu confidendum quia est multae misericordiae.*

Cum Dominus Iesus tam enixe misericordiam commendaret, «estote misericordes, sicut Pater vester coelestis misericors est» (1), magnum promittens praemium adimplentibus eam, et iudicium sine misericordia spondens negantibus illam, oportebat seipsum clarissimum huiusce virtutis exemplum praebere. Nam, dicente Augustino «misericordia est alienae miseriae in nostro corde compassio, qua utique, si possemus, subvenire compellimur» (2). Dicitur enim misericordia, ex eo quod aliquis habet miserans cor super miseria alterius. Nunc autem, de huius excellentia virtutis loquens D. Thomas, scribit: «Secundum se quidem misericordia maxima est; pertinet enim ad misericordiam quod aliis effundat, et quod plus est, quod defectus aliorum sublevet. Et hoc maxime superioris est: unde: misereri ponitur proprium Deo; et in hoc maxime dicitur eius omnipotentia manifestari» (3). Ergo proprium fuit Christo misereri nostri, et nostros defectus sublevare; sicut fuit proprium eius salvos non facere; «secundum suam misericordiam, salvos non fecit». En quare confidendum; nam

(1) Luc. VI, 36.

(2) Lib. IX, de Civit. Dei.

(3) Summ. Theol. II^a II^{ae}, q. XXX, a. 4.

Divisio. I. Noscit summam nostram miseriam; II. Miseretur summae nostrae miseriae; III. Allevat summam nostram miseriam.

PARS I. — COR IESU NOSCIT NOSTRAM MISERIAM.

Noscit summam nostram miseriam. Haec est fundamentalis ratio misericordiae divinae; nullus enim potest alterius misereri, quin prius miseriam eius agnoscat, quod evidentissimum est. Unde cum Iesus, cui omnia nuda sunt et aperta, noscat miseriam nostram, superfluum foret in expositione huius partis diutius immorari, nisi ad summam nostram miseriam manifestandam: quasi dicam: prima ratio misericordiae Cordis Iesu est cognoscere perfectissime miseriam nostram ferme ineffabilem.

a) Et primo, miseriam animae, procedentem a summa peccati gravitate. Non est huius momenti, peccati gravitatem ponderare, quod tria praecipue facit in homine, scilicet, a Deo elongat, «vos autem, qui aliquando eratis longe» (1); infamat, «recedentes a te, in terra scribentur» (2); et excaecat, «ambulabunt ut caeci coram Domino» (3). Sed tamen, ad propositum spectat attendere, quod huiusmodi gravitatis causa, peccatores sunt miseri; «miser factus sum» (4); et miserabiles: «et iacebat Sisara exanimis et miserabilis» (5); ideoque mortui et ad interitum damnati; «qui elongant se a te, peribunt» (6).

Quod idem dicitur de populis: «miseros autem facit populos peccatum» (7), id est misericordia dignos, non qua-

(1) Ad Eph. II, 13.

(2) IEREM. XVII, 13.

(3) SOPHON. I, 17.

(4) Psalm. XXXVII, 7.

(5) Iudic. V, 27.

(6) Psalm. LXXII, 27.

(7) Prov. XIV, 34.

cumque sed maxima; nam peccatum est malum summum, per quod anima maximum detrimentum patitur.

b) Deinde noscitur nostram miseriam, ortam a constanti inimicorum perfidia. De invisibili loquor, qui fortior natura, etsi alligatus a Christo, a quo superatus, tamen, « tamquam leo rugiens circuit quaerens quem devoret » (1). Nam si ille qui homicida erat ab initio (2) cuius invidia mors intravit in mundum; Cainum enim ad caedem fratris instigavit, etiam ad Christum Dominum tentandum accessit, quanto magis ad nos, ut alliciat, accedet? Accedit quidem ad omnes, promittens praemia numquam largienda; « haec omnia tibi dabo, si cadens, adoraberis me » (3). Super quod S. Hieronymus: « Ille quidem multa saepissime pollicetur, non ut det, sed ut accipiat: promittit plura de rapinis, ut auferat regnum atque iustitiam; et quasi quosdam laqueos tendens, thesauros pollicetur in terra, ut etiam nos thesauris et coelestibus spoliaret. Unum nos in hoc saeculo ditari, ne divites simus in futuro. Et si non potuerit per divitias, ab illa non excludere beatitudine praemiorum, alia ad nos via, idest, paupertate accedit: quod sanctum quoque Iob impugnando, faciebat » (4). Ideo Apostolus vocat daemones, spirituales nequitias, idest spiritus nequissimos, per quod intelligitur summa eorum nequitiae, ut exponit S. Thomas (5): « Dicit autem (Apostolus) spiritualia nequitiae, quia quanto est altior secundum naturam, tanto, quando convertitur ad malum, est peior et nequior... Et ideo dicit spiritualia nequitiae, quia spirituales et nequissimi sunt ». Et haec est altera ratio miseriae nostrae, quia contra hos colluctari tenemur. Unde anima est vere « filia Babilonis misera » (6).

c) Tertio miseria nostra magna est propter corporis

(1) I PETR. V, 8.

(2) IOANN. VIII, 44.

(3) MATTH. IV, 2.

(4) Homill. XIII in Matth.

(5) In Epist. ad Ephes. VI, 12.

(6) Psalm. CXXXVI, 8.

innatam infirmitatem, idest proclivitatem ad malum omni tempore, secundum illud: « sensus et cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua » (1); vel quia humana natura corrupta est ab initio, peccato Adae, vel quia unusquisque nascitur ex utero matris concupiscentia vulneratus, et ideo pronus ad malum. Unde Apostolus: « Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meae et captivantem me legi peccati, quae est in membris meis » (2); idest in corpore meo. « Idem, ut exponit D. Thomas, in me ipso, more hebraicae locutionis, secundum quam ponuntur nomina loco pronominum. Lex autem peccati captivat hominem dupliciter. Uno modo hominem peccatorem per consensum et operationem; alio modo hominem sub gratia constitutum, quantum ad concupiscentiae motum ». Et ita omnibus dominatur, quod etiam D. Paulus persentiebat. Mirum ergo non est si miseriam tantam attendentes et in seipsis sancti persentientes, cupientes dissolvi, et esse cum Christo, exclamarent: « hei mihi! quia incolatus meus prolongatus est! » (3) « Quis dabit mihi pennas sicut columbae, et volabo, et requiescam? » (4)

PARS II. — COR IESU MISERETUR NOSTRAE MISERIAE.

Secundo: Cor Iesu miseretur summae nostrae miseriae. Duo sunt in misericordia attendenda, iuxta definitionem datam a D. Augustino dicente quod « misericordia est alienae miseriae in nostro corde compassio, qua utique, si possemus, subvenire compellimur » (5). Primum est quid intrinsecum, compassio nempe cordis, de aliena miseria dolens, quasi de propria, secundum Apostolum: « gaudere cum gaudentibus,

(1) Gen. VIII, 21.

(2) Ad Rom. VII, 23.

(3) Psalm. CXIX, 5.

(4) Psalm. LIV, 7.

(5) Lib. IX de Civit. Dei.

flere cum flentibus» (1). Alterum est quid extrinsecum; ideo additur «qua utique, si possemus, subvenire compellimur». Ideo Sapiens: «Pauperi porrige manum tuam: non desis plorantibus in consolatione, et cum lugentibus ambula» (2). Altera nuncupari potest miseratio cordis; altera operis; seu: misericordia secundum affectum, et in effectu. Prima non est tota misericordia, ideo non vera in renuentibus succurrere, si modo valeant. Secunda nec est laudabilis, nisi compatentia cordis impellatur.

His praenotatis clare evincitur Cor Iesu esse multae misericordiae; habet enim in corde, nostrae miseriae compassionem; et secundum quod compellitur ei subvenire, de facto revera subvenit, ut videbimus infra. Triplex est potissima causa, qua Cor Iesu compatitur nostris miseriis:

a) Prima: quia est Pater noster, divinitate: «Tu, Domine pater noster, redemptor noster, a saeculo nomen tuum» (3). Quia Filius, etsi alius, non est aliud a Patre, ideo cum trium divinarum personarum sit communis natura, ita una respectu creaturarum paternitas. Unde oramus iuxta praeceptum Christi, dicentes: «Pater noster, qui es in coelis», SS. Trinitatem, sive unum in tribus personis Deum, his verbis invocantes, non solum creationis ac conservationis causa, qua ipsorum etiam infidelium pater est, sed et causa redemptionis, et causa regenerationis per fidem et gratiam baptismi, ut exponit Nat. Alex. (4). Ergo SS. Cor Iesu est Pater noster divinitate, sicut caeterae Trinitatis personae; non tamen eodem modo, quo Pater in divinis se habet ad Filium, nam ut scribit S. Thomas «per prius paternitas dicitur in divinis, secundum quod importat respectum personae ad personam, quam secundum quod importatur respectus Dei ad creaturas» (5). Nam in divinis invenitur paternitas secundum rationem per-

(1) Rom. XII, 15.

(2) Eccli. VII, 36, 38.

(3) ISAI. LXIII, 16.

(4) In MATTH. VI, 9.

(5) Part I, q. XXXIII, a. 3.

fectam, scilicet, naturae; sed in creatura respectu Dei invenitur solum secundum similitudinem vestigii, imaginis, gratiae, vel gloriae. Et quia hoc sensu Cor Iesu est vere Pater noster, miseretur nostri: «quomodo miseretur pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se» (1). Et quamvis ut Deus nequeat misereri secundum affectum, cum nequeat tristari, tamen Cor Iesu sumptum pro persona divina, cuius erat Cor humanitatis Christi, ratione communicationis idiomatum, revera compatiebatur nostri.

b) Si ut Deus est Pater, ut homo est quoque omnium Frater; et haec est altera causa miserationis eius. «Hi sunt mater mea, et fratres mei» (2). Quod quidem iam non intelligendum est in ordine gratiae, de quo Apostolus: «Primogenitus in multis fratribus» (3); sed secundum naturam. «Unde debuit per omnia fratribus assimilari, ut misericors fieret» (4). Ad rem D. Thomas: «Quia ergo non apprehendit angelos, sed semen Abrahae, ideo debuit per omnia assimilari fratribus. Per omnia, inquam, in quibus sunt fratres; non in culpa, sed in poena. Et ideo debuit habere passibilem naturam. Unde infra (cap. IV) tentatum autem per omnia pro similitudine absque peccato; quantum, scilicet, ad poenam, non ad tentationem (ad imitationem) culpae» (5). Et haec humana natura per quam frater noster factus, et in qua pro nobis passus est, est altera suae misericordiae causa. Audiamus S. Thomam: «Dicit Apostolus quod (Christus) per passionem assimilatus est fratribus. Sed numquid non fuit misericors ab aeterno? Videtur quod sic: quia «miserationes eius super omnia opera eius» (6). Item ab initio habuit misericordiam: «ab infantia mea crevit mecum miseria» (7).

(1) Psalm. C. II, 13.

(2) Luc. VIII, 21.

(3) Rom. VIII, 29.

(4) Ad Hebr. II, 17.

(5) Expos. in hunc loc.

(6) Psalm. C. XLIV, 9.

(7) Iob. XXXI, 18.

Respondeo dicendum quod miseratio dicitur quasi miserans cor super aliena miseria: et hoc est dupliciter: uno modo per solam apprehensionem; et sic Deus sine passione nostra miseriam apprehendit. Alio modo per experientiam; et sic Christus potissime in passione expertus est miseriam nostram. Et sic dicitur ut qui erat misericors per apprehensionem nostrae miseriae, fieret misericors per experientiam » (1). Et sic Cor Iesu miseretur, quia est frater noster humanitate.

c) Tandem; quia est caput nostrum sanctitate. Sicut a capite, in quo vigent omnes sensus, vita fluit in omnia membra, et in eo est uberius quam in illis; ita in Christo, qui est caput omnis viri (2), qui est caput omnis principatus et potestatis (3), qui est caput corporis Ecclesiae (4), vita gratiae et sanctitatis ita plenissime viget, ut sit semper vivens et principium, vel causa, et origo totius vitae et sanctitatis, ut dicitur infra (Conc. XXVII, XXVIII, et XXXV).

Si ergo sumus membra Christi, « nescitis quoniam corpora vestra membra sunt Christi? » (5); si sumus « corpus Christi et membra de membro » (6); cur mirandum si nostri misereatur et nobiscum patiat, quando in corpore mystico, sicut in physico, « si quid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra? » (7). Membra compatiuntur ad invicem, et Christus, qui est omnium caput, non miserebitur omnibus? Absit. Adhaereat lingua faucibus blasphemiam talem proferre conantis, et in misericordiam eius infinitam consurgere praesumentis; qua, triplici data ratione, omnium miseretur; scilicet quia est Pater noster, divinitate, quo praecipue passionum animae miseretur; quia est frater noster humani-

(1) *Expos. loc. cit.*

(2) *I Corinth. XI, 3.*

(3) *Ad Coloss. II, 10.*

(4) *Ad Coloss. I, 18.*

(5) *I Corinth. VI, 15.*

(6) *I Corinth. XII, 27.*

(7) *Eod. loc. v. 26.*

tate, et propterea passionibus corporis nostris compatitur; quia est caput nostrum sanctitate, unde super insidias, quas a diabolo patimur, summopere condolet.

PARS III. — COR IESU ALLEVAT NOSTRAM MISERIAM.

Alterum quod ad misericordiam spectat, est subvenire miseriae, iuxta Augustini datam definitionem: « qua (compassione) utique, si possemus, subvenire compellimur ». Et est proprium Dei, scilicet, misereri secundum effectum: ut enim ait D. Thomas « tristari de miseria alterius non competit Deo: sed repellere miseriam alterius, hoc maxime ei competit, ut per miseriam, quemcumque defectum intelligamus. Defectus autem non tolluntur, nisi per alicuius bonitatis perfectionem. Prima autem origo bonitatis Deus est » (1). Unde est quod ei competat misericordia secundum effectum, in quantum hae perfectiones, in rebus ab eo distributae, omnem defectum expellunt. En ergo quomodo Cor Iesu est multae misericordiae; allevat enim summam miseriam nostram in omnibus.

a) Et primo, allevat miseriam animae, a peccatis in sanguine suo mundando. Quia nulla animae miseria lacrimabilior peccato, huic in primis succurrit: « non enim veni vocare iustos sed peccatores » (2); et ad poenitentiam, ut tradit S. Lucas. Quasi diceret: ad hoc missus sum in mundum et cum hominibus versor, non ut ante iustos vocarem, sed ut homines, qui peccaverunt omnes et egent gratia Dei, ex iniustis, iustos faciam. Unde D. Augustinus: « Ne quisquam peccatores, ob hoc ipsum quod peccatores sunt, diligi arbitretur a Christo; cum et illa similitudo de aegrotis bene intimet quid velit Deus, vocando peccatores, tamquam medicus aegros, utique ab iniquitate tamquam ab aegritudine

(1) *Summ. Theol. part. I. q. XXI, a. 3.*

(2) *MATTH. IX, 13.*

salvi fiant; quod fit per poenitentiam » (1). Quae quidem, meritum desumit a sanguine Christi, dicente Apostolo; « qui aliquando eratis longe, facti estis prope in sanguine Christi » (2).

b) Deinde allevat miseriam corporis, infirmitatem huius gratia sua roborando. Infirmitas corporis nihil aliud intelligitur quam stimulus, quo caro concupiscit adversus spiritum (3), in quantum, scilicet, anima secundum ipsam carnem concupiscit, ut exponit Augustinus (4); sicut oculus dicitur videre, cum potius anima per oculum videat. Sic ergo anima per carnem concupiscit, quando ea, quae delectabilia sunt secundum carnem, appetit (5).

Haec autem concupiscentia vocatur infirmitas; « seminatur (corpus) in infirmitate » (6); quam quidem, quae vera miseria est, allevat Cor Iesu per gratiam suam. Exemplum affert D. Paulus, cui, simili caeteris, datus est stimulus carnis, angelus Satanae qui nos colaphizat. Et Dominum roganti, ut iuberet hanc infirmitatem discedere, respondit: « sufficit tibi gratia mea; nam virtus in infirmitate perficitur » (7). Quasi dicat: « non est tibi necessarium quod infirmitas corporis recedat a te, quia non est periculosa, nam non ducis ad impatientiam, cum gratia mea confortet te; nec infirmitas concupiscentiae, quia non pertrahet te ad peccatum, quia gratia mea proteget te » (8).

Nam virtus in infirmitate perficitur. « Vel materialiter, quasi dicatur infirmitas haec est materia virtutis exercendae, scilicet, humilitatis, patientiae et temperantiae, nam ex infirmitate debilitatur fomes, et temperatus efficitur quis; vel occasionaliter; nam est occasio perveniendi ad perfectam virtutem, quia homo sciens se infirmum, magis sollicitatur

(1) Lib. II, *De consens. Evangelistar.* c. XXVII.

(2) *Ad Ephes.* II, 13.

(3) *Ad Gal.* V, 17.

(4) *Lib. X super Gen.* c. XIV.

(5) Vide D. THOM. *Exposit. ad Galat.* c. V, v. 17.

(6) *I Corinth.* XV, 43.

(7) *II Corinth.* XII, 9.

(8) D. THOM. in hunc loc.

ad resistendum; et ex hoc quod magis resistit et pugnat, efficitur exercitior, et per consequens fortior » (1).

c) Tertio Cor Iesu allevat miseriam, in qua sumus, hostis invisibilis causa, virtute sua eum coercendo: « Fidelis autem Deus est, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis » (2). Vere fidelis est Deus, qui dat potentiam ne vincamur, gratiam ut mereamur, constantiam ut vincamus. Fidelis Dominus in omnibus verbis suis, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis; quod utique posset diabolus si permetteretur (3): quia « non est potestas super terram, quae ei comparetur » (4).

d) Tandem allevat, uno verbo, omnimodam miseriam; « venite ad omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos » (5). « Omnes qui laborati sub veteris hominis iugo, qui ambulastis per vias difficiles, qui fatigati estis in via iniquitatis, et perditionis, qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis, et quasi vinculum plaustrum peccatum: omnes qui gravati et oppressi estis iugo peccatorum, cupiditatum, miseriarum huius vitae, oneribus veteris legis, qui gemitis et suspiratis sub gravissimis illis oneribus, venite, et ego reficiam vos; demum onera sublevabo et recreabo vos; libertatem, quietem, securitatem, per gratiam meam vobis praestabo, quaemadmodum ab Isaia praedictum est (6); Iugum enim oneris eius et virgam humeri eius et sceptrum exactoris eius superasti, sicut in die Madian » (7).

Consequentia. Ergo in Corde Iesu confidendum, eadem fiducia qua Ipse de Patre ait: « Ego ero fidens in eum » (8).

(1) D. THOM. eod. loc.

(2) *I Corinth.* X, 13.

(3) Vide D. THOM. sup. hoc loc.

(4) *IOB.* XLI.

(5) *MATTH.* XI, 28.

(6) *IX*, 4.

(7) *NATALIS ALEX. sup. Matth.* loc. cit.


(8) *Ad Hebr.* II, 13.

Quo ostendit, iuxta D. Thomam, «quam spem habeat; quia non quamcumque, sed firmam quae dicitur fiducia. Spes enim etsi non sit de impossibili, tamen habet timorem coniunctum quandoque; et tunc proprie dicitur: spes. Spes quandoque est firma et sine timore, et tunc proprie dicitur: fiducia» (1). Et istam habuit Christus in adiutorio Patris. Et hanc habere tenemur nos in adiutorio Christi tantopere miseriae nostrae subvenientis.

Affectus. Ad te venio, misericordiosissime Iesu, super pectus tuum recumbere, et in Cor ingredi fidens. Quia miseriae nostrae non horruisti fieri particeps, compatieris mihi, omnium miserabilium, miserrimo. Non venisti profecto virtutes quaerere, sed peccata tollere: non iustos vocare, sed lapsos ac peccato perditos reparare et levare; non bona nostra colligere, sed miseriam assumere et tua impertire. Memento quod sumus tui; ideoque non convenit tantae misericordiae, tantam aegritudinem oblivisci. Quare fiducialiter clamo: miserere mei, Deus, secundum magnam misericordiam tuam! miserere nostri, quia multum repleti sumus despectione.

Deprecatio. Adesto supplicationibus nostris, omnipotens Deus; et quibus fiduciam sperandae pietatis indulges, consuetae misericordiae tribue benignus effectum. (Ex Brev. rom. feria IV, inf. hebdomadam Passionis).

(1) Exp. in hunc loc.



CONCIO XXVI.

THEMA: Idem Dominus omnium,
dives in omnes qui invocant illum.

(Ad Rom. X, 12).

IDEA CONCIONIS

PROP. Cor Iesu obsecrandum, quia dives in omnes qui invocant illud.
DIVISIO. Est dives: I. Quoad dona naturae; II. Quoad dona gratiae; III. Quoad dona gloriae.

PARS I. Est dives quoad dona naturae, scilicet: a) Quoad bonum personale; b) Reale; c) Et commune.

PARS II. Est dives quoad dona gratiae nempe: a) Quoad gratiam conversionis; b) Sanctificationis; c) Et perseverantiae.

PARS III. Est dives quoad dona gloriae, nam: a) Centuplum dat pro dimissis; b) Imperium in obedientiae praemium; c) Regnum pro humilitate crucis; d) Divitias infinitas in compensationem mammonae pro amore suo relictas.

Exordium. Dives dicitur qui divitiis affluit, sive auro, vel argento, sive gemmis, sive nummis, vel rebus quibuscumque aestimabilibus. Si quis de suis sumptibus egens non subveniat, sed ad sola commoda, vel vitia, puta, gulam, luxuriam, et vanitates erogat, ut Epulo, vel si cumulet amans divitias, ut avarus, sui solius commodi, non vero alienae egestatis curator, misere damnatur: «mortuus est autem dives, et sepultus est in inferno» (1). Si quis autem egenorum misertus, manum suam aperit inopi et palmas suas extendit ad


(1) Luc. XVI, 22.

Quo ostendit, iuxta D. Thomam, «quam spem habeat; quia non quamcumque, sed firmam quae dicitur fiducia. Spes enim etsi non sit de impossibili, tamen habet timorem coniunctum quandoque; et tunc proprie dicitur: spes. Spes quandoque est firma et sine timore, et tunc proprie dicitur: fiducia» (1). Et istam habuit Christus in adiutorio Patris. Et hanc habere tenemur nos in adiutorio Christi tantopere miseriae nostrae subvenientis.

Affectus. Ad te venio, misericordiosissime Iesu, super pectus tuum recumbere, et in Cor ingredi fidens. Quia miseriae nostrae non horruisti fieri particeps, compatieris mihi, omnium miserabilium, miserrimo. Non venisti profecto virtutes quaerere, sed peccata tollere: non iustos vocare, sed lapsos ac peccato perditos reparare et levare; non bona nostra colligere, sed miseriam assumere et tua impertire. Memento quod sumus tui; ideoque non convenit tantae misericordiae, tantam aegritudinem oblivisci. Quare fiducialiter clamo: miserere mei, Deus, secundum magnam misericordiam tuam! miserere nostri, quia multum repleti sumus despectione.

Deprecatio. Adesto supplicationibus nostris, omnipotens Deus; et quibus fiduciam sperandae pietatis indulges, consuetae misericordiae tribue benignus effectum. (Ex Brev. rom. feria IV, inf. hebdomadam Passionis).

(1) Exp. in hunc loc.



CONCIO XXVI.

THEMA: Idem Dominus omnium,
dives in omnes qui invocant illum.

(Ad Rom. X, 12).

IDEA CONCIONIS

PROP. Cor Iesu obsecrandum, quia dives in omnes qui invocant illud.
DIVISIO. Est dives: I. Quoad dona naturae; II. Quoad dona gratiae; III. Quoad dona gloriae.

PARS I. Est dives quoad dona naturae, scilicet: a) Quoad bonum personale; b) Reale; c) Et commune.

PARS II. Est dives quoad dona gratiae nempe: a) Quoad gratiam conversionis; b) Sanctificationis; c) Et perseverantiae.

PARS III. Est dives quoad dona gloriae, nam: a) Centuplum dat pro dimissis; b) Imperium in obedientiae praemium; c) Regnum pro humilitate crucis; d) Divitias infinitas in compensationem mammonae pro amore suo relictas.

Exordium. Dives dicitur qui divitiis affluit, sive auro, vel argento, sive gemmis, sive nummis, vel rebus quibuscumque aestimabilibus. Si quis de suis sumptibus egens non subveniat, sed ad sola commoda, vel vitia, puta, gulam, luxuriam, et vanitates erogat, ut Epulo, vel si cumulet amans divitias, ut avarus, sui solius commodi, non vero alienae egestatis curator, misere damnatur: «mortuus est autem dives, et sepultus est in inferno» (1). Si quis autem egenorum misertus, manum suam aperit inopi et palmas suas extendit ad

(1) Luc. XVI, 22.

pauperem, imitatur Iesum, qui pertransiit benefaciendo; unde in aeternum gaudebit: «qui miseretur pauperis beatus erit» (1).

Sed sicut nullus est inter divites, ditior Corde Iesu, ita nullus beneficentior; quamobrem nubi ab Isaia comparetur: «Ecce Dominus ascendet super nubem levem» (2). Sicut a nubibus omnia gramina opimantur et foecundantur, ita a Corde Iesu omnes ditamur.

En quare a me statuatur haec

Propositio. *Cor Iesu obsecrandum, quia dives in omnes, qui invocant Illud.*

Triplicis generis sunt bona a Deo hominibus collata: bonum, nempe, creationis, redemptionis et glorificationis. Creatio, qua gratis de nihilo ad esse humanum producti sumus, caetera bona sive corporis, sive animae, sub nomine boni naturae, complectitur. Redemptio, per quam amicitiam, filiationem et similitudinem Dei ob peccatum perditas, rursus adepti sumus, omnia inestimabilia dona gratiae, quae Deus nobis e coelo sola dignatione infinitae misericordiae suae, nullisque praecedentibus meritis largitur, summam includit. Glorificatio denique, qua fideles et rectos corde per suam infinitam potentiam potentes efficit, ut videant et Illo in aeternum fruantur, omnia infinita et invisibilia bona gloriae complectitur, de quibus Apostolus: «Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in Cor hominis ascendit quae praeparavit Deus iis, qui diligunt illum» (3).

Nunc autem, quia omnia tradita sunt Christo, et de omnibus sibi traditis, participes nos efficere desiderat, imo ac replere, en quare coelestium thesaurorum ac divitiarum, quorum Cor Iesu est velut summum depositum, nos participes reddet, si humiliter et decente obsecratione petamus; est enim dives in omnes, qui invocant illud.

(1) Prov. XIV, 21.

(2) XIX, 1.

(3) I ad Corinth. II, 9.

Divisio. I. *Quoad dona naturae*; II. *Quoad dona gratiae*; III. *Quoad dona gloriae*.

PARS I. — DIVES EST QUOAD DONA NATURAE.

De naturalibus ac praesertim de divitiis, honoribus, dominiis, caeterisque exterioribus donis loquitur D. Paulus, cum de forma humili, qua Christus apparere dignatus est, disserens, ait: «propter vos egenus factus est, cum esset dives» (1). Ergo quamvis formam servi assumeret, et pauperis et humilis et dolentis, erat Dominus, dives, Deus et potens; illisque donis poterat apparere mundo circumdatus, sicut licuit et licet, iuxta placitum, distribuere, et in omnibus et singulis, prout vult, distribuit.

Ad clariorem rei intelligentiam, tripliciter bonum naturae considerabimus.

a) Ut bonum personale. Bonum personae, sive corporale, sive spiritale, a SS. Corde Iesu per obsecrationem obtinebimus. Dum vitam mortalem agebat, coecis visum, claudis gressum, leprosis sanitatem, mortuis vitam, et variis languoribus oppressis, perfectam curationem impertivit. Ab immundo spiritu daemonicum liberavit, lunaticum sanavit, mulierem adulteram ab accusatorum manibus eripuit, Magdalenae indulsit. Et notate, quod pene omnia miracula in languentes, rogatus fecit. Lazarum suscitavit, a sororibus quaesitus; puerum Centurionis sanavit, a nobili gentili expetitus; caeco visum restituit, ab ipso interpellatus; leprosum mundavit, invocatus. Et ita bonus erat Iesus quod etiam inimicis vel peccatoribus fidenter et importune obsecrantibus, petita concessit: sicut Cananaeae filiam, quae a demonio male torquebatur, liberavit (2).

Et quia charitas numquam excidit, quod olim gessit, adhuc gerit, geretque semper pro obsecrantibus se: «amen,

(1) I ad Corint. VIII, 9.

(2) MATTH. XV, 22.

dico vobis: et quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam » (1). Idest, quidquid per me, nomenque meum invocando petieritis a Patre, quod ad gloriam Dei divinitatisque meae manifestationem, ad confirmationem fidei pertineat, hoc faciam. Super quod S. Cyrillus: « Non ait, hoc Pater dabit vobis, hoc vobis a Patre impetrabo, sed hoc faciam; ut ostendat se, aequae ac Patrem, exaudire preces fidelium, seque unum esse cum Patre Deum, unam esse utriusque operationem, omnipotentiam, essentiam » (2).

b) Ut bonum reale: v. g. divitias, aliaque saecularia bona, in quantum aeternae saluti deserviant, per obsecrationem a Iesu obtinebimus. Audi orationem Sapientis: « Mendicitatem et divitias ne dederis mihi: tribue tantum victui meo necessaria; ne forte satiatu illiciti ad negandum, et dicam: quis est Dominus? aut egestate compulsus iurem ac periurem nomen Dei mei » (3). Unde sicut haec bona sunt cum magna cautela appetenda, ita cum sobrietate et conformitate postulanda, animadvertentes et considerantes, iuxta Augustinum: « temporalia bona nos inflammare ventura, corrumpere venientia, torquere transeuntia; concupita marcescunt, adepta vilescent, amissa vanescunt » (4).

Unde « habentes alimenta et quibus tegamur, his contenti simus » (5), quaerentes potius thesauros coelestes quam terrenos, ut ait S. Ambrosius: « Si quaeris thesauros, accipe invisibiles et occultos, quos in coelis, non quos in terrarum venis requiras. Esto pauper spiritu et eris dives; quia non in abundantia divitiarum est vita hominis, sed in virtute ac fide; istae te divitiae verum divitem facient, si sis in Deum dives » (6).

c) Ut bonum commune. Videns Iesus Hierusalem, flevit super eam. Et non solum propter futuram reprobationem flevit

(1) IOANN. XIV, 13.

(2) Libro IX.

(3) Prov. XXX, 8, 9.

(4) Homil. XXIII de verbis Apost.

(5) I ad Tim. VI, 8.

(6) De Abel et Cain lib. I, c. V.

sed etiam propter destructionem templi, desolationem urbis, dispersionem civitatis, et diuturnum vituperium Iudaeorum lacrimatus est.

Abrahamo promiserat Deus quod cresceret in gentem magnam; Iosue terram fluentem lac et mel; Sauli et Davidi triumphum de inimicis; Salomoni, pacem et regni splendorem. Quae bona, a populo Iudaico ablata, Deus populis christianis largitus est, et per Cor Iesu cupit affatim impertiri.

Sub nomine boni communis, cadit ordo, pax civitatis, prosperitas, et similia, quorum custodes sunt rectores populorum; « diligite Lumen sapientiae omnes, qui praeestis populis » (1), et quorum cooperatores et veluti sustentaculum est ipsa civium multitudo, vivens subdita potestatibus sublimioribus, iuxta illud: « time Dominum, fili mi, et regem » (2). Quando rectores civitatis iustitiam diligunt, et subditi illos debite honorant, se invicem redamant, ad communem finem concurrunt obtinendum, ordinem, scilicet, prosperitatem et pacem, quae nihil aliud est, quam: tranquillitas ordinis. Quando vero, soluto hoc vinculo, vel ab alterutro vel ab utroque, sibi invicem adversantur, tunc evenit perturbatio ordinis, quae est destructio pacis. Et quia « omne regnum, divisum contra se, desolabitur » (3), tunc omnes et reges et populi, princeps et cives, in peius ruunt, et ipsa fides detrimentum patitur, et amor patriae evanescit.

Quod autem SS. Cor Iesu gaudeat de hoc bono christianarum civitatum, apparet ex facto; nam Iesus « ut appropinquavit (Hierosolymis) videns civitatem, flevit super illam » (4). Et quare? « quia venient dies in te, et circumdabunt te inimici tui vallo, et circumdabunt te, et coangustabunt te undique, et ad terram prosternent te, et filios tuos qui in te sunt, et non relinquent in te lapidem super lapidem » (5).

(1) Sap. VI, 23.

(2) Prov. XXIV, 21.

(3) MATTH. XII, 25.

(4) LUC. XIX, 41.

(5) Vers. 43, 44.

« Veniet enim tempus cum obsedereris, et castris ante moenia tua positis, te circumdabunt et arctissime prement hostes tui, Romani, scilicet, exercitus; et ad terram prosternent te, omnes munitiones tuas, templum, arces, aedes funditus evertent et solo aequabunt, et filios tuos qui in te sunt, habitatores tuos occident, et ad terram allident, et non relinquent in te lapidem super lapidem. Sic te vastabunt ut non relinquant lapidem lapidi coherentem » (1). Flevit quia amabat et leges et Sancta Iudaeorum. Unde recte deducitur quod amet et leges et sancta christianorum. At si Deicidam populum Israeliticum amabat, quanto magis amabit christianum populum, cui nomen ab ipso Christo est, qui eum colit, adorat, qui Cordis eius SS.mo famulatur, obsequitur?

Ideo, pluries, invocato nomine eius, partae sunt victoriae ad decus religionis et patriae; et remedium ingruentium malorum, Eo adiuvante, impetratum, legimus: inter quae celeberrimum et memoria dignum, quod « ubi Massiliensem populum cum reliqua Dioecesi, quam fere totam pestilentia vastabat, publice Sanctissimi Cordi Iesu, omnium misericordiarum numquam exhauriendo fonti, Henricus Franciscus Xaverius, Episcopus Massiliensis consecravit, anno fere 1722, ex illa hora inminui semper et usque ad cessationem omnimodam decrescere manifeste visa est lues pestifera » (2).

Quapropter Ecclesia quotidie Dominum praecatur, non solum pro Papa et Antistite, sed et pro rege eiusque prole, et pro exercitu suo, ut ab omni adversitate liberet, pro pace et tranquillitate populi sibi commissi; pro omnibus inimicis nostris superandis, et nequitis ab Ecclesia repellendis, ut per merita Iesu, in cuius nomine fit oratio, haec bona communia civilibus societatibus christianis, Deus miseratus clementer concedat.

(1) Vide IOSEPHUM, libro VII, *De bello Iudaico*. c. XVIII.

(2) *Litterae Epist. Massil. ad Benedict. XIII postulantis ut fest. SS. Cordis cum of. et Miss. celebretur* (NILLES).

PARS II. — DIVES QUOAD DONA GRATIAE.

Tria sunt genera gratiarum in dono redemptionis contenta: conversionis, nempe, sanctificationis, et perseverantiae, quas per obsecrationem a Corde Iesu obtinebimus.

a) Conversionis, iuxta illud: « derelinquat impius viam suam, et vir iniquus cognitiones suas, et revertatur ad Dominum et miserebitur eius » (1). Haec gratia, quae duo importat, recedere a malo et facere bonum, non efficacem pluries sortitur effectum, vel quia non postulatur, seu male postulatur, vel quia data spernitur. Oportet ergo quod iusti a Corde Iesu postulent et gratiam sufficientem, qua peccatores convertantur ad bonam frugem, et gratiam efficacem, qua voluntas eorum flectatur, et Deum vocantem non recuset.

Cum nihil sit in vita spiritali praestantius conversione (est enim ianua totius progressus et principium coelestium omnium charismatum quibus ad salvationem pervenitur); cum nihil sit peccatori utilius conversione, sine qua nemo salvatur: « nisi poenitentiam egeritis, omnes simul peribitis » (2); cum nihil sit Cordi Iesu delectabilius, quam salvum facere quod perierat; et nihil hac iucundius coelo, in quo « gaudium erit super uno peccatore poenitentiam agente, quam super nonaginta novem iustis, qui non indigent poenitentia » (3); cum tandem nihil ad socios Apostolatus orationis magis pertineat, quam conversionem peccatorum enixe a Domino deprecari; certe prae oculis semper haec spiritalis necessitas habenda est, ad quam sublevandam nullum utilius Corde Iesu medium potest excogitari. En verba promissionis « Commenda hanc devotionem animarum pastoribus, ut instrumentum aptissimum quo corda, saxis duriora, ad poenitentiae lacrimas emolliant » (4). Et rursus: « Fidelibus omnibus, ut modum prae-

(1) ISAI. LV, 7.

(2) LUC. XIII, 5.

(3) LUC. XV, 7.

(4) *Cor Iesu ad B. Margaritam*.

stantissimum, quo de indomitis animi affectionibus, plenum dominium reportent ».

b) Deinde gratia sanctificationis, sive rapidus in viam spiritualement progressus. Omnes ad Cor Iesu vocamur; sed non omnes per eandem viam, idest, per eundem statum, seu per mansionem eandem. Et quamvis ad sanctitatem omnes compellamur, « sancti estote, quia ego Sanctus sum » (1), non tamen ad eundem perfectionis gradum omnes accersimur. Quod significatur per diversum numerum talentorum, quorum Dominus uni ex servis dedit quinque, alii duo, alii vero unum, unicuique secundum propriam virtutem (2). Christus namque, qui significatur per herum peregre proficiscentem, « ascendens in altum Dominus captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus » abiens in coelum « inaequalia dona servis suis, idest Ecclesiae ministris, immo etiam fidelibus omnibus dedit, quae vel in alienam, vel in propriam salutem, semper autem in utilitatem et gloriam Domini, qui illa contulit, impendentes, fidelitatem suam, industriam ac studium, in re eius amplificanda, illi comprobarent » (3). Ut ergo ad sanctitatem perveniamus et non mereamur repulsam servi nequam et pigri, qui acceperat, unum talentum, et abiens fodit in terram et abscondit pecuniam Domini sui: cui Dominus, « oportuit te committere pecuniam meam nummulariis et veniens ego recepissem utique quod meum est, cum usura » (4); adeamus fiducialiter ad Cor Iesu, cuius haec sunt verba solemnia: « Commenda sacerdotibus et religiosi devotionem meam, ut viam certissimam, qua ad status sui perfectionem perveniant. Quinimo, genus religionis efficacissimum esse doce, quo... amor erga me qua calidissimus, qua tenerrimus accendi, denique et per brevi tempore et ratione quam facilissima virtutis apex obtineri possit » (5).

(1) Levit. XI, 44.

(2) MATTH. XXV, 15.

(3) NAT. ALEX. hoc loc.

(4) MATTH. XXV, 27.

(5) Cor Iesu Beatae Margaritae.

c) Sed gratia, omnium corona et complementum, quae est velut paradisi ianua e sine qua caeterae nihil in aeternum proderunt damnatis, gratia semper optabilis semperque a Deo expetenda, est in bono incepto usque in finem firma permansio: « qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit » (1). « Perseverantia est vigor virium, virtutum consummatio, nutrix ad meritum, mediatrix ad proemium, soror patientiae, constantiae filia, amica pacis, amicitiarum nodus, unanimatis vinculum, propugnaculum sanctitatis. Tolle perseverantiam, nec obsequium mercedem habet, nec beneficium gratiam, nec laudem fortitudo ». Hanc obtinebunt colentes Cor Iesu, iuxta promissum: « Et quidem spondeo, eos omnes qui hoc honore cor meum afficient, ipsius divini Cordis influxu, coelestium gratiarum copia fore cumulandos ». Et clarius: « Neque permittet ullum perire, qui huic Sacro Cordi fuerit consecratus ».

PARS III. — DIVES EST QUOAD DONA GLORIAE.

Sed in gloria, abs dubio, degustabimus usque ad summum bona SS. Cordis, repleti ubertate domus eius; nam si dives est dona naturae et gratiae impertiens his qui recto sunt corde, iuxta illud: « quam bonus Israel Deus his, qui recto sunt corde! », multo longe ditius erit in donis gloriae elargiendis.

a) Etenim centuplum dabit pro dimissis: « Et omnis qui relinquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet » (2). Centies tantundem, pro singulis relictis in hoc saeculo, homo recipiet. Numerus certus pro incerto ponitur. Multo plura recipiet quam reliquerit. Et vitam aeternam possidebit in futuro saeculo. « Sensus ergo est: Qui carnalia pro Salvatore dimiserit, spiritualia recipiet; quae comparatione et merito sui, ita erunt, quasi si parvo

(1) MATTH. XXIV, 13.

(2) MATTH. XIX, 29.

numero, centenarius numerus comparatur » (1). Nunc spiritualia in praemium recipiet; postea vitam aeternam; quae tantum excedit ipso praemio spirituali huius saeculi, quantum spiritualia super carnalibus eminent; quo sensu vita aeterna est etiam praemium centuplum.

b) Deinde datur imperium, in obedientiae praemium. Nam « vir obediens loquetur victoriam » (2); et « sola obedientia tenet palmam » (3). Quae victoria et quae palma nihil aliud sunt, quam imperium, quo salvatus dominatur a mari usque ad mare, et a flumine usque ad terminos orbis terrarum, ad similitudinem Christi, sedentis a dexteris Dei, cui datur honor, gloria et imperium in saecula saeculorum. Quod imperium iustorum et praesertim in impios praevidens, ait Propheta: « et dominabuntur eorum iusti in matutino » (4), idest a matutino diei, quo aeternitatem ingredientur; intelligitur enim pro matutino ingressus in coelum, iuxta illud: « donec dies elucescat et lucifer oriatur in cordibus nostris » (5). Hoc imperium significatur tandem per illud « Euge, serve bone et fidelis..., super multa te constituam » (6). « Omnia scilicet bona mea, tibi administranda et possidenda trado, ut sis cor haeres meus et haeres Dei; ut possideas haereditatem incorruptibilem et incontaminatam et immarcessibilem, tibi conservatam in coelis. Eiusdem gaudii particeps esto cum Domino tuo, eiusdem regni, eiusdem gloriae: « intra in gaudium Domini tui » (7).

c) Praeterea regnum pro humilitate crucis: « ponit enim humiles in sublimi » (8), nam est Deus « suscilians a terra inopem et de stercore erigens pauperem; ut collocet eum

(1) S. Hieron. lib. III in Matth.

(2) Prov. XXI, 28.

(3) Augustinus in Psalm. LXXIII.

(4) XLVIII, 15.

(5) II D. Petri, I. 19.

(6) Matth. XXV, 21.

(7) Nat. Alex. hoc loc.

(8) Iob, V, 11.

cum principibus, cum principibus populi sui » (1). Quod quidem fiet, quando Rex dicet his, qui a dexteris eius erunt: « Venite, benedicti Patris mei » (2). « Accedite, vos mihi adiungite, quibus in me benedixit Pater meus omni benedictione spirituali in coelestibus. Possidete regnum, haereditario, stabili iure, ut filii Patris, ut haeredes eius, coheredesque mei. Regnum, inquam, coelorum paratum vobis a constitutione mundi, ab aeterno praedestinatum, ex mera gratia et misericordia, vestris tamen meritis eam retribuendum » (3).

d) Tandem divitias infinitas ut rependat mortalia caduca et exigua bona pro amore suo relictis. Nam quia non possumus Deo servire et mammonae; qui saeculi divitiis renuntiaverit, divitias aeternas, super aurum et lapides pretiosos aestimabiles possidebit, divitias spirituales et animam et corpus locupletissime ditantes. Intellectus enim replebitur altitudine divitiarum sapientiae et scientiae Dei, videndo eum et omnia in eo. Voluntas replebitur divitiis boni summe appetibilis, quod appetendo degustatur et degustando satiat, quin tamen eius satietas fastidium unquam generet. Corpus glorificatum ditabitur donis beatitudinis, illud simile spiritus reddentibus, quin corpus esse desinat. Visus in aspectu magnalium; auditus in angelorum concentibus; gustus in ligni viti sapore et fontis aquae vivae dulcedine; odoratus in suavitate incensi, ascendentis de altare ante thronum Dei; et tactus in immunitate a quocumque incommodo glaci et aestus, a quocumque incommodo morborum, vulnerum, laboris et senectutis, aeterna gaudebit. Quae bona Cor Iesu spondet se largiturum obsecrantibus se, iuxta illud: « quaerite et invenietis » (4). ®

Consequentia. Ergo obsecrandum. Nam illis verbis: « si quid petieritis me in nomine meo, hoc faciam » (5), censent

(1) Psalm. CXII, 7.

(2) Matth. XXV, 34.

(3) Matth. Alex. hoc loc.

(4) Matth. VII, 7.

(5) Ioann. XIV, 14.

nonnulli « Christum dicere se exauditorium preces particulares ita ut quamvis ierit ad Patrem, sitque absens corpore, tamen semper spiritu sit praesens, eorumque preces audiat et eorum necessitatibus succurrat, ut quidquid in nomine eius, idest per merita ipsius petant, hoc ipse eis faciet et largiatur » (1). Et inde fiducia obtinendi quidquid per amorem Cordis eius, petamus a Iesu; colimus enim sub symbolo huiusce SS. Cordis, charitatem, qua Filius Dei ab aeterno dilexit nos. Modus autem obsecrandi sic exponitur: « Orans, vocem non tam oris, quam cordis, sensim intendere debet, ut primo petat orando et clamando ad Deum; deinde quaerendo modos omnes, Deum quasi excitandi et commovendi, ut concedat quod petitur. Denique ingenti et intensissimo desiderio pulsando, quasi coelum ipsumque cor Dei, ut illud Deus aperiat, indeque dona, quae petuntur, large effundat. Hinc Remigius sic explicat: petimus orando, quaerimus recte vivendo, pulsamus perseverando » (2).

Affectus. O bone Iesu, dives te petentibus, ditius te quaerentibus, ditissimum te invenientibus! Totum quod habes, totum quod es, praebes ut largiaris. Solum vis rogari. Tu bona naturae, bona gratiae et bona gloriae affatim nobis miseris impertiris. Inter colentes te, connumerari desidero. Ad te venio; ad te clamo: fac me humilem poenitentem, sobrium, castum, obedientem ac tuae voluntati conformem. Peccatores converte, iustos perfice, apostolorum zelum inflamma, Ecclesiae pacem redde et purgatorii fidelibus requiem aeternam concede. In mundum impera, sicut in coelo dominaris: ut regnum quod spectamus adveniat et hic incipiat ut in aeternum duret.

Deprecatio. Domine Iesu Christe qui in horto, verbo et exemplo nos orare docuisti ad temptationum pericula superanda; concede propitius ut nos orationi semper intenti eius copiosum fructum consequi mereamur. (Ex off. Orationis).

(1) A LAP. in hunc loc.

(2) A LAP. in Matth. VII, 7.

CONCIO XXVII.

THEMA: Apud te est fons vitae.

(Psalm. XXXV, 10).

IDEA CONCIONIS

PROPOS. A Corde Iesu hauriendum, quia est fons vitae.

DIVISIO. I. Est vitae nostrae naturalis causa; II. Est vitae nostrae supernaturalis gratiae fundamentum; III. Erit vitae nostrae beatificae medium.

PARS I. Nam: a) Sumus per Ipsum sicut per causam effectivam; b) Sumus in Ipso tamquam in causa exemplari; c) Sumus in Ipso velut in causa conservante.

PARS II. Nam: a) Est auctor vitae nostrae in esse gratiae; b) Est auctor cuiuscumque operationis nostrae in esse gratiae; c) Est auctor perseverantiae nostrae in esse gratiae.

PARS III. Erit medium vitae nostrae beatificae: a) Ut Deus, quia est Verbum; b) Ut homo, quia altissimam gloriam adeptus.

Exordium. Haec concio est velut praecedentis corollarium. Nam tam certum est quod SS. Cor Iesu sit dives in omnes, qui invocant illud, quam certum est quod omnis vita, et omnis sanctitas ex eo diffundatur abunde in obsecrantes se, ita ut vera sit fons vitae et sanctitatis; tum quia omne donum optimum desursum est descendens ab eo; tum quia affatim descendit in diligentes se.

Et merito fons nuncupatur; nam ad similitudinem illius fontis, qui ascendebat e terra irrigans universam superficiem terrae, a Corde Iesu, velut a copiosissimo fonte, manant aquae gratiarum, omne opus bonum foecundantes, et omne aridum

nonnulli « Christum dicere se exauditorium preces particulares ita ut quamvis ierit ad Patrem, sitque absens corpore, tamen semper spiritu sit praesens, eorumque preces audiat et eorum necessitatibus succurrat, ut quidquid in nomine eius, idest per merita ipsius petant, hoc ipse eis faciet et largiatur » (1). Et inde fiducia obtinendi quidquid per amorem Cordis eius, petamus a Iesu; colimus enim sub symbolo huiusce SS. Cordis, charitatem, qua Filius Dei ab aeterno dilexit nos. Modus autem obsecrandi sic exponitur: « Orans, vocem non tam oris, quam cordis, sensim intendere debet, ut primo petat orando et clamando ad Deum; deinde quaerendo modos omnes, Deum quasi excitandi et commovendi, ut concedat quod petitur. Denique ingenti et intensissimo desiderio pulsando, quasi coelum ipsumque cor Dei, ut illud Deus aperiat, indeque dona, quae petuntur, large effundat. Hinc Remigius sic explicat: petimus orando, quaerimus recte vivendo, pulsamus perseverando » (2).

Affectus. O bone Iesu, dives te petentibus, ditius te quaerentibus, ditissimum te invenientibus! Totum quod habes, totum quod es, praebes ut largiaris. Solum vis rogari. Tu bona naturae, bona gratiae et bona gloriae affatim nobis miseris impertiris. Inter colentes te, connumerari desidero. Ad te venio; ad te clamo: fac me humilem poenitentem, sobrium, castum, obedientem ac tuae voluntati conformem. Peccatores converte, iustos perfice, apostolorum zelum inflamma, Ecclesiae pacem redde et purgatorii fidelibus requiem aeternam concede. In mundum impera, sicut in coelo dominaris: ut regnum quod spectamus adveniat et hic incipiat ut in aeternum duret.

Deprecatio. Domine Iesu Christe qui in horto, verbo et exemplo nos orare docuisti ad temptationum pericula superanda; concede propitius ut nos orationi semper intenti eius copiosum fructum consequi mereamur. (Ex off. Orationis).

(1) A LAP. in hunc loc.

(2) A LAP. in Matth. VII, 7.

CONCIO XXVII.

THEMA: Apud te est fons vitae.

(Psalm. XXXV, 10).

IDEA CONCIONIS

PROPOS. A Corde Iesu hauriendum, quia est fons vitae.

DIVISIO. I. Est vitae nostrae naturalis causa; II. Est vitae nostrae supernaturalis gratiae fundamentum; III. Erit vitae nostrae beatificae medium.

PARS I. Nam: a) Sumus per Ipsum sicut per causam effectivam; b) Sumus in Ipso tamquam in causa exemplari; c) Sumus in Ipso velut in causa conservante.

PARS II. Nam: a) Est auctor vitae nostrae in esse gratiae; b) Est auctor cuiuscumque operationis nostrae in esse gratiae; c) Est auctor perseverantiae nostrae in esse gratiae.

PARS III. Erit medium vitae nostrae beatificae: a) Ut Deus, quia est Verbum; b) Ut homo, quia altissimam gloriam adeptus.

Exordium. Haec concio est velut praecedentis corollarium. Nam tam certum est quod SS. Cor Iesu sit dives in omnes, qui invocant illud, quam certum est quod omnis vita, et omnis sanctitas ex eo diffundatur abunde in obsecrantes se, ita ut vera sit fons vitae et sanctitatis; tum quia omne donum optimum desursum est descendens ab eo; tum quia affatim descendit in diligentes se.

Et merito fons nuncupatur; nam ad similitudinem illius fontis, qui ascendebat e terra irrigans universam superficiem terrae, a Corde Iesu, velut a copiosissimo fonte, manant aquae gratiarum, omne opus bonum foecundantes, et omne aridum

irrigantes, et omne siccum madefacientes, et omne mortuum vivificantes; proinde non fons tantum, sed verus habendus est fluvijs, fluvijs copiosissimus, qui egreditur ex hoc Corde ad irrigandum paradysum, idest animam, Ecclesiam, ipsumque coelum: « pacificans per sanguinem crucis omnia, quae in coelis et in terra sunt ». Et inde iam a primis saeculis, Ecclesia summo ritu hymnum decantabat, quod nondum contigit. « Clavi, lancea – mite corpus perforarunt; unda manat et cruor, – terra, pontus, astra mundus – quo lavantur flumine ». Habemus hic, quae unice de SS. Corde Iesu dicantur, quippe ex illo, ubi miles « lancea latus eius aperuit, continuo exivit sanguis et aqua ». Si enim, ut dicit Scriptura: « qui credit in me flumina de ventre eius fluent aquae vivae » (1), quanto copiosiora futura sunt flumina manantia a Corde Iesu, quod non per participationem, sed per se est fons, dicente propheta, « apud te est fons vitae? » En ratio qua a me, sic praesens stabilitur.

Propositio. *A Corde Iesu hauriendum, quia est fons vitae.*

Super illud: « In ipso vita erat »; scribit Tirini. « In ipso Verbo, tamquam in fonte, vita erat vera, essentialis et aeterna, qua et sibi perfectissime vivit, et omnes non vivificat; primo: per vitam naturae, creando nos; secundo: per vitam gratiae, reparando nos; tertio: per vitam gloriae, beatificando nos » (2). Unde in SS. Corde Iesu, quod est Cor Verbi, est hic verus vitae fons, velut in causa; nam, ut Verbum « hanc vitam et lucem hominibus communicaret, ad eos descendit, et hominem se fecit, ut sicut per Verbum macrocosmus, hoc est magnus hic mundus, olim creatus est; ita et per illud ipsum microcosmus, idest parvus mundus, puta homo, recrearetur, et a morte peccati ad vitam gratiae et iustitiae revocaretur » (3). Ideo Cor Iesu est fons vitae, quia

(1) IOANN. VII, 38.

(2) In Ioann., I, 4.

(3) A LAP. in hunc loc.

Divisio. I. *Est vitae nostrae naturalis causa; II. Est vitae nostrae supernaturalis gratiae fundamentum; III. Erit vitae nostrae beatificae medium.*

PARS I. — EST VITAE NOSTRAE NATURALIS CAUSA.

« Omnia per ipsum facta sunt » (1). Per Verbum non ut per causam instrumentalem, sed ut per causam principalem et effectivam, omnia creata sunt. Omnia scilicet, quae non sunt Deus, ab angelo usque ad vermiculum, ait S. Augustinus. Et D. Paulus: « In ipso (Verbo, seu Christo) condita sunt universa in coelis et in terra, visibilia et invisibilia; sive throni, sive dominationes, sive principatus, sive potestates, omnia per ipsum, et in ipso creata sunt, et ipse est ante omnes, et omnia in ipso constant » (2). Omnia per ipsum, sicut per causam effectivam; et in ipso tamquam in causa exemplari et conservante.

a) Sumus per ipsum sicut per causam effectivam, etiam quoad vitam naturalem, contra Socinianos asserentes haec verba « omnia per ipsum facta sunt », ad solam creationem spiritualem, seu restorationem generis humani per Evangelium referri; et contra Cerinthum et Nicolaitas, creationem visibilium alii Deo tribuentes. Creationem enim, quae solius Dei propria est, Pater per Verbum effecit; et non velut instrumentum vel organum, vel ministrum, contra Arianos, sed per efficacissimum, omnipotens et aeternum sui Verbum. Unde haec propositio per significat tantum potestatem creandi omnia, sicut divinam essentiam, ab aeterno, Filio communicatam a Patre.

Ergo (3) « quaecumque naturaliter facta sunt, quaecumque sunt in creaturis, omnia omnino quae fixa in coelo sunt, quae fulgent desuper, quae volitant sub coelo, et quae mo-

(1) IOANN. I, 3.

(2) Coloss. I, 16.

(3) NAT. ALEX. in Ioann. I, 3.

ventur in universa natura rerum, omnis omnino creatura.....; nulla forma, nulla compages, nulla qualiscumque substantia quae potest habere pondus, numerum, mensuram, nisi per Verbum est, et ab illo Verbo Creatore, cui dictum est: « omnia in mensura et numero et pondere disposuisti » (1). Ergo et nos sumus in Verbo, sumus in Iesu qui est ipsum Verbum incarnatum, velut in causa effectiva, de quo legitur: « cum eo eram cuncta componens » (2).

b) Deinde sumus in ipso tamquam in causa exemplari. Ideo Apostolus: « omnia in ipso creata sunt » (3) « sicut per causam exemplarem » scilicet, iuxta D. Thomam (4): « Deus enim, cognoscendo se, cognoscit omnem creaturam. Verbum igitur in mente conceptum, est repraesentativum omnis eius, quod actu intelligitur. Unde in nobis sunt diversa verba, secundum diversa quae intelligimus. Sed quia Deus uno actu, et se et omnia intelligit, unicum Verbum eius est expressivum non solum Patris, sed etiam creaturarum. Et sicut Dei scientia Dei quidem est cognoscitiva tantum, creaturarum autem cognoscitiva et factiva; ita Verbum Dei, eius, quod in Deo Patre est, est expressivum tantum; creaturarum vero est expressivum et operativum » (5).

In quantum ergo est creaturarum operativum dicitur causa efficiens earum; ideo: « omnia per ipsum ». In quantum autem est expressivum earum, dicitur causa exemplaris; et in hoc sensu omnia « et in ipso creata sunt »; sicut etiam legitur in Daniele: « Deus aeternae, qui absconditorum es cognitor, qui nosti omnia, antequam fiant » (6). « Priusquam te formarem in utero, novi te » (7).

c) Tandem sumus in ipso, tamquam in causa conser-

(1) Sapient. XI, 21.

(2) Prov. VIII, 30.

(3) Coloss. I, 16.

(4) Expositio in hunc loc.

(5) Summ. Theol., part. I, q. XXXIV, a. 3.

(6) XIII, 42.

(7) IEREM. I, 5.

vante. « Ideo Apostolus; et omnia in ipso, (scilicet, Christo Iesu) constant; idest conservatur. Sic enim se habet Deus ad res, sicut sol ad lunam, quo recedente, deficit lumen lunae. Et sic, si Deus subtraheret suam virtutem a nobis, in momento deficerent omnia » (1). Ideo de Christo dicitur: « portansque omnia verbo virtutis suae » (2). Est enim Verbum virtuosum, per quod omnis creatura portatur, seu sustentatur; nulla enim creatura, quae de se nec subsistere nec stare potest, subsisteret, nisi eadem virtute, qua creata fuit, sustentaretur. Quod quidem fit per Verbum virtutis Patris per quod et omnia facta sunt, et in eo, velut exemplari, condita sunt. Unde: « in ipso vivimus, movemur, et sumus » (3). Et ita triplici modo Iesus est vitae nostrae naturalis causa, sicut et totius creaturae, quia est causa effectiva, exemplaris et conservans vitae nostrae naturalis.

PARS II. — EST VITAE NOSTRAE SUPERNATURALIS GRATIAE FUNDAMENTUM.

Secundo Cor Iesu est fons vitae, quia ab ipso omnis spiritus vitae supernaturalis gratiae, tamquam ab unico et uberrimo principio profluit.

Ad quod sciendum est, quod, cum in homine sit duplex substantia, spiritualis, scilicet, et corporea, est in eo duplex vita. Vivit corpus propter animam; sed vivit anima propter Deum. Corpus vivit, dum per hanc intimam et incomprehensibilem unionem, quam substantialem vocant, animae manet unitum; alioquin putrescit, arescit, corrumpitur, uno verbo, moritur. Anima vivit in esse naturae per potentiam Dei eam conservantis; sed in esse gratiae per coniunctionem cum Deo, qua dona coelestia eam nutriunt ac fovant, ut ad superna-

(1) D. THOM. Exp. hoc loc.

(2) Hebr. I, 3.

(3) Act. Ap. XVII, 28.

turalia se erigat; unde gratia dicitur « donum supernaturale, gratis a Deo hominibus collatum, quod de se tendit ad actum et finem supernaturalem ».

Quando ergo, disrupta amicitia animam inter ac Deum, propter mandatorum contemptum, « vos amici mei estis si feceritis quae ego praecipio vobis » (1), Deus secedit ab ea; interruptur coelestium communicatio donorum; et ex tunc, non operatur nec tendit ad finem supernaturalem. Ideo peccatores dicuntur mortui: « nomen habes quod vivas et mortuus es » (2); et quamvis videantur operari, non tamen ad finem operantur supernaturalem: « seminastis multum, et inutilistis parum » (3).

Huius communicationis aestimabilissimae, est fons Cor Iesu; est enim vitae nostrae supernaturalis gratiae fundamentum. Et hoc propter tria.

a) Primo, quia est auctor vitae nostrae in esse gratiae. « Gratia et veritas per Iesum Christum facta est » (4). Unde Apostolus: « Ipsius (Dei) sumus factura, creati in Christo Iesu » (5). In quo duo attendenda sunt, iuxta D. Thomam: « Quorum primum est, ut id quod est per gratiam, non insit homini per seipsum, vel a seipso, sed ex dono Dei. Et quantum ad hoc Apostolus dicit quod ipsius Dei sumus factura; quia scilicet quidquid boni nos habemus, non ex nobis ipsis, sed ex Deo faciente » (6).

Secundo pertinet ad rationem gratiae, quod non sit ex operibus praecedentibus. Et hoc exprimitur in hoc quod subdit, *Creati*. Est enim creare aliquid ex nihilo facere. Unde quando aliquis iustificatur sine meritis praecedentibus, dici potest creatus, quasi ex nihilo factus. — Nota: Ex nihilo morali nempe, per analogiam ad nihilum physicum, ex quo proprie

(1) IOANN. XV. 14.

(2) Apoc. III; 1.

(3) AGGAEI, I, 6.

(4) IOANN. I, 17.

(5) Ephes. II, 10.

(6) *Exposit.* in hunc loc.

dicta creatio fieri supponitur. Hinc Augustinus (1): « Non illa creatione qua homines facti sumus, sed ea de qua ille dicebat qui utique iam homo erat; cor mundum crea in me Deus » (2).

Haec autem actio, scilicet creatio iustitiae, fit virtute Christi, Spiritum S. dantis: propter quod Apostolus subdit: « in Christo Iesu »; idest per Christum Iesum. Unde quod sit autor huiusce creationis et consequenter vitae nostrae in esse gratiae: « Ego veni ut vitam habeant » (3).

b) Est etiam Cor Iesu auctor cuiuscumque operationis sive progressus nostri in esse gratiae. Nam ut ait ipse, « sine me nihil potestis facere » (4). Nec magnum, nec parvum, nec difficile, nec facile. Nihil omnino sine gratia mea, non solum perficere, sed incipere, et absolute facere potestis. Nihil sine interiori gratiae meae, vos praeventis, vos trahentis, in vobis operantis, ut velitis et volentibus, cooperantis auxilio (5).

Et e contra: « qui manet in me et ego in eo, hic fert fructum multum ». Unde concilium cartaginense: « Item placuit ut quicumque dixerit, ideo nobis gratiam iustificationis dari, ut quod facere per liberum iubemur arbitrium, facilius possimus implere per gratiam, tamquam, etsi gratia non daretur, non quidem facile, sed tamen possimus etiam sine illa implere divina mandata, anathema sit. De fructibus enim mandatorum Dominus loquebatur, ubi non ait, sine me difficilius potestis facere, sed ait: sine me nihil potestis facere » (6).

Ideo D. Thomas, super verba Apostoli antea allata: « creati in Christo Iesu, in operibus bonis », scribit: « Ulterius non solum datur nobis habitus virtutis et gratiae; sed interius per Spiritum S. renovamur ad bene operandum ».

(1) *De liber. arbitr.* cap. VIII.

(2) *Nota ad Exp. D. THOM. in D. Paul.* loc. cit.

(3) IOANN. X, 10.

(4) IOANN. XV, 5.

(5) NAT. ALEX. hoc loc.

(6) *Celebr. an. 418 cont. Pelag. can.* VI.

Unde subdit: « in operibus bonis »; quia scilicet ipsa bona opera sunt in nobis a Deo, iuxta Isaiam: « omnia opera nostra operatus es in nobis » (1).

c) Tandem Cor Iesu est auctor perseverantiae nostrae in esse gratiae; quae est « in ratione bene considerata stabilis et perpetua permansio » iuxta Tullium. Cum enim perseverantia finalis sit gratia; et respectu ultimi finis adipiscendi sit maxima gratiarum, est enim velut corona caeterarum; absque dubio a Corde Iesu procedit, quod est auctor vitae et cuiuscumque operationis in esse gratiae, ut dictum est. Ideo Habacuc: « Deus Dominus fortitudo mea, et ponet pedes meos quasi cervorum; et super excelsa deducet me victor in psalmis canentem » (2). Et D. Paulus: « Fidelis est Deus, qui vocavit vos, qui etiam faciet » (3). De cuius doni excellentia loquens ait D. Bernardus: « Perseverantia singularis est filia summi regis, virtutum fructus, earumque consummatio, totius boni repositorium » (4).

Unde est quod sit, in ratione finis, praestantissimum bonum, in nos a Corde Iesu proveniens.

PARS III. — ERIT VITAE BEATIFICAEE MEDIUM.

Restat tandem considerare Cor Iesu, velut vitae nostrae beatificae medium; non in sensu, quo eo mediante gloriam obtinebimus, hoc enim gratiae proprium est, sed in sensu quo in statu gloriae, erit medium vitae nostrae beatificae per lumen, scilicet, ab eo derivatum. Hoc autem duplici ratione:

a) Prima: ut Deus, quia est Verbum. De fide est intellectum beatum visurum esse Deum: « videmus nunc per speculum, in aenigmate; tunc autem facie ad faciem » (5), id est

(1) XXVI, 12.

(2) III, 19.

(3) I Thessal. V, 24.

(4) Sermon. de obedient. eiusque gradib.

(5) I Corinth. XIII, 12.

essentiam divinam; ut enim ait D. Thomas « Deus secundum quod Deus est, non habet faciem. Et ideo hoc quod dicit Apostolus: facie ad faciem, methaphorice dicitur; cum enim videmus aliquid in speculo, non videmus ipsam rem, sed similitudinem eius; sed quando videmus aliquid secundum faciem, tunc videmus ipsam rem, sicuti est. Ideo nihil aliud vult dicere Apostolus cum dicit: videbimus in patria facie ad faciem, quam quod videbimus ipsam Dei essentiam » (1). Unde D. Ioannes: « videbimus eum sicuti est » (2).

Nunc autem « visio divinae essentiae convenit omnibus beatis, secundum participationem luminis derivati in eos a Fonte Verbi Dei, secundum illud Eccli: « Fons sapientiae Verbum Dei in excelsis » (3); ut scribit D. Thomas (4); unde fit quod tanto perfectius unus prae alio videat divinam essentiam, quanto maius lumen a Verbo in eum derivetur. Cum ergo hoc Verbum veneremur in Corde Iesu, quod est ipsi substantialiter unitum (Conc. III), en quare una colimus Illum a quo derivatur vitae nostrae beatificae medium.

b) Deinde est vitae nostrae beatificae medium ut homo quia altissimam gloriam adeptum est. Cum oculus corporeus, etsi glorificatus nequeat Deum videre (quia, ut dicit Angelicus « si a sensu removeatur id, quod convenit sensui, in quantum est sensus, iam non erit sensus; et similiter si a visu removeatur illud, quod est visus, in quantum est visus, iam non erit visus (5) ») oportet quod corpus glorificetur per conspectum aliorum corporum beatorum. « Cum ergo visus et sensus sit futurus idem specie in corpore glorioso, qui erat in corpore non glorioso, non poterit esse quod divinam essentiam videat, sicut visibile per se; videbit autem eam sicut visibile per accidens; dum ex parte una visus corporalis tantam gloriam Dei inspiciet in corporibus, et praecipue gloriosis, et

(1) Expos. in hunc loc.

(2) I Ioann. III, 2.

(3) I, 5.

(4) Summ. Theol. part. III, q. X, a. 4.

(5) Part. III, q. XCII, a. 2.

maxime in corpore Christi; et ex parte alia intellectus tam clare videbit Deum, quod in rebus corporaliter visis Deus percipietur, sicut in locutione percipitur vita. Quamvis enim tunc intellectus noster non videat Deum ex creaturis, tamen videbit Deum in creaturis corporaliter visis » (1).

Cum ergo in nullo, sicut in Corpore Christi, effulgeat gloria divinitatis, « lucerna eius est Agnus » (2), ipsum certe erit praecipuum medium vitae beatificae corporis nostri.

Consequentia. Ergo a Corde Iesu hauriendum, ut, scilicet, ab eo vitam bibamus. Inde enim emanat aqua vivificans, de qua Dominus per Isaiam: « Effundam enim aquas super sitientem, et fluenta super aridam; effundam spiritum meum super semen tuum et benedictionem meam super stirpem tuam. Et germinabunt inter herbas, quasi salices iuxta profluentes aquas » (3). Os apponamus ad hanc vitae venam; ad vulnus Cordis accedamus, vitam gratiae et virtutum inde recepturi: « si quis sitit veniat me » (4); ut non sit anima nostra tamquam arida: « anima mea sicut terra sine aqua tibi » (5); sed potius bonis operibus abundans, tamquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo.

Affectus. Omnes sitientes venite ad aquas. Quotquot ardor cupiditatum exurit; quotquot lactae defatigatio premit; quotquot sitis iustitiae torquet; venite ad Cor Iesu, de quo dictum fuit: « In die illa erit fons patens domui David, et omnibus habitatoribus Hierusalem in ablutionem peccatoris et menstruae » (6). Venite ad Cor verae vitae, tranquillae vitae, aeternae vitae, cum gaudio aquas haurire: « haurietis

(1) D. THOM. eod. loc.

(2) *Apoc.* XXI, 23.

(3) *XLIV*, 3, 4.

(4) *IOANN.* VII, 37.

(5) *Psal.* CXLII.


(6) *ZACH.* XIII, 1.

in gaudio aquas de fontibus Salvatoris » (1). O fons perennis! O aquae salutes, quarum lavacro coelo nascimur, et a peccatis mundamur! Amplius, Cor SS., lava me. Munda animam ut pulchra sit. Lava corpus, ut a spiritu libidinis mundum sit. Permite mihi ut labia lateri tuo apponam, ibique sitis mea nunc et in perpetuum expleatur.

Deprecatio. Domine Iesu Christe, qui ineffabiles Cordis tui divitias Ecclesiae sponsae tuae singulari dilectionis beneficio aperire dignatus es, concede propitius, ut gratis coelestibus ex hoc dulcissimo fonte manantibus, corda nostra ditari ac recreari mereamur. (Ex Missa « Venite »).

(1) *ISAI.* XII, 3.





CONCIO XXVIII.

THEMA: Ego, sitiendi dabo de fonte aquae
vitae gratis.

(Apoc. XXI, 6).

IDEA CONCIONIS

PROP. Ad Cor Iesu ut exornemur, quia est fons sanctitatis.

DIVISIO. Est fons: I. Altissimus; II. Ditissimus; III. Copiosissimus sanctitatis.

PARS I. Est fons altissimus, idest sanctitatis altissimae: scilicet a) Infusae; b) Divinae; c) Et sanctitatis, quam Christus habet per unionem hypostaticam.

PARS II. Est fons ditissimus; idest sanctitatis: a) Confirmantis; b) Promoventis; c) Et perficientis.

PARS III. Est fons copiosissimus quia: a) Manans abunde; b) Perpetuo; c) Et gratis.

Exordium. Non immerito sub una complectuntur deprecatione et vita et sanctitas, tamquam ab uberrimo Cordis Iesu fonte manantes. Nam vita potest spiritualiter sumi, et sic est fundamentum totius sanctitatis quacum intime nectitur; non enim potest quis in spiritualibus progredi, quod est sanctior effici, nisi vivat per gratiam; nam prius est esse quam operari, iuxta commune effatum.

Sed itidem, nos non sine fundamento inter utramque distinguimus. Nam aliud est vivere, et aliud operari, etsi vita sit operatio quaedam, habitualis nempe. Vita enim potest considerari tamquam radix cuiuscumque operationis vitalis; cuius quidem operationis principium in spiritualibus, est charitas.

Sed sanctitas supponit ac praesefert actus excellentiores virtutum, sive vitam in exercitio, ita ut nequeat dari sanctitas sine vita, et tamen possit quis vivere, nec tamen in sanctitatis viam progrediatur.

Quia ergo sitientes sunt iusti, quibus sanctitas est velut cibus et potus; quia sitientes sunt sancti viatores desiderantes, quantum satis est, conformari illi altissimo exemplari, de quo dicitur « estote ergo vos perfecti sicut Pater vester coelestis perfectus est » (1), en quare ad Cor Iesu huiusce sanctitatis fontem accedentes, sanctitate exornabimur: unde haec

Propositio. *Ad Cor Iesu ut exornemur, quia est fons sanctitatis.*

Oportet in primis, etiamsi sub brevibus, notionem sanctitatis exponere; quae quidem tripliciter dici potest (2). Primo in quantum importat conformitatem affectuum et morum cum lege aeterna: « sanctus dicitur, cuius affectus et mores exakte conveniunt legi aeternae ». Secundo consistit in coniunctione cum Deo per affectum; unde amor Dei dicitur sanctitas. Tertio significat puritatem animi alienam ab omni contagio et labe peccati; ideo Dionisius: « Sanctitas est, ut more nostro loquar, ab omni scelere libera, et omnino perfecta, et omni ex parte immaculata puritas » (3). Ideo Deus est essentialiter sanctus, quia simplicissimus, et ab omni contagio immunis, nam « omnes affectus eius et omnes eius operationes exactissime legis aeternae rectitudini conformantur » (4); quia « sibi ipsi maxime coniunctus est, tum per naturam suam, tum per affectum amoris »; denique « quia in eo essentia rationem voluntatis obtinet, quae simili modo essentialiter congruit cum lege aeterna, quae est in mente Dei » (5).

His accedit D. Thomas dicens: « Quod nomen sanctitatis

- (1) MATTH. V, 48.
- (2) A LAPIDE in Eccl. XLVI, 7.
- (3) De Div. nom. XII.
- (4) A LAPIDE, loc. cit.
- (5) Loc. cit.

duo videtur importare, nempe munditiam: dicitur enim sanctum quod a terra terrenisque faecibus est secretum; et firmitatem, quatenus sanctum est Deo cohaerens, addictum, et consecratum » (1). Primum respondet puritati, de qua supra D. Dionisius. Secundum, nempe firmitas, complectitur et conformitatem affectuum et morum cum lege aeterna, et coniunctionem cum Deo per affectum.

De sanctitate ergo in quantum importat munditiam non loquimur; munditia enim in spiritualibus supponit tantum vitam spiritualem, de qua supra (conc. praec.); sed solum in quantum importat firmitatem et progressum in perfectionis viam; eodem sensu quo Christus Patrem rogans pro discipulis ait: « Sanctifica eos in veritate » (2). Nam *is* sanctifica non actum inchoatum, quia iam apostoli erant sancti, sumpserantque paulo ante S. Synaxim, sed proficientem et perfectum significat, iuxta illud (3): « et sanctus sanctificetur adhuc » (4). Et huius sanctitatis est fons Cor Iesu, quod est sanctissimum: « idest sanctum sanctitate omnino perfecta, et connaturali ob unionem hypostaticam » (5): sanctum sanctorum, idest sanctissimum. Unde D. Bernardus: « Ut quid, inquit, ita simpliciter sanctum et absque additamento? Credo quia non habuit quid proprie, digneve nominaret illud eximium, illud magnificum, illud reverendum, quod de purissima videlicet Virginis carne cum sua anima, unico Patri erat uniendum. Si diceret sancta caro, vel sanctus homo, vel sanctus infans, quidquid tale poneret, parum sibi dixisse videretur. Posuit ergo indefinite: *sanctum*, quia quidquid illud sit, quod Virgo genuit, sanctum procul dubio, ac singulariter sanctum fuit, et per Spiritus sanctificationem et per Verbi assumptionem » (6). Cuius quidem sanctitatis omnimodae, latus apertum est.

- (1) II^a-II^{ae}, q. LXXXI, a. 8.
- (2) IOANN. XVII, 17.
- (3) Apoc. XXII, 11.
- (4) A LAPIDE, hoc loc.
- (5) SUAREZ, Part. III, disp. XVIII, sect. 1.
- (6) Sermo IV super Missus. Vide A LAPID. in Luc. c. I, v. 35.

Divisio. Fons: I. *Altissimus*; II. *Dilissimus*; III. *Copiosissimus*.

PARS I. — FONS ALTISSIMUS.

Cor Iesu est fons altissimus sanctitatis, seu sanctitatis altissimae; est enim fons sanctitatis ipsius Christi, quae in nos effusa est per vulnus Cordis. Quae quidem triplex est; nempe sanctitas infusa, divina, et quam habet per unionem hypostaticam. Audiamus A. Lapide, qui sub titulo: « Triplex Christi sanctitas nobis data » sic alloquitur (1): « Christus, ut homo, triplicem habuit sanctitatem, quam Apostolis et fidelibus communicavit. Prima fuit infusa, scilicet, gratia, charitas caeteraeque virtutes animae Christi a Deo in primo conceptionis eius instanti inditae, uti nobis Deus easdem per Christi merita infundit. Secunda fuit sanctitas divina, qua nimirum deitas ipsa sanctissima est et fons omnis sanctitatis hominum et angelorum; hanc enim habuit Christus ut homo per communicationem idiomatum; per hanc enim attributa Deitatis, inter quae unum est sanctitas, vere attribuuntur Christo homini, utpote qui in eadem persona Verbi cum Deitate subsistit. Tertia sanctitas Christi hominis praecise facta est per ipsam eius unionem hypostaticam cum Verbo; per hanc enim praecise humanitas Christi sanctificata fuit effectaque sanctissima; nam etiamsi Christus, ut homo, nullam habuisset gratiam infusam, ipsa tamen eius unio hypostatica cum Verbo summa erat eius sanctificatio et sanctitas. Hinc humanitas Christi, quia Verbo unita, peccare non poterat, eratque plane impeccabilis. Deo gratissima et acceptissima, imo Christus, ut homo, erat Dei Filius non adoptivus ut nos, sed proprius et naturalis ». Huius autem triplicis sanctitatis altissimae rivuli in nos emanant a Christo; nam D. Augustinus exponens illud: « sanctifica eos in veritate », scribit: « sanctifica eos in me, qui

(1) Nota in Ioann. XVII, 17, super illud: « sanctifica eos in veritate ».

sum via, veritas, et vita. Fac eos meae bonitatis et sanctitatis participes » (1).

Et revera per Christum facti sumus participes sanctitatis

a) Eius infusae; per eum enim accepimus gratiam virtutes et dona Spiritus Sancti, sive ipsum Spiritum Sanctum, qui est fons totius sanctitatis creatae et increatae: « Paraclitus autem Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia » (2). In hoc tamen differt quod Christus plenitudinem Spiritus Sancti accepit, seu plenam sanctitatem infusam tamquam universale principium, unde omnes sanctificaremur: « et requiescet super eum Spiritus Domini » (3); nos autem ex parte tantum dona Spiritus Sancti suscipimus: « Alii quidem per Spiritum datur sermo sapientiae; alii autem sermo scientiae secundum eundem Spiritum » (4).

b) Deinde sanctitas Christi divina data est nobis ab ipso, non in sensu formali, sic enim attributa divina incommunicabilia sunt, sed solum participative, in quantum natura humana, cuius sumus supposita, in homine Christo fuit sancta sanctitate divina Verbi, quod est suppositum eius. Unde S. Leo: « Agamus ergo dilectissimi gratias Deo Patri per Filium eius in Spiritu Sancto; qui propter multam charitatem suam, qua dilexit nos, misertus est nostri; et cum essemus mortui peccatis, convivicavit nos in Christo, ut essemus in ipso nova creatura novumque figmentum » (5).

c) Tandem sanctitatis, quam Christus habet per unionem hypostaticam facti sumus participes in sensu quo, sicut ille per hanc unionem et ut Deus et ut homo est Filius Dei naturalis, per ipsam nos in Christo facti sumus filii Dei adoptivi, iuxta illud: « videte qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur et simus » (6). Unde S. Leo: « Depo-

(1) Tract. C. VIII.

(2) IOANN. XIV, 26.

(3) ISAI. XI, 2.

(4) I Corinth. XII, 8.

(5) Serm. I de Nativ. Dom.

(6) I Ioann. III, 1.

namus ergo veterem hominem cum actibus suis et adepti participationem generationis Christi, carnis renunciemus operibus. Agnosce, o christiane, dignitatem tuam, et divinae consors factus naturae, noli in veterem vilitatem degeneri conversatione redire. Memento cuius capitis et cuius corporis sis membrum » (1).

Et ita Cor Iesu est fons sanctitatis altissimae; per vulnus enim lateris in universam manat Ecclesiam ipsa sanctitas, quae plenissime superabundat anima Christi per infusionem; et ipsa sanctitas Verbi, sicut ornavit hominem Christum, facit nos quodammodo participes sanctitatis eius divinae; et sanctitas, quam Christus homo habet per unionem hypostaticam, quam homines elevamur ad filiationem Dei adoptivam.

PARS II. — EST FONS DITISSIMUS.

Praeterea Cor Iesu est fons sanctitatis locupletissimus, quo fideles eius ditantur et replentur et perficiuntur. Christus namque, ille est unus, quem Daniel appellat: « Sanctum sanctorum, et iustitiam sempiternam, idest sanctitatem » (2) et S. Dionisius hunc vocat « sanctitatis fontem, qui replet nos sanctitate » (3) « Filius enim, ait S. Cyrillus, non sic, sed ut sanctitatis fons, ex propria potestate sanctificat discipulos » (4). Quod quidem SS. Cor Iesu triplici modo facit, scilicet: confirmando, promovendo et perficiendo eos in sanctitate (5). Hinc apparet quod sit fons locupletissimus sanctitatis confirmantis, promoventis et perficientis.

a) Et primo in sanctitate firmat: « Confirmat autem iustos Dominus » (6); idest « potentia et fortitudo peccatoris

(1) Eod. loc. cit.

(2) IX, 24.

(3) Eccles. Hier. c. IV.

(4) Lib. IV thesauri, c. I.

(5) A LAPIDE in Ioann. XVII, 17.

(6) Psalm. XXXVI, 17.

facile deficient, quia nititur brachio carnis, nec divitiae illum iuvare poterunt. Iusti autem fortitudo et potentia non potest deficere quia nititur brachio Dei. Deus autem, qui amicus iustorum est, illum confirmat, vel ut clarius rem explicat vox hebraica: sustentat ». Ita A Lapide. Et non solum sustentat, seu custodit ab iniquorum impetu, et liberat a manibus eorum, sed in bono firmat, et in sanctitate inita sustentat. Quo sensu D. Paulus ait: « Qui (Dominus noster Iesus Christus) et confirmabit vos usque in finem sine crimine » (1). « Idest quantum est ex parte sua gratiam dabit, quae vos confirmare possit, et actu confirmabit, si eam recipere, si ea uti et vos confirmare in Christi fide et charitate volueritis. Confirmabit, inquam, ad hoc ut sitis et persistatis usque in finem vitae sine crimine, idest inculpati » (2). Et hoc facit quia « Fidelis autem Deus est: qui confirmabit vos, et custodiet a malo » (3); nam Deus ita faciet ut, quia fidelis est et verax, opus fidei et salutis, quod in nobis orsus est, confirmet, perficiat et absolvat iuxta Chrysostomum.

b) Deinde est fons locupletissimus, quia sanctitatis promoventis est fons: « Ego veni, ut vitam habeant » (4). Sed non qualemcumque vitam, non incipientem, non tantum confirmantem, sed modo perfectiorem; « et abundantius habeant ». « Ego veni ut de fidelibus vitam non aliqualem, sed praestantem, eximiam, abundantem, novam, modum excedentem, ut scilicet abundet mea doctrina et gratia, per eamque in spiritu vegeti, laeti, pingues et abundantes donis spiritualibus vivant tum in hoc saeculo per gratiam, tum in futuro per gloriam » (5). Per sanctitatem promoventem, a Corde Iesu quasi manuducimur per invia, per aspera et difficilia humanae fragilitati in sanctitatis apicem, et illuminati splendoribus lucis eius, et capti dulcedine communicationis

(1) I Corinth. I, 8.

(2) A LAPIDE super Paulum hoc loc.

(3) II Thessal. III, 3.

(4) IOANN. X, 10.

(5) A LAPIDE.

ipsius, et confisi, innixique brachio potentiae eius, ut a terrenis omnibus abstrahamur affectibus, numquam retro, sed ultra semper aspicientes et procedentes.

c) Tandem Cor Iesu est fons sanctitatis perficientis; idest ita reddentis animas perfectas per omnimodam, quantum fas est, munditiem a terrenis, et per conformitatem actionum cum lege, et per affectus coniunctionem, ut de his dicatur, sicut olim, quod sunt viri iuxta cor Dei (1). Nam a Corde Iesu non solum gratia, qua ad culmen sanctitatis quis promoveatur, oritur; sed elementa quibus de facto perficimur, aqua scilicet qua abluimur et sanguis quo dedicamur et Deo intime coniungimur. « Non casu et simpliciter hi fontes scaturierunt, sed quoniam ex ambobus Ecclesia constituta est. Sciunt hoc initiati: per aquam enim regenerati, sanguine et carne nutriti sunt. Hinc misteria ortum habent, ut quoties ad admirandum calicem accedis, tamquam ab ipso latere hauriens accedas » (2).

PARS III. — EST FONS COPIOSISSIMUS.

Restat nobis considerandum quomodo Cor Iesu sit fons copiosissimus sanctitatis, quod quidem tripliciter assequimur.

a) Primo quia est fons manans abunde. « In die illa erit fons patens domui David et habitatoribus Hierusalem in ablutionem peccatoris et menstruatae » (3). Erit fons patens; hoc enim interest inter fontem et puteum, quod hic aquam occulte continet et secreto per venam dimittit, vel aegre ab eo hauritur; fons autem sponte aqua manat, et palam. Similiter Cor Iesu est fons sanctitatis manans abunde quia non pro aliquibus, sed pro omnibus, iustis scilicet, et peccatoribus manat. Unde quod sit fons patens Ecclesiae, quae significatur per civitatem Hierusalem: Ecclesiae enim membra in hac

(1) 1 Regum XIII, 14.

(2) CHRYSOSTOM. Hom. LXXXIV in Ioann. c. XIX.

(3) ZACH. XIII, 1.

fonte mundantur si peccatores fuerint, et perficiuntur, seu decorantur si iusti sint; ita ut omnis sitis perfectionis expleatur, prouti patet de eminentioribus sanctis, iuxta illud: « si quis sitit, veniat ad me »: et hoc quia in Corde Iesu et per illud non datur nobis tantum sanctitas ad mensuram, sed ipsum receptaculum sanctitatis. Et ideo est fons manans abunde, quia palam et in omnes manat, quia animum omnino explet, quia tandem ipsius divinae sanctitatis est fons copiosissimus, ideoque indeficiens et immensus; talis enim est Deus.

b) Qui quidem numquam deficiet, ita namque et manat, et manet perpetuo: « Ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi » (1). Vobiscum sum; idest: « tum qua Deus, tum qua homo per praesentem opem, gratiam, robur, consolationem, directionem, liberationem, quam vobis et vestris successoribus semper afferam, per quam vobis omnia difficilia reddam facilia » ait S. Chrysostomus (2). Et usque ad consummationem saeculi; idest semper et totius animae fidelis vitae temporalis decursu, et totius Ecclesiae militantis statu. Unde S. Hieronymus: « Qui usque ad consummationem saeculi se cum discipulis futurum esse promittit, et illos ostendit semper esse victuros, in suis posteris et successoribus, et se numquam a credentibus recessurum ».

« Hac de causa Christus voluit in venerabili Eucharistiae Sacramento iugiter manere in Ecclesia, immo et in ecclesiis omnibus et singulis usque ad finem mundi. Sicut enim Christi humanitas et deitas gloriosa est in coelo, adoraturque visibiliter ab angelis et sanctis, sic eadem et in Eucharistia, sed occulta sub speciebus panis et vini, ideoque invisibilis, ibique adoratur, imo manducatur a fidelibus, ut animabus eorum omne id praestet, quod panis et vinum praestat corporibus, puta, omne nutrimentum, omnem vigorem, omne robur, omnem suavitatem, omnes delicias, omne gaudium » (3).

(1) MATTH. XXVIII, 20.

(2) A LAPIDE, hoc loc.

(3) A LAPIDE, loc. cit.

c) Est tandem fons manans gratis: « quia licet iusti suis bonis operibus mereantur vitam aeternam, haec tamen dicitur, et revera est gratia; primo respectu laboris eorum, qui in se exiguus est nec dignus tanto praemio, non enim sunt condignae passionibus huius temporis ad futuram gloriam, quae revelabitur in nobis. Secundo respectu primae gratiae ex qua profluunt bona opera: haec enim omnino gratis datur » (1). Unde Apostolus: « gratia autem Dei sum id quod sum » (2). Et hoc sensu Cor Iesu est fons manans gratis; ab eo enim fluunt omnes gratiae, quibus iusti bonum exiguum respectu tanti premii operantur. Unde: « sine me nihil potestis facere » (3); idest absque meo auxilio, nihil supernaturali praemio dignum potestis facere. Et similiter a Corde Iesu orta fuit prima gratia redemptionis per meritum sanguinis eius effusi, et prima gratia, sive vocationis, sive regenerationis spiritualis, quae fuit velut radix caeterarum, et principium operationis cuiuscumque in vita gratiae. Ideo: « gratia et veritas per Iesum Christum facta est » (4).

Consequentia. Ergo ad Cor Iesu, ut exornemur sanctitate, adire compellimur: ad hoc enim elegit nos Deus ante mundi constitutionem, ut essemus sancti et immaculati in conspectu eius. Si enim populo Israelitae, qui lege premebatur dictum fuit, « sancti eritis, quia ego sanctus sum »; quanto magis populus christianus, qui gratia et charitate informatur, debet sanctificari? Ille sub iugo legis erat; nos sub libertate, qua Christus nos liberavit. Ille in figura Redemptorem vidit, ideo expectavit; nos in veritate complectimur, idcirco saturamur. Saturamur, inquam, quotiescumque, ad petram accedentes, de petra bibimus; petra enim est Christus.

Affectus. Surge igitur, amica Christi, esto sicut columba nidificans in summo ore foraminis; ibi, ut passer inveniens

(1) A LAPIDE in Apocal. XXI, 6.

(2) I Corinth. XV, 10.

(3) IOANN. XV, 5.

(4) IOANN. I, 17.


domum, vigilare non cesses; ibi tamquam turtur casti amoris pullos absconde; ibi os appone, ut haurias aquas de fontibus Salvatoris; hic enim est fons egrediens de medio paradisi, qui in quatuor divisus capita et in corda devote diffusus, foecundat et irrigat universam terram » (1).

Deprecatio. O Salvator hominum, Christe Iesu, cuius opus redemptio nostra est, cuius imitatio tota perfectio est, aperi mihi, obsecro, sanctissimum Cor tuum, ianuam vitae et fontem aquae vivae, ut per illud ad tui notitiam ingrediar, et aquam verae virtutis, omnem sitim rerum temporalium extinguentem, bibam (2).

(1) D. BONAVENTURA, tom. I In ligno vitae.

(2) Ex P. ALVAREZ S. I.





UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

CONCIO XXIX.

THEMA: Ipse est propitiatio pro peccatis nostris.

(I. Ioann. II, 2).

IDEA CONCIONIS

PROP. Cor Iesu offerendum, quia est propitiatio pro peccatis nostris.

DIVISIO. Est propitiatio: I. Excellentissima; II. Acceptissima; III. Fructuosissima.

PARS. I. Ex parte Sui est excellentissima quia: a) Unica; b) Immaculata; c) Meritissima.

PARS. II. Ex parte Patris est acceptissima quia: a) Merito iustitiae satisfacit; b) Misericordiam meretur; c) Gloriam dignam Deo reddit.

PARS. III. Ex parte nostri est fructuosissima, nam: a) Vivis bona copiosissima obtinet; b) Et defunctis plenissimam remissionem largitur.

Exordium. Multitudo et gravitas peccatorum, quae et olim et semper tam impudenter in Deum patrata sunt et patrantur, habentibus adhuc fidem in misericordia Domini praecipunt ut ad advocatum accedant sanctum, iustum, potentem, ac validum, antequam tot tantique peccatores deleantur, sicut in diebus Noe, a facie terrae.

Scelera antediluvianorum ita Deum provocaverunt ut poenituit Eum fecisse eos (1).

Semper peccatum postulavit et flagitavit vindictam a Domino. « Quid fecisti? vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra » (2). Clamor Sodomorum et Gomorrhæ, lacrymae

(1) Vide *Genes.* VI, 5, 6, 7.

(2) *Gen.* IV, 10.

orphanorum et viduarum quos expoliavit foenerator et praepotens oppressit, merces operariorum fraudata, blasphemiae, latrocinia, vociferant ad Eum; et clamor hic in aures Domini Sabaoth introivit.

Et vel adhuc intrat! Quare igitur Deus Pater non extendit manum, ut mundum, tam procaciter peccantem in Creatorem, Redemptorem, Conservatorem, purificet vel aqua, vel igne? Quia Ille, qui dives est in misericordia propter nimiam charitatem suam, qua dilexit nos, cum essemus mortui peccatis, convivificavit nos in Christo, cuius gratia sumus salvati; et conresuscitavit et consedere fecit in coelestibus in Christo Iesu: ut ostenderet in saeculis supervenientibus abundantes divitias gratiae suae in bonitate super nos in Christo Iesu (1).

Et hic Iesus: « quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius ad ostensionem iustitiae suae propter remissionem praecedentium delictorum (2), hic Iesus est advocatus noster: « advocatum habemus apud Patrem, Iesum Christum » (3); qui semper vivit interpellans pro nobis.

En quare mundus centies iam non corrui, en quare peccatores scelestissimos tolerat, imo et assidue vocat per gratiam Dominus! Cor enim Iesu quotidie super altare in propitiationem offertur pro peccatis eorum. Et haec est ratio quae a nobis sequens statuitur

Propositio. *Cor Iesu offerendum, quia est propitiatio pro peccatis nostris.*

Est SS. Cor Iesu sacerdos simul et hostia sui sacerdotii. Est sacerdos, ut legitur: « Tu es sacerdos in aeternum » (4); nam Patri obtulit sacrificium, non panis et vini sicut Melchisedech, sed sacrificium laudis gratissimum; cuius quidem sacerdotii et pontificatus praestantiae, levis fuit figura gloria Pontificis Aaron caeterorumque veteris legis. Et est etiam

(1) *Ephes.* II, 4 et seq.

(2) *Rom.* III, 25.

(3) *I Ioann.* II, 1.

(4) *Psalm.* CIX, 4.

hostia sui sacerdotii; nam Christus « semetipsum obtulit immaculatum Deo »; obtulit enim in cruce corpus suum plagis vulneratum, obtulit animam amaritudine oppressam et divinitatem utrumque ponderantem, quae, tantae hostiae merito, pacem dedit saeculo.

Quod semel fecit quotidie facit. Nam ardentissimo erga nos amore compulsus, vivit interpellans pro nobis, Patri offerens Cor suum cum affectibus et meritis infinitis, apertumque vulnere ac sanguinem manans, quo delevit quod adversus nos erat chirographum mortis, affingens illud cruci.

Et hoc sensu est Cor Iesu propitiatio pro peccatis nostris; est enim hostia oblata a seipso pro peccatis nostris. Cuius propitiationis meritum triplici capite percurreremus.

Divisio. I. *Ex parte ipsius hostiae, quae in propitiationem offertur*; II. *Ex parte Patris, cui offertur*; III. *Ex parte peccatorum, pro quibus exhibetur. Ex parte ipsius est excellentissima: ex parte Patris, acceptissima: ex parte peccatorum, fructuosissima.*

PARS I. — EST PROPITIATIO EXCELLENTISSIMA.

Primo ex parte ipsius Cordis Iesu, quod continuo in propitiationem offertur, est hostia excellentissima. Nam super illud: « Et ipse est propitiatio pro peccatis nostris » (1), scribit A Lapid: « Propitiatio id est propitiator pro peccatis nostris, quia scilicet se offerens in cruce victimam pro peccatis, pro eis Deo Patri satisfecit, eumque nobis reconciliavit ».

Et ideo victima sive hostia excellentissima.

a) Quia unica: non in ratione numeri, sed in ratione meriti. Quamvis namque plures et diversae speciei offerebantur antiquitus hostiae, tamen haec antonomastice, seu per excellentiam vocatur: *hostia*; quia illae ex se nullum habe-

(1) *I Ioann.* II, 2.

bant placationis meritum, sed solum in quantum Christum figurabant. Quod si hostiae illae, mutuato Christi nomine placebant, et languida, quamvis inscriptae, figura Christi placabant; quid putas de ipso Corde Christi sentiendum, cum non nomine, sed re, non figura sed persona hostiam perferat semetipsum, hostiam vivam, sanctam, Deo placentem, in qua nec ruga, nec macula, sed Sanctitas increata, charitas infinita, praetium inaestimabile iustitiae et puritatis divinae? Et omnes simul et veteris et novae legis hostiae, puta, martyres et poenitentes, nequivissent Deum propitium homini umquam reddere, seu placere, nisi merito istius singularis hostiae. Ideo nullum alium proposuit Pater propitiorem nisi Christum, «quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius» (1).

Hostia unica, non solum quia Christus est unus, sed quia unica exoratio eius sufficit ad placandum et reconciliandum Patrem; et ideo, «hoc (scilicet offerre non pro suis sed pro populi delictis) enim fecit semel, seipsum offerendo» (2). «Christus namque non pro suis, sed alienis, scilicet totius mundi, peccatis offert; idque semel tantum; unaque oblatione omnia omnium hominum peccata expiavit» (3).

b) Quia immaculata; idest quia nullam habet maculam, sed e contra est omnino perfecta. Unde de eo legitur: «qui per Spiritum Sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo» (4). Id est «per sanctitatem spiritus sui, qua omnium hominum salutem sitiebat, Christus, obtulit se pro eis Deo Patri» (5). Est enim Cor Iesu hostia immaculata, non solum quia ab omni imperfectione prorsus immune, sed quod omnimoda sanctitate plenum. Unde dicitur iustum: «Advocatum habemus apud Patrem Iesum Christum iustum» (6): idest

(1) Rom. III, 25.

(2) Hebr. VII, 27.

(3) A LAP. hoc loc.

(4) Hebr. IX, 14.

(5) A LAPIDE.

(6) I Ioann. II, 1.

innocentem sanctum, qui sua sanctitate gratissimus meretur a Patre exaudiri.

Ad rem S. Anselmus: «Sanctus interior, innocens manibus, impollutus corpore, segregatus a peccatoribus, idest ab omni peccato immunis, et seorsum factus est a grege peccatorum, et consequenter a grege caeterorum sacerdotum separatus, inter quos nullus est sine peccato, et excelsior coelis factus, ut ibi ministret in supremo altari» (1) ubi tam angelos quam beatos omnes superat loco, gratia et gloria.

c) Tandem quia meritissima; scilicet merito intrinseco, quo omnes hostias in propitiationem superat hucusque Deo oblatas et quovis tempore offerendas. Et hoc tum ex parte offerentis Christi, scilicet Filii Dei, tum ex parte rei oblatae, corporis nempe et sanguinis eius, qui in remissionem effusus est peccatorum. Ex parte offerentis, quia est reconciliator potens, ut dicitur infra (Conc. XXXVIII). Ex parte rei in propitiationem oblatae, de qua Apostolus scribit, «empti est pretio magno» (2), sanguine, scilicet, Christi, sanguine Dei: «Haec est enim gloria Dei si magni fiant illa corpora, quae Deus tanto sibi pretio comparavit, scilicet, sanguine suo» (3). Unde ab Apostolo haec hostia pretium antonomastice nuncupatur: «Praetio empti estis» (4), puta, sanguine Christi, qui antonomastice dicitur pretium, utpote ingens et immensum. Ita Ambrosius, qui dicit: «Christus vos pretio maximo e servitute peccati emit et redemit, fecitque sibi liberos» (5). Et per hunc modum Cor Iesu est propitiationis hostia excellentissima ex parte sui, quia unica, immaculata et meritissima.

(1) Cit. a CORN. A LAP. Hebr. VII, 26.

(2) I Corint. VI, 20.

(3) A LAP. hoc loc.

(4) I Corint. VII, 23.

(5) A LAPIDE in hunc loc.

PARS II. — EST PROPITIATIO ACCEPTISSIMA.

Secundo Cor Iesu est propitiatio, pro peccatis nostris totiusque mundi, acceptissima Patri, cui offertur. Et hoc triplici potissimum ratione:

a) Prima, quia merito, iustitiae satisfacit, iuxta D. Thomam (1): ille proprie satisfacit pro offensa, qui exhibet offenso id quod aequae vel magis diligit, quam oderit offensam. Christus autem ex charitate et obedientia patiendo, maius aliquid Deo exhibuit, quam exigeret satisfactio totius offensae humani generis; primo quidem propter magnitudinem charitatis, ex qua patiebatur; secundo propter dignitatem vitae suae, quam pro satisfactione ponebat, quae erat vita Dei et hominis; tertio propter generalitatem passionis et magnitudinem doloris assumpti. Et ideo passio Christi non solum sufficiens, sed etiam superabundans satisfactio fuit pro peccatis humani generis secundum illud: « Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi » (2). Et quia solum Cor Iesu pretium condignum solvebat, caeteras hostias Pater reiecit, ut ait per Prophetam: « Sacrificium et oblationem noluisti » (3): hoc est non voluisti placari sacrificio pecudum, neque oblatione panum et thuris, sed victima infiniti pretii; ideo corpus mortale assumere me voluisti, ut per obedientiam usque ad mortem expiarem primi hominis inobedientiam: et quoniam holocaustum pecudum et sacrificium pro peccato non admisisti, idcirco dixi: « Ecce venio, ut ego ipse fiam sacerdos et sacrificium, quo placatus humano generi, educaas homines de lacu miseriae et de luto faecis » (4).

b) Ideo misericordiam a Patre meretur et obtinet; me-

(1) Parte III, q. XLVIII, a. 2.

(2) I Ioann. II, 2.

(3) Psalm. XXXIX, 7.

(4) A LAPIDE, hoc loc.

rito enim propitiationis eiusmodi, Patri reconciliamur: ideo; « nunc autem in Christo Iesu vos, qui aliquando eratis longe, facti estis prope in sanguine Christi. Ipse enim est pax nostra qui fecit utraque unum » (1). Super quod D. Thomas: « Vos, qui postquam conversi estis ad Christum, idest, qui ei adhaeretis per fidem et charitatem, vos, qui eratis elongati a Deo non loco sed merito, et a conversatione Sanctorum et participatione testamentorum, sive sacramentorum, iam facti estis prope, Deo, scilicet, et sanctis eius, et testamentis. Vos autem modo facti estis prope, scilicet, in sanguine Christi, idest per sanguinem eius, quo vos Christus attraxit. Et hoc propter nimiam charitatem, quae potissime in morte crucis manifestatur. Unde qui fecit utraque unum, quia, scilicet, Christus utrumque populum Iudaeorum colentium Deum verum et gentilium ab huiusmodi Dei cultu abhorrentium coniunxit in unum ».

c) Et tandem est propitiatio Patri acceptissima, quia gloriam dignam Deo reddit; gloriam, nempe, respondentem, imo et exsuperantem supra modum gloriam, quam omnes simul homines Altissimo reddere valerent. Gloriam, inquam, dignam, seu condignam, maiestate eius infinita; et hoc tam ex parte offerentis, Christi scilicet, Filii Dei, quam ex parte oblationis exhibitae, scilicet Cordis sui, cum affectibus sanctissimis et meritis, omnem aestimationem superantibus, qui sunt affectus et merita Verbi divini, cuius est Cor. Unde est quod in conspectu huiusce sanctissimae hostiae Deo oblatae et Pater placatur et peccatoribus propitius redditur; est enim propitiatio acceptissima, quae merito iustitiae satisfacit, quae misericordiam meretur et obtinet, quae gloriam Deo dignam reddit.

(1) Ephes. II, 13, 14.

PARS III. — EST PROPITIATIO FRUCTUOSISSIMA.

Tertio. Cor Iesu est propitatio pro peccatis nostris fructuosissima: « non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi ». Ad rem A Lapid: « Non pro peccatis Iudaeorum tantum, sed et gentium omnium, ait Oecumenius et Cyrillus. Melius Clemens Alexandrinus et alii qui dicunt: non pro peccatis nostris qui sumus fideles tantum, sed pro peccatis infidelium totius mundi. Pro his enim quoque passus est Christus, eisque meruit gratiam et gloriam, si in eum credere, eiusque merita amplecti velint. Unde et iussit praedicari evangelium hoc omnibus gentibus, easque baptizari in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Rursum Christus, ut hostia propitiatoria offertur in sacrificio Missae pro omnibus hominibus, etiam infidelibus, ac pro defunctis in Purgatorio existentibus, uti fuse docet hic noster Iustinianus; Ecclesia enim tantum excipit excommunicatos; pro his enim vetat sacrificari » (1). Unde emergit quod SS. Cor Iesu sit propitatio fructuosissima vivis et defunctis.

a) Vivis quidem, quibus bona abundantissima largitur, scilicet, remissionem peccatorum, gratiam salvantem, perfectionem gloriae, quae nobis meruit pretio propitiationis eius. Nam quaerens D. Thomas an Christus simul fuit sacerdos et hostia (2), affirmative respondet: et postquam ea enumeravit, propter quae homo indiget sacrificio, scilicet ad remissionem peccati, ad statum gratiae conservandum et ad perfectam unionem cum Deo adipiscendam, sic prosequitur: « Haec autem per humanitatem Christi nobis provenerunt. Nam primo quidem nostra peccata deleta sunt secundum illud: traditus est propter delicta nostra » (3). Secundo gratiam nos salvantem per ipsum accepimus, secundum illud:

(1) In I Ioann. II, 2.

(2) Part. III, q. XXII, a. 2.

(3) Rom. IV, 25.

« factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis aeternae » (1). Tertio per ipsum perfectionem gloriae adepti sumus: « habemus fiduciam per sanguinem eius in introitum sanctorum » (2), scilicet in gloriam coelestem.

Et ideo ipse Christus in quantum homo non solum fuit sacerdos, sed etiam hostia perfecta, simul existens hostia pro peccato, et hostia pacifica et holocaustum. Et ita propitatio fructuosissima vivis, quibus bona tanta largitur.

b) Deinde et defunctis, qui per meritum eius a poena peccatorum liberantur. Nam de fide est suffragia vivorum auxilio esse animabus in Purgatorio existentibus, prout definitum est a Concilio Florentino (3) et Tridentino (4). Hoc autem auxilium in hoc stat quod per suffragia vivorum, defuncti liberantur a poena Purgatorii, quae est in supplementum satisfactionis, quae non fuerat plene in corpore consummata (5). Nam, contra Lutherum aliosque novatores, de fide est mortuos, qui in charitate decesserunt, posse a vivorum suffragiis adjuvari non per modum meriti, quod est ex actu proprio, sed per modum satisfactionis. Et ideo D. Thomas: « Charitas, quae est vinculum Ecclesiae membra uniens, non solum ad vivos se extendit, sed etiam ad mortuos qui in charitate decesserunt. Charitas enim quae est vita animae sicut anima est vita corporis, non finitur: « charitas numquam excidit » (6). Similiter etiam mortui in memoriis hominum viventium vivunt. Et ideo intentio viventium ad eos dirigi potest. Et sic suffragia vivorum mortuis dupliciter prosunt, sicut et vivis, et propter charitatis unionem et propter intentionem in eos directam » (7).

Nunc autem charitas in qua et vivi et mortui vinculantur

(1) Hebr. V, 9.

(2) Hebr. X, 19.

(3) Sess. ult.

(4) Sess. XXV.

(5) Vide D. THOM. Supplem. q. LXXI, a. 6.

(6) I Corinth. XIII, 8.

(7) Supplem. q. LXXI, a. 2.

est charitas Christi ab ipso e coelo lata, et ex eo totum meritum desumens: ideoque per Christum defuncti fideles a reatu peccatorum liberantur: quod quidem meritum semper existens vocatur oratio: «semper vivens ad interpellandum pro nobis». Unde S. Dionisius: «Divinus sacerdos pro mortuis orans, pro illis orat qui sancte vixerunt et tamen aliquas maculas habuerunt ex infirmitate humana contractas» (1).

Consequentia. Ergo Cor Iesu offerendum. Sed cui? Offerendum Patri qui sibi complacens in Corde Filii, hac aestimabilissima oblatione placabitur. Offerendum in tantorum debitorum solutionem, et praesertim in amoris Iesu et beneficiorum eius condignam retributionem. Et quare? Offerendum quia et peccata nostra et reatus eorum clementer expediat; et de lacu miseriae et luto faecis tot peccatores potenter eripiat. Et quomodo? Offerendum cum affectuum concordia; vel nostros affectus, affectibus Cordis sui consociando qui seipsum sponte offert; vel intentionem nostram uniendo intentioni sacerdotis hanc immaculatam hostiam super altare offerentis. Offerendum tandem corde et manibus mundis, ut haec oblatio proficiat et ex parte modi, quo tantam victimam offeramus, non mereamur reprehensionem datam olim a Domino per Isaiam: «Ne offeratis ultra sacrificium frustra; incensum abominatio est mihi. Neomeniam et sabbatum et festivitates alias non feram; iniqui sunt coetus vestri» (2).

Affectus. Domine Sancte Pater! Iam nunc cum iratus fueris misericordiae recordaberis. Donum enim, quod, ad te reddendum propitium tibi offerimus, tuum est ac nostrum. Tuum, quia Filius; nostrum quia frater. Tuum quia Deus; nostrum, quia homo. Ut Deus ac Filius, condigne debitum solvit; ut homo ac frater, vice nostri solvit. Ubi ergo respexeris in offerentes hanc sacrosanctam hostiam, oculos


(1) *Eccl. Hier. cap. VII.*

(2) I, 13.

tuos ad nos in posterum convertes. Ubi Cordis Iesu supplicationes precesque susceperis, procul dubio nos cum misericordia respicies.

Deprecatio. Suscipe, Domine, holocaustum perpetuum Cordis Iesu Christi Filii tui Domini nostri, et sit propitiatio pro peccatis nostris, ut gratiam tuam consecuti, in eo uno vivamus, qui pro nobis mori dignatus est. (Ex missa Gaudemus).





UNIVERSIDAD AUTÓNOMA

DIRECCIÓN GENERAL DE

CONCIO XXX.

THEMA: Dabit percutienti se maxillam:
saturabitur opprobriis.

(Lam. Ierem. III, 30).

IDEA CONCIONIS

PROP. Cordi Iesu satisfaciendum, quia est saturatum opprobriis.

DIVISIO. Est saturatum opprobriis: I. In carne; II. In anima; III. In divinitate.

PARS I. In carne: a) Per plagas; b) Per sitim; c) Per defatigationem.

PARS II. In anima: a) Per tristitiam; b) Per ingratitude; c) Per Patris derelictionem.

PARS III. In divinitate: a) Per despectum; b) Per blasphemias; c) Per lubibria.

Exordium. « In mundo erat, et mundus per ipsum factus est, et mundus eum non cognovit. In propria venit, et sui eum non receperunt » (1). His duobus versiculis exprimitur summa ingratitude humanæ adversus Christum, redemptionem e coelo, populo suo largientem. Et revera. Descendens de coelis, mundum ingreditur, cuius Dominus est per creationem; sic veniens in propria. Deinde non naturam angelicam, nec corpus coeleste assumens, sed naturam humanam, factus homo, de Adam nascitur, quem creando, ad sui imaginem efformaverat, ut divinitatis esset placida mansio; et sic specialius venit in propria. Tandem ex semine Abrahæ ortus, quem inter gentes elegerat ad populum sibi acceptabilem constituendum, specia-

(1) IOANN. I, 11.

lissime venit in propria, in media nempe natione Iudaeorum apparens, cui singularis de adventu Salvatoris saepe data fuerat promissio. Tamen sui, cives nempe, non receperunt eum, sed opprobriis saturatum, morti turpissimae tradiderunt. Facinus Iudaeorum nefandum, non pauci christiani pravi patrare conantur, et, quoad ipsos spectat, ita opprobria in Christum renovant, ut sint revera «rursus crucifigentes Filium Dei» (1).

Ad debitam ergo satisfactionem SS. Cordi pro tot tantisque iniuriis reddendam, meditemur tanti criminis gravitatem; ad quem finem haec a me statuitur

Propositio. *Cordi Iesu satisfaciendum, quia saturatum opprobriis.*

Innumera opprobria sustinuit SS. Cor, totius vitae suae mortalis decursu; sicut nunc innumera sustinet in vita Eucharistiae. Quia tamen deprecatio XXIII, de qua in praesenti disserimus, non distinguit, sed utraque videtur complecti, de omnibus faciendus nobis est sermo. Nam haec opprobria, si ex parte exprobandum considerentur, semper sunt ab hominibus illata; quos tamen SS. Cor amore constanti prosequitur. Si vero ex parte exprobrati, eadem est persona in Eucharistia exprobrata quae tunc fuit in passione. Solum quoad modum, aliqua extat differentia; tunc enim ludibria sustinuit passibile, nunc autem impassibile sustinet. Ut ergo omnia genera opprobriorum amplectatur propositionis expositio, dico Cordi Iesu satisfaciendum, quia saturatum opprobriis.

Divisio. I. *In carne;* II. *In anima;* III. *In divinitate.*

PARS I. — IN CARNE.

Quamvis non sit adaequatum vocabulum «opprobrium» ad carnis passionem significandam, tamen gratia amplioris divisionis sumo. Quae quidem opprobria carni SS. Redem-

(1) *Ad Hebr.* VI, 6.

ptoris inferenda, aspiciens Isaias per visum, quasi enumerare singillatim non valens, ait: «a planta pedis usque ad verticem capitis non est in eo sanitas» (1). Ac si diceret: tam cruciatum, tam excarnificatum, tam distentum, seiunctum et attritum video corpus Salvatoris, ut nulla pars eius, a pede usque ad comam capitis, habeat sanitatem. Praetereamus glaciem frigoris, nascente, toleratam ad Bethlehem, poenas exilii in Egypto, paupertatem Nazareth, famem post ieiunium quadragesimale in monte sustentatam, aliaque huiusmodi; et dolores huius SS. Corporis in passione tantummodo consideremus.

a) Et in primis, plagas. Vere saturatum, quia plene plagatum. Nam caput habuit spinis transfixum et cruentatum; maxillas alapis percussas; dorsum verberibus attritum; humeros, crucis pondere oppressos; manus et pedes clavibus confossos; collum, brachia, carpos, thoracem chordarum et catenarum vinculis constrictos, laceratos; latus lancea vulneratum; totumque corpus uberi aquae et sanguinis sudore elanguens et nuditate exprobratum.

Si hae plagae considerentur ex parte malitiae percutientium, sunt crudelissimae, dicente propheta: «Supra dorsum meum fabricaverunt peccatores» (2). Si ex parte corporis percussi, sunt acerbissimae, propter sensibilitatem exquisitam humanitatis Iesu. Si vero animadvertatur modus, quo plagatus fuit, videntur intolerabiles; «stupebit et sibilabit super omnes plagas eius» (3). Si autem a quibus, haec omnia illata sunt, mirum in modum ad reparandum nos movent.

«Vide, inquit D. Bernardus, quomodo hoc flore rosae floruit optima vitis nostra, rubicundus Iesus. Vide totum corpus, sicubi rosae sanguineae florem non invenias. Inspice manum unam et alteram, si florem rosae non invenias in utraque. Inspice pedem unum et alterum, numquid non rosei? Inspice lateris aperturam quia nec illa caret rosa,

(1) I, 6.

(2) *Psalm.* CXXVIII, 3.

(3) *IEREM.* XLIX, 17.

quamvis ipsa subrubea sit propter mixturam aquae, quia, sicut narrat Evangelista, cum unus militum lancea latus eius perforasset, exivit sanguis et aqua » (1).

b) Deinde, sitim. Etsi his plagis totum corpus, velut attritum esset, hoc tamen extrinsecum fuit, partes internae, proprio adhuc carebant supplicio; at quia SS. Corpus Iesu erat victima holocausti Deo offerenda, oportebat ut integra combureretur igne tribulationis, sicut igne charitatis integra comburebatur. Ideo « contendunt passio et charitas; ista ut plus ardeat; illa ut plus rubeat » (2).

Labia, lingua, fauces et viscera aruerant, ut David praedixerat: « aruit, tamquam testa, virtus mea, et lingua mea adhaesit faucibus meis » (3); ideoque sitim magnam contraxit, tum ex abundantissimo sudore, tum ex copiosissima sanguinis effusione, tum denique ex acerbissimis cruciatibus. Quae sitis ita urens fuit et torquens, ut Christum obstrinxit, in cruce sublatum, ad clamandum: *sitio!* ut consummaretur Scriptura quae hanc sitim praedixit: « Et in siti mea potaverunt me aceto » (4). « Cum ab immanibus Iudaeis, omnis in Christum expleta esset impietas, nec quidquam iam ad summam crudelitatem reliquum esset, ad extremum caro Christi sanctissima proprium quiddam ac naturale rursus patitur. Multis enim ac variis doloribus exsiccata, siti torquetur. Graves siquidem dolores magnam, ad sitim commovendam, vim habent, naturali quodam et inexplicabili calore humidum consumentes et igneis ardoribus praecordia urentes » (5).

c) Sed nec sic totum omnino corpus cruciatur. Sunt enim quaedam partes plus interiores et velut impenetrabiliores, ad quas nec plagae, nec sitis pervenerunt, sicut pulmones, cor, venae et arteriae, nervi et ossa, quae potissime cruciata sunt, maxima, quam sustulit, totius passionis via, defatigatione. Et

(1) *Lib. de passion. Dom.* cap. XLI.

(2) D. BERNARD. loc. cit.

(3) *Psalm.* XXI, 16.

(4) *Psalm.* LXVIII, 22.

(5) S. CYRILLUS ALEX. lib. XII, *Comment. in Ioann.*

revera quia cordis officium est, per suam dilatationem et compressionem, sanguinem per venas in singulas corporis partes distribuere, cum hic motus sit violentus, cursus fit irregularis, ideoque totum corpus defatigatur et torquetur. Similiter nervi et ossa onerantur et torquentur. Idcirco Iudaei: « exeuntes invenerunt hominem Cyreneum, nomine Simonem; hunc angariaverunt, ut tolleret crucem eius » (1). Ita erat Iesus sanguine exhaustus, fatigatus et exanimis, ut ter super faciem ceciderit a praetorio ad Calvarium.

PARS II. — IN ANIMA.

Totum se Christus in holocaustum Patri obtulerat; totum ergo comburi oportebat igne tribulationis; itaque passio eius non modo fuit exterior in carne, sed interior in anima vere opprobriis saturata: « Repleta est malis anima mea » (2). Super quod glossa: « non vitiis, sed doloribus, quibus anima carni compatitur, vel malis, scilicet, pereuntis populi compatiendo ». Quae mala ad tria reducimus.

a) Ad tristitiam. « Tristis est anima mea usque ad mortem » (3). « Mortifera tristitia animus meus undequaque obsessus est; dolores mortis in animum meum penetrarunt; circumdederunt me dolores mortis. Ita vocantur dolores maximi, et quales in procinctu mortis esse solent, quibus non immerito comparatur horror ipse mortis, et quidem tam acerbae, tam ignominiosae » (4).

Plura fuerunt in Christo motiva tristitiae, toto vitae suae decursu. Nequissima caedes infantium Bethlehem, et omnium finium eius a bimatu et infra, secundum tempus quod Herodes exquisierat a Magis; perfidia Scribarum et Phariseorum; odium persequentium; obstinatio civium; desolatio

(1) MATTH. XXVII, 32.

(2) *Psalm.* LXXXVII, 4.

(3) MATTH. XXVI, 38.

(4) NATALIS ALEX. in hunc loc.

Hierosolymae, ac reprobatio populi Iudaici. Ideo; «ut appropinquavit, videns civitatem, flevit super illam» (1). Sed praesertim tempore passionis, fuga apostolorum, negatio Petri, proditio Iudae traditoris, et dolores Virginis Matris suae innocentissimae, et calix, quem dedit Pater, amarissimus, quemque bibiturus erat totum, tristitia magna affecerunt, ita ut Patri affatus sit: «Pater, si possibile est, transeat a me, calix iste» (2). Nam «delectatio divinae contemplationis ita per dispensationem divinae virtutis, retinebatur in mente Christi, quod non derivabatur ad vires sensitivas, ut per hoc, dolor sensibilis excluderetur. Sicut autem dolor sensibilis est in appetitu sensitivo, ita et tristitia» (3). Unde circumdederunt me dolores mortis.

b) Ad ingratitudinem. Ingratitudo, quae proprie nominatur ex gratitudinis defectu, est speciale peccatum; sicut gratitudo vel gratia est quaedam specialis virtus. Huius autem peccati Iudaei rei facti sunt, cum beneficiis, a Christo collatis, ingrati, eorum datorem spreverunt: «Audite, coeli, et auribus percipe, terra, quoniam Dominus locutus est. Filios enutrivit et exaltavi; ipsi autem spreverunt me» (4). Per Isaiam ait: «quid est quod debui ultra facere vineae meae et non feci?» (5). Gratia et veritas per Iesum Christum facta est; et tamen «videbat Dominus in civitate iniquitatem et contradictionem, et extendebat manus suas ad populum non credentem et contradicentem» (6).

De ingratitudinis gradibus scribit D. Thomas: «Primus ingratitudinis gradus est, ut homo beneficium non retribuatur; secundus est ut dissimulet, quasi non demonstrans se beneficium accepisse: tertius et gravissimus est quod non recognoscat, sive per oblivionem, sive quocumque alio modo; et quia in affirmatione opposita intelligitur negatio, ideo ad pri-

(1) LUC. XIX, 41.

(2) MATTH. XXVI, 39.

(3) D. THOM. *Summ. Theol.* part. III, q. XV, a. 6.

(4) ISAI. I, 2.

(5) V, 4.

(6) D. AUGUST. *In psal.* LIV.

mum ingratitudinis gradum pertinet, quod aliquis retribuatur mala pro bonis; ad secundum, quod beneficium vituperet; ad tertium quod beneficium quasi maleficium reputet» (1). Omnes hi gradus in Iudaeis fuerunt, et Iesus de eis reprehendit: «multa bona opera ostendi vobis ex Patre meo; propter quod eorum opus me lapidatis?» (2). Super quod Augustinus: «Tanta opera bona, inquit, ostendi vobis; propter quod horum me vultis occidere? Pertulit omnes infirmos eorum, curavit omnes languidos eorum, praedicavit regnum coelorum, non tacuit vitia eorum, ut ipsa potius eis displicerent, non medicus a quo sanabantur. His omnibus curationibus eius ingrati, tamquam multa febre phrenetici, insanientes in medicum qui venerat curare eos, excogitaverunt consilium perdendi eum» (3). Agnoscat et christianus quam partem ingratitudinis habeat adversus Dominum!

c) Ad Patris derelictionem. Haec procul dubio fuit crudelissima passionum, quas pro nobis Iesus pertulit. Praenuntiata fuerat haec interna Cordis Iesu desolatio: «Deus meus, Deus meus, respice in me, quare me dereliquisti?» (4) Unde ut impleretur praedictum, ait Iesus: «Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?» (5). «Voce magna clamavit, ut vocis contentione, non solum doloris acerbiter testaretur, sed ex potestate et voluntate, non ex infirmitate, se mori significaret. Ideo clamavit Iesus voce magna dicens: Deus meus, Deus meus ut quid dereliquisti me? Cur me persecutorum saevitiae, tormentorum omnium acerbiter dereliquisti, omnibus solatiis destitutum, externo, interno, corporis, animi, sive a ratione humana, sive a visione beatifica, sive ab ipsa divinitate mea derivantibus? Cur consolationem suspendisti et omnes fluctus tuos induxisti super me?» (6).

(1) II^a II^{ae}, q. CVII, a. 2.

(2) IOANN. X, 32.

(3) *In psalm.* LXIII.

(4) *Psalm.* XXI, 2.

(5) MATTH. XXVII, 46.

(6) NAT. ALEX. in hunc loc.

PARS III. — IN DIVINITATE.

Ipsam divinitatem SS. Cordis Redemptoris attingit malitia exprobandum. Non quod opprobria, carni et animae illata, sint minoris gravitatis, cum caro sit et anima hypostatis divinae, sed quia haec fuerunt directe humanitati inflicta, indirecte autem Divinitati. Fuerunt tamen quidam ex Iudaeis, divinitatem Iesu malitiose exprobrantes, et deridentes, despicientes et blasphemantes, quae opprobria charitatis gratia triplici etiam aspectu considerabimus.

a) Primo per despectum: « In propria venit, et sui eum non receperunt »: idest in mundum a se conditum, quasi in domum suam venit, et sui domestici et cives, homines ab ipso creati, non receperunt velut Dominum et redemptorem a Patre missum, sed e contra despexerunt, uti David praedixit: « Tu vero repulisti et despexisti; distulisti Christum tuum » (1). Cum vero Iudaei primi Christum despexissent ingrati, de despectu arguit eos D. Petrus dicens: « hic est lapis, qui reprobatus est a vobis aedificantibus, qui factus est in caput anguli » (2). Pravum Iudaeorum exemplum imitantur nonnulli etiam nunc christiani, agnoscentes revera Iesum et audientes clamantem: « fili mi, praebe cor tuum mihi »; sed tamen aspernantes, ut ad idola sua et concupiscentias convertantur.

b) Per blasphemias. Blasphemia, quae est locutio contumeliosa in Deum, nequit in ore sanctissimo Iesu concipi. Et tamen vere blasphemantes, contra creditum blasphemum consurgere intendentes, sustulerunt Iudaei lapides, ut lapidarent eum, velut reum blasphemiae, cum intelligerent eum sibi divinam adscribere potestatem et naturam, ut dicit Augustinus (3). « De bono opere non lapidamus te, sed de blasphemia » (1).

(1) Psalm. LXXXVIII, 39.

(2) Act. Apost. IV, 11.

(3) Tract. XLIX in Ioann.

mia » (1). Non ob aliquod bonum opus quod feceris, sed ob blasphemiam, quia tu, homo cum sis, ex carne et sanguine compositus, sicut caeteri, facis teipsum Deum, te Deo dicis aequalem, teque cum aeterno Patre unum esse. Item: « Princeps sacerdotum scidit vestimenta sua dicens: blasphemavit! » (2). Sed quare? Quia Iesus dixerat: « Amodo videbitis Filium hominis sedentem a dexteris Dei, et venientem in nubibus coeli » (3). Hoc est vere blasphemare, Filium Dei blasphemum appellare.

Vere de eis scripsit Isaias: « Vae genti peccatrici, populo gravi iniquitate!... dereliquerunt Dominum, blasphemaverunt sanctum Israel » (4). Nam et velaverunt eum, « et percutiebant faciem eius... et alia multa blasphemantes dicebant in eum » (5). Pendens in cruce, a crucifigentibus blasphematur: « praetereuntes autem blasphemabant eum » (6). Et etiam « unus de his, qui pendebant, latronibus, blasphemabat eum » (7).

c) Tandem per ludibria. « Omnes videntes me deriserunt me; locuti sunt labiis, et moverunt caput » (8). Et sic adimpletum est. « Et velaverunt eum, et percutiebant faciem eius, et interrogabant eum, dicentes: prophetiza quis est, qui te percussit » (9). « Praetereuntes autem blasphemabant eum, moventes capita sua, et dicentes: Vah! qui destruis templum Dei, et in triduo reedificas illud, salva temetipsum; si Filius Dei es, descende de cruce » (10).

« Iesus crucifixus etiam nunc et ad finem usque saeculorum blasphemis, ludibriis, contemptui impiorum expositus est. Scandalum est iis, qui carnis dumtaxat oculis, illum in-

(1) IOANN. X, 33.

(2) MATTH. XXVI, 65.

(3) Ibid. v. 64.

(4) I, 4.

(5) LUC. XXII, 65.

(6) MATTH. XXVII, 39.

(7) LUC. XXIII, 39.

(8) Psalm. XXI, 8.

(9) LUC. XXII, 64.

(10) MATTH. XXVII, 39.

tuentur. Summus Sacerdos, qui vult destruere templum Dei, Salvator, qui non salvat semetipsum de cruce descendens, Filius Dei crucifixus et mortuus in cruce inter duos latrones; haec sunt, quae Iudaeos et impios quosvis offendunt. Summus vero Sacerdos, qui veteres figuras umbrasque dissipat, ut religionis stabiliat veritatem, et sanctuarii coelestis fit Pontifex; Salvator, qui mortem subit, ut sit victima salutis omnium hominum; Filius Dei, qui potentiam suam includit in cruce ut fidei iustitiam constituat; haec sunt quae verus christianus adorat, haec in quibus confidit » (1).

Consequentia. Ergo Cordi Iesu satisfaciendum. Modus autem exponitur a D. Thoma dicente: «quod satisfactio debet esse talis, per quam aliquid nobis subtrahamus ad honorem Dei; nos autem non habemus nisi tria bona; scilicet, bona animae, bona corporis, et fortunae, scilicet exteriora. Ex bonis quidem fortunae subtrahimus aliquid nobis, per eleemosynam; sed ex bonis corporalibus per ieiunium: ex bonis autem animae, non oportet quod aliquid subtrahamus nobis quantum ad essentiam, vel quantum ad diminutionem ipsorum, quia per ea efficiamur Deo accepti, sed per hoc quod ea submittimus Deo totaliter, et hoc fit per orationem ».

Competit etiam iste numerus ex parte illa, qua satisfactio peccatorum causas excidit, quia radices peccatorum tres ponuntur (2): concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, et superbia vitae; et contra concupiscentiam carnis, ordinatur ieiunium; contra concupiscentiam oculorum, eleemosyna; contra superbiam vitae, oratio, ut Augustinus dicit.

Competit etiam quantum ad hoc, quod satisfactionis est peccatorum suggestionibus aditum non indulgere; quia omne peccatum, vel in Deum committimus, et contra hoc ordinatur oratio; vel in proximum, et contra hoc eleemosyna; vel in nos ipsos, et contra hoc ordinatur ieiunium » (3).

(1) NAT. ALEX. in hunc loc.

(2) I Ioann. II.

(3) IV Sentent. Dist. XV, a. 4, q. III.


Affectus. O Cor Iesu opprobriis saturatum! Vere tu misericordiosissimus Deus, qui vulnera et languores et tristitiam et omnem despectum, quibus ego eram dignus, super humeros suscepisti et pertulisti. Vide, Pater coelestis, tunicam filii tui. Heu fera pessima devoravit eum. Voravit ignis crudelitatis, dentes peccatorum, fauces odii. Inspice, o homo, Iesum, ecce non inest ei species neque decor. « Quaeritis quid emerit Christus? Videte quid dederit » (1). « Agnosce, o homo, quam gravia sunt vulnera, pro quibus necesse est Dominum Christum vulnerari. Si non essent haec ad mortem et mortem sempiternam, numquam pro eorum remedio, Dei Filius moreretur » (2).

Deprecatio. Domine Iesu Christe, qui ineffabiles Cordis tui divitias Ecclesiae tuae novo beneficio aperire dignatus es, concede ut huius sacratissimi Cordis amor respondere, et iniurias eidem afflictissimo Cordi, ab ingratis hominibus illatas, dignis obsequiis rependere valeamus. (Ex. P. Colombière).

(1) August.

(2) Sermo III. in Nat. Dom.





UNIVERSIDAD AUTÓNOMA
DIRECCIÓN GENERAL DE

CONCIO XXXI.

THEMA: Ipse... attritus est propter
scelera nostra.

(Isai. LIII, 5).

IDEA CONCIONIS

PROP. Cor Iesu allevandum, quia est attritum propter scelera nostra.
DIVISIO. Est attritum propter scelera: I. Iudaeorum; II. Gentilium; III. Et Christianorum.

PARS I. Propter scelera Iudaeorum, nempe: a) Despectum Messiae; b) Deicidium; c) Obstationem.

PARS II. Propter scelera Gentilium scilicet: a) Tyrannidem; b) Vitam carnalem; c) Idololatriam.

PARS III. Propter scelera christianorum, quae praecipua sunt; a) Divisiones ecclesiarum; b) Refrigeratio charitatis; c) Apostasia practica.

Exordium. Quia Christus venit in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo, ad hoc ut pro humanae naturae peccatis Deo satisfaceret, conveniens fuit ut illos defectus corporales assumeret, qui sunt omnibus communes ex peccato primi parentis: sitim, scilicet, famem, vulnera, livores, mortem et similia; et hos S. Ioannes Damascenus (1) vocat naturales et indetractibiles defectus; naturales, quia totam humanam naturam communiter consequuntur, et indetractibiles, scilicet reprehensione carentes, quia nullum important defectum scientiae et gratiae.

Hos ergo defectus asserit D. Thomas Christum assumere debuisse triplici ratione (2).

(1) *Lib. de Ortod. Fid.* I, cap. XIV.

(2) *Summ. Theol.* part. III, q. XIV, a. I.

Prima, propter finem Incarnationis; ad hoc enim incarnatum fuit Verbum, ut per carnem assumptam, pro nostro peccato satisfaceret, assumens in se poenam peccato debitam. Secunda, ad firmandam fidem nostram in Incarnatione; nam si hos defectus communes, quibus natura sua humana hominibus agnoscebatur, non assumpsisset, non verum, sed phantasticum corpus assumpsisse videretur. Tertia ad nostri exemplum, docens, nos per patientiam omnes contradictiones fortiter superare. Propter hoc nostros defectus dispensative assumpsit; et ideo videmus eum sitientem, esurientem, defatigatum, tristem cruciatum, sauciatum, et mortuum. En causa qua praesentis concionis sic a me statuitur

Propositio. *Cor Iesu allevandum, quia attritum propter scelera nostra.*

Non solum passus est propter scelera Iudaeorum Iesus, a quorum manibus tormenta cruenta sustinuit, sed pro Gentilibus et pro futuris christianis; « pro omnibus mortuus est Christus » (1); omnes enim eramus aliquando Filii irae, Filii vindictae. In manibus enim Iudaeorum Christum percutientium et in eorum scelestissima voluntate manus et pravitas omnium peccatorum obumbrabantur, iuxta S. Augustini sententiam, quam profert ubi scribit de Saulo, qui aderat martyrio B. Stephani servans vestimenta lapidantium. « Ut enim esset in omnium lapidantium manibus, ipse omnium vestimenta servabat; magis saeviens omnes adiuvando, quam suis manibus lapidando » (2). Sic Iudaei, nomine omnium cuiuscumque nationis hominum, Christum figuraliter percusserunt, pro quorum peccatis seipsum in holocaustum offerebat. Hinc claritatis gratia tripartitam propositionem ostendam.

Divisio. Cor Iesu fuit attritum propter scelera: I. *Iudaeorum*; II. *Gentilium*; III. *Christianorum*.

(1) II Corinth. V, 15.

(2) Sermo XIV de Sanctis.

PARS I. — SCELERA IUDAEORUM.

Triplex est scelus Iudaeorum immanae, in Cor Iesu; scilicet:

a) Despectus Messiae. Gloriam, qua appareret circumdatus, praedicens, ait David: « Semen eius in aeternum manebit; et thronus eius sicut sol in conspectu meo, et sicut luna perfecta in aeternum, et testis in coelo Fidelis » (1). At populus, a quo sperneretur, his verbis praenuntiatur: « Tu vero repulisti, et despexisti; distulisti Christum tuum » (2). Quod de Iudaeis ipse Dominus per Isaiam prophetavit: « Filios enutrivit et exaltavi: ipsi autem spreverunt me » (3). Revera enim populum Iudaicum Deus enutrivit et physice manna in deserto et spiritualiter per legem scriptam, per prophetarum vaticinia et praeconia, et praecipue per Christum os ad os loquentem. Et eum exaltavit, eligens de populis nationum, multiplicans in gentem magnam, sicut promiserat Abraham, « filii Israel creverunt et quasi germinantes multiplicati sunt, ac roborati nimis impleverunt terram » (4) et roborans eum quando in occupatione terrae promissae, « universos reges et regiones eorum uno impetu cepit atque vastavit; Dominus enim Deus Israel pugnavit pro eo » (5).

Et tamen hi filii scelesti spreverunt eum, quando Christum, lapidem angularem reprobaverunt aedificantes; idest oderunt eum, noluerunt regnum suum, « nolumus hunc regnare super nos » (6), nam considerata vita Messiae, quia simplex, sine fastu, sine crudelitate, humilis, mitis et simplex erat, noluerunt Iesum pauperem, vilem et fabri filium regnare super illos, ut

(1) Psalm. LXXXVIII, 37.

(2) Ibid. v. 39.

(3) I, 2.

(4) Exod. I, 7.

(5) Iosue, X, 42.

(6) Luc. XIX, 14.

exponit A Lapide. Ideo propter hunc despectum vocantur a Christo: generatio mala et adultera, quae signum quaerit, et signum non dabitur ei nisi signum Ionae prophetae (1). Et velut generatio prava et adultera, generatio coeca et obstinata, populus Iudaicus hunc Iesum, quem sui cives spreverunt, etiam nunc per orbem dispersus despicit ac propulsat, nec iugum eius suave ferre et legem salutiferam adimplere et doctrinam salvatricem amplecti decernit; imo coniuratione nequissima inita, quam Massonismum vocat, in unum intendit ut Christi Regnum, Nomen, Recordationem disperdat toto ab orbe terrarum.

b) Aliud fuit Iudaeorum scelus; deicidium; occiderunt enim Christum, attriverunt carnem eius, quae erat caro Verbi Dei. Scelus profecto gravissimum iuxta illud: «et vos implete mensuram patrum vestrorum» (2). Super quod S. Chrysostomus «quantum ad veritatem, excesserunt mensuram patrum suorum!; illi enim occiderunt homines, isti Deum crucifixerunt» (3). Audiamus S. Augustinum: «Exacuerunt tamquam gladium linguas suas. Non dicant Iudaei: non occidimus Christum. Etenim propterea eum dederunt iudici Pilato, ut quasi ipsi a morte eius viderentur immunes. Nam cum dixisset: vos eum occidite; responderunt: nobis non licet occidere quemquam. Iniquitatem facinoris sui in iudicem hominem refundere volebant: sed numquid Deum iudicem fallebant? Quod fecit Pilatus, in eo ipso quod fecit, aliquantum particeps fuit; sed in comparatione illorum multo ipse innocentior. Institit enim quantum potuit, ut illum ex eorum manibus liberaret; nam propterea flagellatum produxit ad eos. Non persequendo Dominum flagellavit, sed eorum furori satisfacere volens, ut vel sic iam mitescerent, et desinerent velle occidere, cum flagellatum viderent. Fecit et hoc. At ubi perseveraverunt, nostis illum lavisse manus, et dixisse quod ipse non fecisset, mundum se esse a morte illius. Fecit tamen.

(1) MATTH. XII, 39.

(2) MATTH. XXIII, 32.

(3) HOM. XLV.

Sed si reus quia fecit vel invitatus, illi innocentes, qui coegerunt ut faceret? Nullo modo. Sed ille dixit in eum sententiam et iussit eum crucifigi, et quasi ipse occidit; et vos, o Iudaei, occidistis. Unde occidistis? Gladio linguae; aculistis enim linguas vestras. Et quando percussistis nisi quando clamastis: crucifige! crucifige! (1).

Unde: quia principes Iudaeorum cognoverunt Christum, et si aliqua ignorantia fuit in eis, fuit ignorantia affectata, quae eos non poterat excusare, ideo peccatum eorum fuit gravissimum tum in genere peccati, tum ex malitia voluntatis, ut scribit D. Thomas (2).

c) Obstinatio. Quod crimen Iudaeorum obstinatione aggravatur: «peccare enim mente obstinata aggravat peccatum, et dicitur peccatum in Spiritum Sanctum» (3). Aggravat quidem peccatum, quia Augustinus dicit hoc peccatum esse finalem impenitentiam, quando, scilicet, aliquis perseverat in peccato mortali usque ad mortem, quod quidem non solum verbo oris fit, sed etiam verbo cordis et operis, non uno, sed multis. Et dicitur peccatum in Spiritum Sanctum, quia est contra remissionem peccatorum, quae fit per Spiritum Sanctum, qui est charitas Patris et Filii (4). Iudaei vero obstinatione semetipsos induraverunt, quia nullum ex plurimis argumentis, quibus natura et missio coelestis Iesu dignoscebatur, admiserunt, sed omnibus restiterunt. Unde sic de iis, S. Gregorius Papa loquutus est, scriptumque reliquit: «Omnia quippe elementa auctorem suum venisse testata sunt. Ut enim de eis quiddam usu humano loquar, Deum hunc coeli cognoverunt, quia protinus stellam miserunt. Mare cognovit, quia sub plantis eius se calcabile praebebat. Terra cognovit, quia eo moriente contremuit. Sol cognovit, quia lucis suae radios abscondit. Saxa et parietes cognoverunt, quia tempore mortis eius scissa sunt.

(1) In Psalm. LXIII, v. 2.

(2) Sum. Theol. Part. III, q. XLVII, a. 6.

(3) II^a II^{ae}, q. LXXXVI, a. 6.

(4) II^a II^{ae}, q. XIV, a. 1.

Infernus agnovit quia hos, quos tenebat mortuos, reddidit. Et tamen hunc, quem Dominum omnia insensibilia elementa senserunt, adhuc infidelium Iudaeorum corda Deum esse minime cognoscunt, et duriora saxis, scindi ad poenitendum nolunt » (1).

PARS II. — SCELERA GENTILIUM.

Deinde Cor Iesu fuit et est attritum propter scelera Gentilium. Gentiles sunt qui Deum verum non agnoscunt, deos commentitios colunt, et quibus bona Christi nondum sunt diffusa. Non apparuit lux sedentibus in tenebris et in umbra mortis. Non ergo possunt peccare in Christum, quem ignorant; sed in Deum, cuius lumen per legem naturalem signatum est in frontibus eorum. Hoc quoad Gentiles praesentes.

Gentiles enim Christo coetanei et cives in eum peccaverunt illudentes, flagellantes et crucifigentes: « tradent enim Gentibus ad illudendum et flagellandum et crucifigendum » (2). Nam quia « per Romanos, quibus Iudaei erant subiecti, erat his potestas occidendi interdicta » (3) tradiderunt Pontio Pilato, ut crucifigeret. Unde passio, quae a Iudaeis initium habuit fuit per Gentiles absoluta et perfecta; ideoque et physice Cor Iesu fuit attritum propter scelera Gentilium. Quod quidem conveniens fuit ad hoc, ut in ipso modo passionis, effectus ipsius praefiguraretur, qui primo in Iudaeos, postea ad Gentes pervenit, ut notat D. Thomas (4).

A Gentilibus vero praesentibus est attritum incruente Cor Iesu, quod vult omnes homines salvos fieri. Ad tria reduci possunt scelera eorum, nempe ad:

a) Tyrannidem. Horrescimus omnes quoties eorum leges, moresque narrantur. Non rationalium mores, sed potius

(1) Homil. X in Evang.

(2) MATH. XX, 19.

(3) Summ. Theol. part. III, q. XLVII, a. 4 ad tertium.

(4) Loc. cit. corpore art.

ferarum instinctus videntur. Non legibus temperantur, sed potius imperantium praepotentia, libitu, libidine, avaritia, crudelitate reguntur. In rege placitum; in civibus, rabies: in omnibus crudelitas. Cupiditates potius, quam ratio eorum actiones et privatas et publicas regit. Quia Christum non agnoscunt, nec eius charitate ducuntur. Cum Deum ignorant, et proximum nesciunt. Et hinc crudeles et supra feroces apparent, infantes exponendo, senes velut reipublicae inutiles aspernando, seu necando, mulierem opprimendo, virgines ad lubrica tradendo, servos vendendo vel confodiendo, humiles ac pauperes velut bestias, sub potestate redigendo, in omnibus absolute, sine recto iure, sine aequis legibus imperando. Et propter hoc magno conficitur moerore Cor Iesu, quod dixit: sinite parvulos ad me venire; parvulos, idest, pauperes ac debiles et aerumnosos quoscumque sinite venire ad me, talium est enim regnum coelorum.

b) Vitam carnalem. Cum Christum non agnoscant, non vivunt de Spiritu Christi. « Spiritus est qui vivificat, caro autem non prodest quidquam » (1). Ut enim scribit Apostolus; « qui secundum carnem sunt, quae carnis sunt sapiunt » (2); idest habent sapientiam carnis; sapere enim, quae sunt carnis, est approbare et iudicare bona esse, quae sunt secundum carnem, iuxta D. Thomam (3).

« Sed prudentia carnis, mors est » (4). Nam ad prudentiam carnis requiritur quod aliquis praesupponat pro fine, delectabile carnis, et quod consulat, et iudicet, et praecipiat ea, quae conveniunt ad hunc finem. Unde talis prudentia est mors, idest causa mortis aeternae, ut dicitur ad Galatas (5): « Qui seminat in carne de carne et metet corruptionem » (6). Et sic viam mortis sequentes, tristitiam afferrent, si in praesenti

(1) IOANN. VI, 64.

(2) Rom. VIII, 5.

(3) Hoc loc.

(4) Rom. VIII, 6.

(5) VI, 8.

(6) D. THOMAS Ad Rom. VIII, 6.

statu tristari posset, Cordi Iesu quod non vult mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat.

c) Idololatriam; id est cultum, qui soli summo Deo exhibendus est, creaturis praestare. Hoc faciunt gentes, deos ligneos et lapideos et etiam daemones per simulacra loquentes, adorantes. Quod quidem maximun peccatum est ex parte ipsius peccati, quia « in peccatis, quae contra Deum committuntur, quae tamen sunt maxima, gravissimum esse videtur quod aliquis honorem divinum creaturae impendat, quia quantum est in se facit alium Deum in mundo, minuens principatum divinum » (1). Atque ideo, quia Iesus venit quærere gloriam Patris, est vere attritus corde, videns tot homines credentes obsequium se praestare Deo, victimas offerre super altaria idolorum.

PARS III. — SCELERA CHRISTIANORUM.

Sed praecipue a christianorum sceleribus est nunc Cor Iesu attritum, ut ipse testatur: « Eorum tamen pars maxima usque adeo se mihi gratos amicosque non exhibent, ut me etiam iniuriis contumellisque in hoc amoris mysterio assidue lacessant. Quod eo etiam acerbius accidit, quod a personis mihi dicatis talia quoque pati cogor ». Quae quidem scelera, brevitatis et claritatis gratia, ad tria capita reducemus.

a) Et primo: divisiones ecclesiarum. Haec autem divisio, quae generice est unionis subtractio, potest stricte et late sumi. Stricte sumpta est unionis subtractio a communi coetu Fidelium, superbiae, audaciae vel novitatis causa. Inde oriuntur haeresis, et schisma. Haeresis est aliqua falsa opinio circa ea, quae ad fidem pertinent (2); ex qua sequitur ipsius Fidei christianae corruptio. Cum unum sit haeresis, quae dicitur ab eligendo et secta, quae dicitur a sectando, utraque

(1) II^a II^{ae}, q. XLIX, a. 3.

(2) D. THOM. II^a II^{ae}, q. XI, a. 2.

fidem catholicam scindunt, segregando multos ab ea, ut dicit D. Iudas, « hi sunt, qui segregant semetipsos » (1) et D. Petrus: « Fuerunt pseudoprophetae in populo, sicut et in vobis erunt, magistri mendaces, qui introducent sectas perditionis » (2). Schisma vero, quod iuxta Isidorum, a scissura animarum vocatum est, est subtractio ab unitate principali Ecclesiae. Quae unitas cum non solum debeat esse membrorum inter se, sed eorum cum capite « ideo schismatici dicuntur qui subesse renuunt summo Pontifici, et qui membris Ecclesiae ei subiectis communicare recusant » (3). Differentiam inter schisma et haeresim sic explicat Augustinus: « Schisma est eadem opinantem atque eodem ritu colentem quo caeteri, solo congregationis delectari dissidio. Haeresis vero diversa opinatur ab iis, quae catholica credit Ecclesia » (4).

Late sumpta divisio est subtractio unionis a membris eiusdem ecclesiae; quae unio, cum debeat esse membrorum ad invicem, et propterea dicatur unitas particularis, scinditur subtractione membrorum, et ideo aliquo modo scindit Ecclesiam; ex hoc nempe quod membra, diversa opinantia a se invicem separat, charitatem qua mutuo diligere debent, minuendo et refrigerando, penitus ad glaciem et gelu deducit.

His omnibus ita Cor Iesu moerore conficeretur, ut si conditione qua est, mori illi liceret, rursum adigeretur in mortem; idque evincitur ex servida oratione, qua antequam morti traderetur sic Patri affatum est: « Pater sancte, serva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi, ut sint unum sicut et Nos » (5). Serva eos in nomine tuo, « idest virtute tua, tuo auxilio, tua omnipotentia, ut semper in me, meoque ac tuo amore et cultu persistant. Ut sint unum sicut et Nos!, scilicet consensu, voluntate et spiritu, sicut nos unum sumus natura et eadem essentia divinitatis, ut scilicet uno charitatis spiritu

(1) v. 19.

(2) II^a Petr. II, v. 1.

(3) II^a II^{ae}, q. XXXIX, 1.

(4) Contra Faustum.

(5) IOANN. XVII, 11.

coniuncti, semper me sequantur, nec inter se discordia dividantur, sed habeant unitatem spiritus per concordiam, quam Nos habemus per eandem essentiam » (1).

b) Refrigeratio charitatis. Tepiditatem Dominus execratur: ideo tepido scribit per Ioannem sicut scribebat Episcopo - Angelo - Leocadicensis Ecclesiae: « scio opera tua quia neque frigidus neque calidus es; utinam frigidus esses, aut calidus! sed quia tepidus es incipiam te evomere ex ore meo » (2). Videntur nostra tempora simillima praedictis a Christo: « Et multi pseudoprophetae surgent, et seducunt multos. Et quoniam abundabit iniquitas, refrigeret charitas multorum » (3). Itaque, ut charitas refervescat, et magis magisque accendatur, praeiungit Dominus Iesus Cor suum flammis divini amoris succensum et spinis circumdatum, ut cognoscat mundus non imminutum esse incendium amoris, quo prosequitur homines, sed e contra eos adhuc speciali dilectione diligere, volens ut Christianorum frigiditas suo calore exardescat, et corda omnia ardentissimo sui et Patris amore inflammentur.

c) Apostasia practica. Qui a fide semel amplexa sponte recedunt, apostatae dicuntur, et sunt. Sicut autem non sufficit fides ad iustitiam, ita non requiritur ad interitum fidei totalis amissio, vel negligentia. Nam « cum apostasia importet quamdam retrocessionem a Deo, erit triplex apostasia secundum triplicem modum quo Deo homo inhaeret. Et revera inhaeret primo, per Fidem; secundo, per voluntatem subiectam mandatis eius; tertio, speciali modo per ordinem, vel religionem. Contingit autem quod aliquis a religione recedit et hic est religionis apostata: quod aliquis qui religionem nullam professus est, a mandatorum impletione se retrahat; et hic est apostata mandatorum. Sed quia contingere potest quod qui a Deo recedit duobus his modis, vel altero eorum, tamen maneat coniunctus ei per Fidem, hinc quod quando a Deo apostatat retrocedendo a Fide, tunc apostata fidei vocatur: et haec est

(1) A LAPIDE, hoc loc.

(2) Apoc. III, 15.

(3) MATTH. XXIV, 11.

apostasia perfidiae, seu simpliciter dicta, sicut secunda dicitur apostasia practica » (1). Cum ergo remoto priori remaneat posterius, sed non e converso, et prius sit credere quam operari, potest accidere quod aliquis qui fidem habet, sit vere apostata a Deo per mentem repugnantem divinis mandatis, seu practicus, quia opera eius non sunt fidei suae conformia.

De his conqueritur Cor Iesu, et eos minatur: « non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum coelorum, sed qui facit voluntatem Patris » (2). Unde per B. Iacobum: « Estote factores verbi; et non auditores tantum, fallentes vosmetipsos » (3). « Non enim auditores legis iusti sunt apud Deum, sed factores legis iustificabuntur » (4).

Consequentia. Ergo: Cor Iesu allevandum. Nihil aliud enim significat haec allevatio, seu sublevatio, nisi concursus nostrum ad sequelam, ut Eum a tanto pondere allevemus; sicuti legitur: « apprehenderunt quemdam Simonem Cyrenaeum venientem de villa, et imposuerunt illi crucem portare post Iesum » (5). Attritus fuit in carne per tormenta; attritus in anima propter angustias; non sit denuo attritus in corde multiplicatis iniquitatibus! Allevemus a tormentis carnis, corpus sanctissimum, probati, manducando. Allevemus a passione animae, per intimam nostrorum ad suos affectus coniunctionem. Allevemus non peccando. Allevemus benefaciendo. Allevemus orando. Allevemus consolando. Allevemus compatiendo. Allevemus tandem una cum eo nos in holocaustum offerendo: ut qui socii sumus passionis eius, simus et consolationis et gloriae consortes.

Affectus. Quis dabit fontem lacrymarum, ut plorem tantam bonitatem et iniquitatem tantam? Tu, o dulcis Iesu, o

(1) D. THOM. II^a II^{ae} q. XII, a. 1.

(2) MATTH. VII, 21.

(3) I, 22.

(4) Rom. II, 13.

(5) LUC. XXIII, 26.

innocens Iesu, o sanctissime Iesu, tunc scelera nostra portans? Tunc attritus ab his quorum iniquitates portas? Equidem est infinitae bonitatis argumentum, uno impetu, iniquitatibus omnium onerari. Sed certius est malitiae diabolicae signum Cor tuum novo et oneroso pondere gravare; vel tepiditatis saxaeque duritiei signum, non allevare. Voca efficaciter me post te. Fac tuae crucis participem. Permite, concede ut una crucem tecum baiulem, vel saltem post te, sicuti Cyrenaeus baiulavit, neque permittas tuae crucis pondus renovatis meis iniquitatibus aggravari.

Deprecatio. Domine Iesu, qui ineffabili Cordis tui amoris miraculo te totum nobis in cibum in altaris sacramento tradere dignatus es, concede ut, qui iniurias ac sacrilegia ab ingratissimis mortalibus adversum te in hoc sacro mysterio commissa toto animo detestamur, ac plangimus, ipsius sacrosancti Cordis accendamus affectibus, et dignis in aeternum laudibus eiusdem divinissimi Cordis misericordiam consequamur. (Ex Corolla precatoria romanis iudicibus probata; Nilles p. 404).

CONCIO XXXII.

THEMA: Humiliavit semetipsum,
factus obediens usque ad mortem.

(Ad Philipp. II. 8).

IDEA CONCIONIS

PROP. A Corde Iesu discendum, quia usque ad mortem obediens factum.

DIVISIO. I. Venit in mundum paratum ad obedientiam; II. Vixit in mundum sub obedientia; III. Discessit e mundo ob obedientiam.

PARS I. Venit paratum ad obedientiam quia venit: a) Ut homo; b) Ut Filius; c) Ut formam servi habens.

PARS II. Vixit sub obedientia Patris iubentis: a) Per se; b) Per Spiritum S.; c) Per legem.

PARS III. Discessit e mundo ab obedientia: a) Ad delendam primam inobedientiam; b) Ad excellentius sacrificii sui meritum; c) Ad splendidiorem victoriam, qua de morte et auctore mortis triumphavit.

Exordium. Praevidens Isaias Messiam Redemptorem passionis undis submersum, vocat eum agnum propter mansuetudinem et obedientiam, qua dolores et mortem erat subiturus. « Sicut ovis ad occisionem ducetur, et quasi agnus coram tondente se, obmutescet, et non aperiet os suum » (1). Et revera huius agni immaculati et incontaminati pretioso sanguine redempti sumus ut scribit D. Petrus (2).

Non immerito Christus vocatur a propheta agnus, cum et de ipso dicat Ioannes, « ecce agnus Dei » (3); super

(1) LIII, 7.

(2) I. Petr. I, 19.

(3) IOANN. I, 29.

innocens Iesu, o sanctissime Iesu, tunc scelera nostra portans? Tunc attritus ab his quorum iniquitates portas? Equidem est infinitae bonitatis argumentum, uno impetu, iniquitatibus omnium onerari. Sed certius est malitiae diabolicae signum Cor tuum novo et oneroso pondere gravare; vel tepiditatis saxaeque duritiei signum, non allevare. Voca efficaciter me post te. Fac tuae crucis participem. Permite, concede ut una crucem tecum baiulem, vel saltem post te, sicuti Cyrenaeus baiulavit, neque permittas tuae crucis pondus renovatis meis iniquitatibus aggravari.

Deprecatio. Domine Iesu, qui ineffabili Cordis tui amoris miraculo te totum nobis in cibum in altaris sacramento tradere dignatus es, concede ut, qui iniurias ac sacrilegia ab ingratissimis mortalibus adversum te in hoc sacro mysterio commissa toto animo detestamur, ac plangimus, ipsius sacrosancti Cordis accendamus affectibus, et dignis in aeternum laudibus eiusdem divinissimi Cordis misericordiam consequamur. (Ex Corolla precatoria romanis iudicibus probata; Nilles p. 404).

CONCIO XXXII.

THEMA: Humiliavit semetipsum,
factus obediens usque ad mortem.

(Ad Philipp. II. 8).

IDEA CONCIONIS

PROP. A Corde Iesu discendum, quia usque ad mortem obediens factum.

DIVISIO. I. Venit in mundum paratum ad obedientiam; II. Vixit in mundum sub obedientia; III. Discessit e mundo ob obedientiam.

PARS I. Venit paratum ad obedientiam quia venit: a) Ut homo; b) Ut Filius; c) Ut formam servi habens.

PARS II. Vixit sub obedientia Patris iubentis: a) Per se; b) Per Spiritum S.; c) Per legem.

PARS III. Discessit e mundo ab obedientiam: a) Ad delendam primam inobedientiam; b) Ad excellentius sacrificii sui meritum; c) Ad splendidiorem victoriam, qua de morte et auctore mortis triumphavit.

Exordium. Praevidens Isaias Messiam Redemptorem passionis undis submersum, vocat eum agnum propter mansuetudinem et obedientiam, qua dolores et mortem erat subiturus. « Sicut ovis ad occisionem ducetur, et quasi agnus coram tondente se, obmutescet, et non aperiet os suum » (1). Et revera huius agni immaculati et incontaminati pretioso sanguine redempti sumus ut scribit D. Petrus (2).

Non immerito Christus vocatur a propheta agnus, cum et de ipso dicat Ioannes, « ecce agnus Dei » (3); super

(1) LIII, 7.

(2) I. Petr. I, 19.

(3) IOANN. I, 29.

quod: « Hic est agnus ille eximius et singularis, Deo gratissimus, quippe sine labe aut macula, innocens, obediens, mansuetus, cuius typi erant Agnus paschalis, agnus iugis sacrificii, qui quotidie mane et vespere offerebantur, aliaeque victimae legales. Haec victima piacularis, omnium hominum peccata portans expiandi gratia, et per mortem suam ac sanguinem abluendi et remittendi » (1).

Quia ergo ex obedientia passus est, velut agnum obedientissimum Cor Iesu in hac concione considerabimus, praesertim cum non solum tempore passionis, sed et totius vitae decursu sub obedientia fuerit; hoc enim significat *tò usque* thematis nostri. En ergo

Propositio. *A Corde Iesu discendum, quia usque ad mortem obediens factum.*

Omnium virtutum SS. Cor nobis exempla admiranda reliquit; unde proponitur velut virtutum omnium abyssus (Concio XIV). Fuerunt autem quaedam virtutes, quarum solum ad tempus praebebat exempla, sicut oratio, et misericordia. Obedientiae tamen exemplum iuge fuit, ex hoc namque exinanivit semetipsum formam servi accipiens. Ad clariorem ergo intelligentiam et ad uberiores animarum fructum, SS. Cor Iesu perfectissimum obedientiae exemplar sub triplici capite considerabimus.

Divisio. I. *Veniens in mundum paratum ad obedientiam;* II. *Vivens in mundo sub obedientia;* III. *Discedens e mundo propter obedientiam.*

PARS I. — VENIT IN MUNDUM PARATUM AD OBEDIENTIAM.

Quia peccatum reparandum ex inobedientia procedebat, per obedientiam sanari debebat: « sicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi, ita per

(1) NAT. ALEX. in hunc loc.

unius obeditionem iusti constituentur multi » (1). Hinc est quod Redemptor mundum ingrederetur paratus ad obedientiam, ut dicit per prophetam: « Sacrificium et oblationem noluisti; corpus autem aptasti mihi. Holocaustum et pro peccato non postulasti. Tunc dixi; ecce venio, ut faciam voluntatem tuam; Deus meus, volui, et legem tuam in medio cordis mei » (2). Venit enim ut homo, ut Filius et ut servi formam habens.

a) Ideo non naturam angelicam, sed humanam assumpsit: « in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo » (3), ut per eam repararet, quod ipsa amisserat. Nunc autem naturae humanae proprium est ex sua humili conditione subiici Deo, et praeceptis eius obtemperari; nam ut scribit D. Thomas: « Sicut naturali necessitate omnia naturalia subduntur divinae motioni, ita etiam quadam necessitate iustitiae omnes voluntates tenentur obedire divino imperio. Sicut enim Deus est primus motor omnium, quae naturaliter moventur, ita etiam est primus motor voluntatum » (4).

Sed quamvis voluntas angelica sicut humana teneatur etiam divino imperio obedire, quia tamen non erat reparanda, non angelicam naturam, sed humanam assumpsit, quae per inobedientiam defecerat. Et sic ex hoc quod Redemptor venit factus homo, venit ad obedientiam paratus.

b) Deinde quia venit ut filius. Christus est Dei Filius non adoptivus, sed naturalis; filiatio enim non naturam, sed personam spectat. Est tamen consubstantialis Patri secundum divinitatem et consubstantialis matri secundum humanitatem; ideoque et Filius Dei et Filius Virginis. Si ut homo simpliciter consideretur venit ad obediendum Patri paratus; nam loquendo de conformitate suae voluntatis humanae cum voluntate divina, scribit Angelicus: « Christus secundum voluntatem

(1) Rom. V, 19.

(2) Psalm. XXXIX, 7.

(3) Philipp. II, 7.

(4) Summ. Theol. II^a II^{ae}, q. CIV, a. 4.

sensualitatis et secundum voluntatem rationis, quae consideratur per modum naturae, aliud poterat velle, quam Deus: sed secundum voluntatem, quae est per modum rationis, semper idem volebat, quod Deus; quod patet ex hoc ipso quod dicit: « Non quod ego volo, sed quod tu » (1). « Volebat enim secundum rationem, voluntatem divinam impleri; quamvis aliud dicat se velle, secundum quamdam aliam voluntatem » (2).

Et similiter si ut Filius Virginis consideretur; cum enim sit realiter Filius Virginis Matris, ex relatione reali maternitatis ad ipsum, Virgo enim materiam ministravit qua corpus suum de Spiritu Sancto efformaretur, auctoritatem maternam in ipsum, ipse tradidit Matri. Nunc autem de ratione maternitatis est, ut honoretur, sicut ad filium pertinet ei subdi, et obtemperare; « honora patrem tuum, et matrem tuam » (3). Ergo Christus, ex hoc quod venit ut Filius, venit ad obedientiam paratus.

c) Tandem quia venit ut formam servi habens: « Exinanivit semetipsum formam servi accipiens » (4); ideo Domino ad deservendum paratus; servus enim est res Domini sui, ius in eum habentis. Idcirco de seipso ait: « Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare » (5). « Ego enim Rex et Dominus omnium non veni in hunc mundum ut hominum satellitio et ministerio utar ad splendorem et pompam; non ut meis rationibus serviam, non ut opes et delicias consector, non ut subditos pro gloria et magnitudine mea tuenda morti exponam, ut saeculi Reges solent; sed ut hominum saluti et utilitati serviam, laboribus, peregrinationibus, praedicatione, miraculis, ipsa sanguinis mei effusione ac vitae oblatione serviam » (6). Venit ergo velut servus ad obedientiam paratus.

(1) MARC. XIV, 36.

(2) *Summ. Theol.* part. III, q. XVIII, a. 5.

(3) MARC. VII, 10.

(4) *Philipp.* II, 7.

(5) MATTH. XX, 28.

(6) NATAL. ALEX. in hunc loc.

PARS II. — VIXIT SUB OBEDIENTIA.

Ex recensitis apparet quod vixit in mundo sub obedientia. Vere scripsit de eo David: « Deus meus volui, et legem tuam in medio cordis mei » (1); idest veni, ut facerem voluntatem tuam, ut mandato tuo obtemperarem: Hoc volui semper, et adeo adimplere desidero, ut lex tua veluti scripta sit in mente mea et in corde meo. Sicut cibo quotidiano corpus reficitur, ita Cor Iesu reficiebatur adimplentione quotidiana voluntatis divinae: « Meus cibus est, ut faciam voluntatem eius, qui misit me » (2). Vixit ergo sub obedientia Patris iubentis vel per se, vel per Spiritum Sanctum, vel per legem.

a) Per se: « Ego a me ipso facio nihil; sed sicut docuit me Pater haec loquor » (3), et « quae placita sunt ei facio semper » (4). Hoc est « et quatenus Deus cuncta componens et regens, utpote unius cum ipso voluntatis et operationis, sicut unius essentiae; et quatenus homo ut illius voluntati ac beneplacito semper et in omnibus obediens » (5).

Hoc mandatum accepi a Patre meo. « Idem hoc mandatum de morte subeunda pro ovibus meis accepi a Patre meo. Quod ut mihi volenti et consentienti impositum est, sic illud summa exequor libertate, factus obediens usque ad mortem » (6).

« Ego ex me ipso non sum locutus, sed, qui misit me, Pater ipse mihi mandatum dedit quid dicam et quid loquar » (7). Quod quidem mandatum adimplevit Ipso testante: « Si praecepta mea servaveritis, manebitis in dilectione mea, sicut ego Patris mei praecepta servavi » (8).

(1) *Psalm.* XXXIX, 9.

(2) IOANN. IV, 34.

(3) IOANN. VIII, 28.

(4) v. 29.

(5) NAT. ALEX. hoc loc.

(6) NAT. ALEX. in Ioann. X, 18.

(7) IOANN. XII, 49.

(8) IOANN. XV, 10.

b) Per Spiritum Sanctum. Obedientiam Christi Spiritui sancto afflanti et impellenti praedicens Isaias ait: « Et nunc Dominus Deus misit me et spiritus eius » (1). Quibus verbis, sicut S. Hieronymus intelligit nuntiatum SS. mae Trinitatis mysterium, nos possumus Christi obedientiam, et Patri et Spiritui videre praenuntiatam. Et, revera, legimus: « Tunc ductus est Iesus in desertum a Spiritu, ut tentaretur a diabolo » (2). Super quod S. Gregorius: « Vere et absque ulla quaestione convenienter accipitur ut a Sancto Spiritu in desertum ductus credatur, ut illuc eum suus spiritus duceret, ubi hunc ad tentandum malignus spiritus inveniret » (3). Idem legitur in Marco: « Et statim Spiritus expulit eum in desertum » (4). Idest « brevi post baptismum temporis intervallo Spiritus Sanctus, qui in eum descenderat, in eoque manebat ipsum impulit ut in desertum secederet » (5). Et idem Lucas: « Et agebatur a Spiritu in desertum » (6); « non suasionem tantum et suggestionem, sed efficaci eiusdem Sancti Spiritus impulsu ducebatur in desertum Iudaeae » (7). Et tandem quando completo ieiunio quadragesimali, Galileam regressus est, in virtute Spiritus regressus est; idest afflatu et impulsu S. Spiritus, non humano ductus affectu. Et ideo fuit semper obediens Patri simul et Spiritui Sancto.

c) Tandem, per legem iubenti. Quod dixit mundum ingrediens, hoc semper implevit: « Deus meus volui, et legem tuam in medio cordis mei ». Idcirco, implevit legem, caeremonias et cultum divinum statuentem, dum octavo natiuitatis suae die circumciditur, quadragesimo Deo offertur, et cum esset annorum duodecim Hierosolymam ascendit, Deum adoraturus, sicut praecipitur Deuteronomio: « tribus vicibus

(1) XLVIII, 16.

(2) MATTH. IV, 1.

(3) Hom. XVI in Evang.

(4) I, 12.

(5) NAT. ALEX. hoc loc.

(6) IV, 1.

(7) NAT. ALEX.

per annum apparebit omne masculinum tuum in conspectu Domini Dei tui in loco, quem elegerit » (1).

Deinde legem implevit iubentem parentibus obtemperare: « Et erat subditus illis » (2). Non necessitate, sed dignatione terrenis parentibus subditus fuit; ut enim dicit Ambrosius: « non infirmitatis, sed pietatis erat ista subiectio » (3). « Erat subditus illis. Quis? Quibus? Deus hominibus, Deus, inquam, cui angeli subditi sunt, cui principatus et potestates obediunt, subditus erat Mariae, nec tantum Mariae, sed et Ioseph propter Mariam. Mirare ergo utrumlibet, et elige quid amplius mireris, sive Filii benignissimam dignationem, sive parentum excellentissimam dignitatem. Utrumque stupor, utrumque miraculum; et quod Deus homini obtemperet, humilitas absque exemplo; et quod Deo homo principetur, sublimitas sine socio » (4).

Et tandem legem, dominis temporalibus obtemperare iubentem, adimplevit: « Non veni solvere (legem) sed adimplere » (5). Et clarius: « reddite ergo quae sunt Caesaris Caesari » (6). Ideo fuit obediens iudici Pilato, et Pontifici interroganti, et etiam militibus percutientibus et crucifigentibus. Merito ergo obediens usque ad mortem.

PARS III. — DISCESSIT E MUNDO PROPTER OBEDIENTIAM.

Nam et discessit e mundo propter obedientiam: « humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis » (7). Quam magna et commendabilis sit haec Christi obedientia patet iuxta D. Thomam: « quia tunc est obedientia magna quando sequitur imperium alterius contra

(1) XVI, 16.

(2) LUC. II, 51.

(3) Lib. II. in Luc.

(4) D. BERNARD. Homil I supra Missus.

(5) MATTH. V, 17.

(6) MATTH. XXII, 21.

(7) Ad Philipp. II, 8.

motum proprium. Motus autem voluntatis humanae ad duo tendit, ad vitam, et ad honorem. Sed Christus non recusavit mortem, dicente D. Petro: « Christus semel pro peccatis nostris mortuus est »: item non fugit ignominiam; unde dicitur; « mortem autem crucis » quae est ignominiosissima. Sic ergo non refugit mortem, nec genus ignominiosae mortis » (1) Idcirco Petro increpanti Dominum, et dicenti: « absit a te, Domine; non erit tibi hoc » (loquebatur de passione et morte sua), respondit Iesus: « Vade post me, Satana, scandalum es mihi, quia non sapis ea, quae Dei sunt, sed ea, quae hominum » (2).

Oportebat Christum ex obedientia mori ut scripturae implerentur; ut enim ait Dominus Petro, « quomodo implerentur Scripturae, quia sic oportet fieri? » (3). Unde D. Thomas: « Convenientissimum fuit quod Christus ex obedientia pateretur.

Primo quidem quia hoc conveniebat iustificationi humanae, ut sicut per unius hominis inobedientiam peccatores constituti sunt multi, ita per unius hominis obedientiam iusti constituuntur multi (ut dicitur *ad Rom. V.*). Secundo hoc conveniens fuit reconciliationi Dei ad homines; unde dicitur (*Rom. V.*): Reconciliati sumus Deo per mortem Filii eius; in quantum scilicet ipsa mors Christi fuit quoddam sacrificium acceptissimum Deo, secundum illud (*Eph. V.*): Tradidit semetipsum pro nobis oblationem et hostiam Deo in odorem suavitatis. Obedientia vero omnibus sacrificiis antepositur, secundum illud (*I. Reg. XV.*): Melior est obedientia, quam victimae. Et ideo conveniens fuit ut sacrificium passionis et mortis Christi ex obedientia procederet. Tertio hoc conveniens, fuit eius victoriae, qua de morte et de auctore mortis triumphavit; non enim miles vincere potest, nisi duci obediat. Et ita homo Christus victoriam obtinuit per hoc quod Deo fuit obediens secundum illud (*Prov. XXI.*): Vir obediens lo-

(1) *Exp. ad Philipp.* loc. cit.

(2) *MATTH. XVI.* 23.

(3) *MATTH. XXVI.* 54.

quetur victoriam » (1). Et per hunc modum Cor Iesu fuit obediens usque ad mortem; non solum quia venit paratum ad obediendum, et duxit vitam mortalem sub obedientia, sed quia discessit e mundo propter obedientiam.

Consequentia. Ergo a Corde Iesu descendum: « discite a me, qui mitis sum et humilis corde » (2); idest, cordis affectu, idest, voluntate, ait D. Bernardus (3); « multi enim sunt humiles ore, sed pauci corde ». Iesus autem affectu humilitatis erat subditus, idest obediens Mariae et Ioseph quoad humanam naturam, quam a matre acceperat.

« Et voluit Christus prima et continua sua vita per annos triginta, suo facto nos docere perfectionem virtutis et Religionis maxime sitam esse in obedientia. Nam ut docet Ioannes XXII Pontifex, paupertas magnum bonum est; maius integritas (castitas); sed maximum obedientia, quia prima rebus, secunda carni, tertia menti dominatur et animo » (4).

Affectus. « Erubescere, superbe cinis; Deus se humiliat, et tu te exaltas? Deus se hominibus, subdit, et tu dominari gestiens hominibus, tuo te praeponis auctori? quoties enim hominibus praeesse desidero, toties Deum meum praeesse contendendo » (5). O Cor obedientissimi Iesu! fac nos obedire mandatis; compelle coelestibus obtemperare afflatibus; et in prosperis et in adversis et in omnibus doce tuae humilitatis et obedientiae vestigia sequi.

Deprecatio. Domine Iesu Christe, qui Mariae et Ioseph subditus, domesticam vitam ineffabilibus virtutibus consecrasti, fac nos utriusque auxilio Familiae sanctae tuae exemplis instrui, et consortium consequi sempiternum. (Ex Officio S. Familiae).


(1) *Summ. Theol.* part. III, q. XLVII, a. 2.

(2) *MATTH. XI.* 29.

(3) *Serm. XL in Cant. Cant.*

(4) *A LAPIDE in Luc. II.* 51.

(5) *S. BERNARD. Serm. I super Missus.*



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

CONCIO XXXIII.

THEMA: Unus militum lancea latus eius
aperuit.

(Ioann. XIX, 34).

IDEA CONCIONIS

PROP. In Cor Iesu ingrediendum, quia lancea perforatum.

DIVISIO. Considerandum nobis est: I. Factum; II. Significatio; III. Finis
huiusce perforationis.

PARS I. Christus perforatus fuit: a) Iam mortuus; b) Adhuc pendens in
cruce; c) Et in latere.

PARS II. Perforatio cordis significat: a) Desiderium patiendi in corporis
parte, quae nondum directe vulnerata fuerat; b) Tradendi et effun-
dendi quod ibi restabat, parum scilicet aquae et sanguinis; c) Novam
integre sustinendi rursus passionem, si opus esset, et animae et
corporis, ideo perforatus in corde.

PARS III. Finis fuit: a) Ut mundo aperiretur fons salutis perpetuo manans;
b) Ut reis panderetur asylus refugii; c) Ut iustis esset deliciarum
receptaculum.

Exordium. Maximum dilectionis argumentum est, sei-
psum pro dilecto tradere, ut ait Christus « maiorem hac di-
lectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro
amicis suis » (1). Ipse ergo super omnes dilexit nos, qui vi-
tam suam pro nobis posuit: « pro omnibus mortuus est
Christus » (2). Huius amoris gratia, non modo mortem, sed
et opprobria innumera, irrisiones et flagella sustinuit ita ut

(1) IOANN. XV, v. 13.

(2) II Corint. V, 15.

vere a propheta nominetur: vir dolorum, opprobrium hominum, et abiectio plebis.

Sed, o amorem Cordis Iesu mirabilem! Passio, quae per mortem consummata fuerat, non consummatur amore Redemptoris, nec odio persecutoris; quia cum venissent ad Iesum, ut viderunt eum iam mortuum, non fregerunt eius crura, sed unus militum lancea latus eius aperuit. «Contentundum passio et charitas, ista ut plus ardeat; illa ut plus rubeat» (1). Propter nos novissimum vulnus sustinuit: pro nobis apertum est latus unde vita in mundum efflueret et qua mortui reviviscerent. Lancea crudelis Cor Iesu aperuit, ut dum vita in omnes inde maneret, omnibus pateret aditus ad sacratissimam cellulam, ad verum sancta sanctorum, quo requiescamus securi. O lancea crudelis Cordi Iesu! O lancea salutifera nobis! Ante tabernaculum quod tu, tuo acumine, aperis, reverenter accedo, intendens ut a me probetur

Propositio. *In Cor Iesu ingrediendum, quia lancea perforatum.*

Ut clarius in huius propositionis expositionem procedam, triplici sub capite considerandam, divino fultus auxilio, ostendam.

Divisio. I. *Quoad factum*; II. *Quoad significationem*; III. *Quoad finem huiusce perforationis.*

PARS I. — FACTUM.

Factum perforationis lateris Iesu, triplici modo considerare oportet. Nam perforatum fuit.

a) Christo iam mortuo. «Ad Iesum autem cum venissent, ut viderunt eum iam mortuum, non fregerunt eius crura» (2). Sed tamen aperuerunt latus. Propterea quaero:

(1) D. BERNARD. *Lib. de Passion. Dom.* c. XLI.

(2) IOANN. XIX, 33.

cur non fregerunt crura quia iam mortuus, et tamen vulneraverunt latus eius lancea, eodem iam mortuo? Si superfluum videtur frangere crura, quia mortuus, quare lanceam in latus eius immittunt?

Ad quod sciendum aliam esse intentionem facientis, aliam permittentis. Intentio percutientium dum ad Iesum venerant fuit eum morti tradere tormentis atrocioribus, si fieri posset. Cum autem vidissent eum iam mortuum, quasi acti furentes, insatiabili quadam siti torquendi, et necandi rursus occisum, latus eius aperiunt, sed melius, percutiunt, quasi uno ictu novam passionem et mortem inferre cupientes. Intentio tamen Dei permittentis, fuit ut adimpleretur quod dictum iam ab inde fuerat: «os non comminuetis ex eo» (1), et ideo latere perforosso» morte Iesu certissimo testimonio comprobata, fides resurrectionis eius firmaretur» (2).

b) Deinde vulneraverunt latus Christi adhuc pendens in cruce; nondum enim erat e cruce depositus. Quod quidem magnum includit mysterium; nam sicut passio consummata fuit per mortem, Christo in cruce sublato, medio inter coelum et terram, significans actum praecipuum sacerdotii eius, ita transfixio cordis exequenda erat, eo adhuc e cruce pendente, quia erat et complementum et complexus totius passionis consummatae.

Iuxta D. Thomam (3) «oportuit Christum pati in cruce, ut nullum genus mortis recte viventi homini metuendum esset, iuxta Augustinum. Ut Christus ligno affixus merito satisfaceret pro peccato primi parentis, quod fuit ex eo quod, contra mandatum Dei, pomum ligni vetiti sumpsit, quasi restituens quod Adam sustulerat. Ut in excelso ligno et non sub tecto passus, etiam ipsius aëris natura mundaretur, dum ipsa terra simile beneficium sentiebat, decurrentis de latere sanguinis stillatione mundata, ut ait Chrysostomus. Ut moriens in altum, ascensum nobis pararet in coelum. Ut salvatio

(1) IOANN. XIX, 36.

(2) NATAL. ALEX. hoc. loc.

(3) Vide *Summ. Theol.* part. III, q. XLVI, a. 4.

universalis in quatuor crucis extremis significaretur, iuxta Gregorium Nissenum ». Quia ergo perforatio cordis fuit iuxta intentionem percutientium eum de novo morti tradere si possibile esset, et iuxta consilium Dei, mortem Christi certissimo testimonio comprobare, ideo oportuit Christum perforari e cruce pendentem ut ibi compleretur tota passio Salvatoris.

c) Et tandem, quoad factum, considerandum est quod non percusserunt quamcumque corporis partem, sed latus: « lancea latus eius aperuit ». A latere enim, utpote a loco cordi proximiori, facilius ad cor lancea perducipotuerat. Quod factum et physice et spiritualiter perpendendum est. Physice quidem, quia novissimi vitae motus in corde sunt; namque sicut operatio vitalis primo est in corde, primo creatur cor, ita ultima operatio vitalis est in corde, quod postremum morte quiescit. Ut ergo nullus spiritus vitae in Christo remaneret, unus militum lancea latus eius aperuit; ut qui secundum conspectum videbant iam mortuum, essent per transfixionem de eius morte securi. Deinde spiritualiter. Sicut enim passio, ita perforatio lateris ex odio in Christum orta est; quod odium non modo adversus doctrinam vel facta Messiae processit; sed contra eius personam totaliter. Ideo, ut magis magisque furor patefieret, cor Iesu perfodiunt, quod est in homine velut omnis homo. Et tandem si ex parte Christi percussi pensetur, oportebat cor prae reliquis corporis partibus aperiri; nam Iudaei Christum morti tradentes, amorem eius despiciebant, qui significatur per cor: ideoque non caput, vel alia quaecumque pars corporis percutitur, sed cor lancea miles aperuit.

PARS II. — SIGNIFICATIO.

Progredientes autem cogitemus de physica SS. Cordis Iesu transfixione quoad plurima, quae significat, quae nihilominus, brevitatis gratia, tribus, prouti sequuntur, capitibus coerceo:

a) Primo: significat ardentissimum Christi desiderium

patiendi in illa corporis parte, quae non dum directe vulnerata fuerat. Caput enim spinis cruentatum fuerat; manus et pedes clavis; dorsum, verberibus; humeri, pondere crucis gravissimo; lingua et fauces, felle et aceto; viscera, siti ardenti; totumque omnino corpus, defatigatione; solummodo cor immune a passione restabat, quasi crudelissimi hominum hoc attingere noluissent, ne subita, cruciandus diu, morte abriperetur, et a cruciantium manibus effugeret. Si enim ab initio perforatum fuisset, statim vita Christi defecisset, cum cor sit principium physicae vitae. Ideo post consummationem passionis transverberatur, non ab initio; tum ut tormenta parata, iuxta Patris praeordinationem, antea sustineret, tum ut demonstraret desiderium patiendi physice, in illa parte, quae nondum vulnerata fuerat, ut adimpleretur quod dictum est per prophetam: « A planta pedis usque ad verticem capitis non est in eo sanitas » (1).

b) Secundo: significat ardentissimum desiderium effundendi totum suum pretiosissimum sanguinem. Sanguis enim, qui effusus erat, in remissionem peccatorum effusus erat. Quia ergo omnes peccatores venit salvos facere et Patri reconciliare et pro omnibus eorum iniquitatibus satisfacere, ideo totum sanguinem, ad maiorem charitatis suae ostensionem oportebat effundere; praesertim adhuc in corde manentem, et ibi coagulatum; corde enim carneo dilexit nos in tempore Christus Filius Dei, qui ab aeterno dilexerat nos. Ideo statim ac fuit lancea apertum, continuo exivit sanguis et aqua: idest primo sanguis; ubi autem sanguine exhaustum fuit, exivit aqua; volens sic omnibus alloqui: « quid ultra debui facere, quod non feci? » (2).

c) Significat tertio haec Cordis Iesu transfixio desiderium vehemens novam integre sustinendi passionem, si opus esset ad nostri redemptionem, et animae et corporis; adeo ardens erat amor Iesu erga nos! Et ideo vulneratur et con-

(1) Isa. I, 6.

(2) Isa. V, 4.

foditur Cor, Cor namque sicut est principium totius vitae physicae, ita est sedes animae praecipua. Quia ergo Iesus, decursu totius sacrificii praeteriti, passus fuerat in corpore et in anima, cum cor vivat propter praesentem virtutem animae, hoc novissimo cordis vulnere quo confoditur, voluit mundo patefacere amorem quo, si opus esset, omnia tormenta in coeteris corporis membris tolerata, et animae angustias, ad nostram salutem consequendam rursus libenter obiret, atque subiret.

PARS III. — FINIS.

Considerandus tandem nobis est finis huiusce perforationis.

« Vigilanti verbo Evangelista usus est, ut non diceret latus eius percussit, aut vulneravit, aut quid aliud; sed: aperuit; ut illud quodammodo vitae ostium panderetur, unde Sacramenta manaverunt, sine quibus ad vitam, quae vera vita est, non intratur » (1). Cor igitur Iesu, ad modum ostii, apertum fuit ut aliquid inde nobis efflueret, et item ut aliquid e nobis illuc intraret. Et revera finis huius aperturae fuit

a) ut mundo fons salutaris, perpetuo manans, aperiretur: qui fons significatur per sanguinem et aquam inde fluentem, sicut praedixerat Dominus per Zachariam: « In die illa erit fons patens domui David et habitantibus Hierusalem in ablutionem peccatoris et menstruatae » (2). Hic fons est Ecclesia, dicente Innocentio PP. VI: « Ipse Salvator emissio in cruce iam spiritu, sustinuit perforari latus suum, ut inde sanguinis et aquae profluentibus undis, formaretur unica et immaculata ac virgo sancta mater Ecclesia sponsa sua » (3). Quae quidem usque ad consummationem saeculi duratura, his salutaribus undis, seu sacramentis, hominibus proficit; dicente D. Augustino: « Ille sanguis, qui fusus est, in remis-

(1) S. AUGUSTIN. *Tract. CXX in Ioann.*

(2) Cap. XIII, 1.

(3) *In Decret. de fest. lanc. et clavor.*

sionem fusus est peccatorum. Aqua illa salutaris temperat poculum; haec et lavacrum praestat et potum » (1). Super illud: « tres sunt, qui testimonium dant in coelo, Pater, Verbum et Spiritus Sanctus, et hi tres unum sunt. Et tres sunt, qui testimonium dant in terra, Spiritus, aqua et sanguis et hi tres unum sunt » (2), scribit Arnoldus Abbas, exponens modum quo huius sanguinis et aquae pretium nobis applicatur: « Sufficere nobis non posset ad intellectum veritatis testimonium, quod de coelo est, quod sibi ipsi perhibet Trinitas, nisi nobis innotesceret aliquibus signis et aliquibus argumentis fidei veritas. Sunt itaque haec tria: Spiritus sanctificationis, sanguis redemptionis, aqua purificationis. Non redimit sanguis nisi quos gratia vocat et lavat: nec, nisi ablutos et mortuos peccato, Spiritus sanctificat. In commune participant redemptio et ablutio et sanctificatio. Alterum sine altero esse non potest; quodque agitur unum est, non multiplex. Spiritus namque Sanctus superfertur mysteriis, interest Sacramentis, quorum rationem aqua mundans significat, quae illius rei continet signum, cui et sanguis Christi et Spiritus Dei praeber effectum. In aqua mundamur; in sanguine informamur » (3).

b) Deinde apertum fuit latus et perforatum Cor Iesu, ut reis aperiretur asylus refugii quo liberentur ab iracundia Patris. « Haec, enim, lancea ipsum latus aperiens, sacratissimas ianuas nobis regni coelestis aperuit. Haec vulnerando iam mortuum, vulnera nostra sanavit vitamque nobis reddidit et salutem » (4). Ab inimicorum insidiis; namque, ut ait Augustinus, « hoc praenuntiabat, quod Noe in latere arcae ostium facere iussus est, quo intrarent animalia, quae non erant diluvio peritura, quibus figurabatur Ecclesia » (5). Et a reatu peccatorum: « Haec lancea innoxium transfigendo, illius sanguine culpas nostras abstersit; et demum eiusdem sacratissimis undis

(1) *Tract. CXX in Ioann.*

(2) *I Ioann. V, 7, 8.*

(3) *Tract. de septem verb. Domini.*

(4) INNOC. PP. VI, *In Decret. de lancea et clavor.*

(5) *Tract. CXX in Ioann.*

irrigata, caecitatis nostrae tenebras sustulit, et nos ipsius divinae pietatis fluvii mundavit » (1).

c) Tandem Cor Iesu perforatum fuit ut iustis esset deliciarum receptaculum, ubi inveniant, primo: quietem perfectam. In eo enim morans anima fidelis dicit cum sponsa: « sub umbra illius, quem desideraveram, sedi: et fructus eius dulcis gutturi meo » (2). Secundo; adquirant veram similitudinem. Ad hoc enim Verbum factum est simile nobis per humanam naturam, ut nos redderet similes sibi per sanctitatem hic, et in futuro per gloriam, iuxta D. Ioannem: « cum apparuerit, similes ei erimus » (3). Tertio; ut intimam adipiscantur coniunctionem. Idest, per amorem, qui est vis unitiva et concretiva, ita ei adhaereant, praeceptis pareant, et voluntati suae conformentur, ut possit quisque cum Apostolo dicere: « vivo autem; iam non ego; vivit vero in me Christus » (4).

Consequentia. Ergo in Cor Iesu ingrediendum. Audiamus Iesum invitantem, immo et compellentem. « Venite ad me omnes » (5). « Venite affectibus fidei, spei et charitatis ad me, qui sum via, veritas et vita, fons omnium bonorum, Salvator vester, omnes qui laboratis sub veteris hominis iugo, qui ambulastis per vias difficiles, qui fatigati estis in via iniquitatis et perditionis, qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis, et quasi vinculum plaustrum peccatum; omnes qui gravati et oppressi estis iugo peccatorum, cupiditatum, miserrarum huius vitae, oneribus veteris legis, qui gemitis et suspiratis sub gravissimis illis ponderibus venite ad me omnes, et ego reficiam vos. Demum onera sublevabo et recreabo vos, libertatem, quietem, securitatem, per gratiam meam vobis prestabo, quemadmodum ab Isaia praedictum est « iugum

(1) INNOC. PP. VI, loc. cit.

(2) Cant. Cant. II, 3.

(3) I Ioann. III, 2.

(4) Galat. II, 20.

(5) MATTH. XI, 28.

enim oneris eius et virgam humeris eius et sceptrum exactoris eius superasti, sicut in die Madian » (1). « Audiamus et veniamus. Quid est veniamus? Credendo proficiamus, gratias agendo accedamus, perseverando perveniamus » (2).

Affectus. O bone Iesu! « Ad hoc perforatum est latus tuum ut nobis innotescat introitus; ad hoc vulneratum est Cor tuum, ut in illo et in te ab omnibus perturbationibus absoluti habitare possimus. Et praeterea vulneratum est ut per vulnus visibile vulnus amoris invisibilis videamus. Quomodo hic ardor melius ostendi potest nisi quod non solum corpus, verum etiam ipsum cor lancea vulnerari permisisti? Carnale ergo vulnus, vulnus spiritale ostendit. Quis illud Cor tam vulneratum non diligat? Quis tam amantem non redamet? Quis tam castum non amplectatur? » (3).

Deprecatio. Ad sacratissimum Cordis tui vulnus, o amabilissime Iesu, omnia cordium nostrorum vota et desideria conferimus; atque per infinitam bonitatem tuam suppliciter te rogamus ac petimus; corda nostra Cordi tuo aeternum adstringe, ut tibi vivamus et in te moriamur (4).


(1) NAT. ALEX. hoc. loc.

(2) AUGUST. Serm. XXX.

(3) Ex D. BERNARDO.

(4) Ex quod. Officio Parvo; NILLES, p. 448.





UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

CONCIO XXXIV.

THEMA: Laetamini cum Hierusalem, et exultate in ea omnes, qui diligitis eam; gaudete cum ea gaudio universi, qui lugetis super eam, ut sugatis et repleamini ab ubere consolationis eius.

(ISAIAE, LXVI, 10).

IDEA CONCIONIS

PROP. Ad Cor Iesu accedendum, quia est fons totius consolationis.

DIVISIO. Nam consolatur nos in omni tribulatione nostra: I. Immediate, seu per se; II. Mediate, sive per Sanctos suos.

PARS I. Consolatur nos per se: A) Vel mala a nobis auferendo quia misericors est; nam repellit quae in nos advenirent: a) Ex perfidia daemonis inimici invisibilis; b) Ab insidiis inimicorum visibilium; c) Et hoc quia Pater misericordiarum est. B) Vel in malis, quae patimur, sustentando, quia consolator est. Nam: a) Consolatur omnes; b) In omnibus; c) Et semper.

PARS II. Consolatur nos per sanctos suos: consolatur enim nos: a) Per tribulationem; b) Per consolationem; c) Per exhortationem eorum.

Exordium. Haec concio est praecedentis corollarium. Aqua neque sicco manat fonte, neque clauso, sed uberi et aperto. Cor Iesu non erat fons siccus, sed uberrimus, cuius aquis omnes mundati sumus et regenerati. Fuit tamen fons physice clausus, donec, consummata passione, lancea miles illum aperuit: et quia aperuit, inde exivit sanguis et aqua. Hoc quoad factum. Sed quia non fuit solum apertum ut

exinde undae profluerent, sed ut ostium quodammodo panderetur, et per latus apertum omnibus pateret aditus ad Cor, scilicet ad gratiam et amicitiam et societatem Iesu; finis huiusce perforationis, ut diximus, fuit ut reis et iustis esset in asylum; quod ingredientes, peccatores veniam, iusti perfectionem, sancti delicias inveniant, omnes autem consolationem.

En ergo quare, post transfixionem Cordis, agendum sit de eius principali et universaliori effectui; de consolatione scilicet, quae in nos advenit a Corde vulnerato, et quam adipiscuntur animae Cor apertum ingredientibus. Quae quidem consolationes, quia abundantissimae, ad modum undarum in universum terrarum orbem, immo in mundum universum, profluentium, proponuntur considerandae, ab unico totius consolationis fonte manantes, a Corde nempe Iesu; quod, cum sit principium affluens, ideo dicitur Fons.

Propositio. *Ad Cor Iesu accedendum, quia est Fons totius consolationis.*

Fons totius consolationis est Cor Iesu, quia veluti consolatio, sive consolator antonomastice, expectabatur, ut legitur Lucae: « Simeon, homo iustus erat expectans consolationem Israel » (1). « Nam Christus est fidelium consolatio, quia extra Christum nulla salutis est spes, sed mera desolatio et desperatio » (2). Ita promissum fuit per Isaiam: « Consolabitur Dominus Sion » (3), et non modo quocumque, sed plene, ita « ut sugatis et repleamini ab ubere consolationis eius ». Eandem plenitudinem consolationis commendat Apostolus dicens: « Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra » (4). Quae quidem plenitudo consolationis, a latere Iesu salientis, nomine Fontis designatur, tum ex abundantia consolationum, tum quia ab eo nihil ama-

(1) II, 25.

(2) A LAPID. in Luc. II, 25.

(3) LI, 3.

(4) II Corinth. I, 3.

rum prodit iuxta illud: « Numquid fons de eodem foramine emanat dulcem et amaram aquam? » (1). Mentem ergo D. Thomae sequendo, in expositione textus allati, « Deus totius consolationis », etc... dico Cor Iesu esse fontem totius consolationis, quia consolatur nos in omni tribulatione nostra.

Divisio. I. *Immediate seu per se*; II. *Mediate, seu per alios, sive sanctos suos.*

PARS I. — CONSOLATUR OMNES, PER SE.

Primo; Cor Iesu est fons totius consolationis nostrae quia consolatur nos in omni tribulatione nostra, immediate seu per se, solo suae gratiae auxilio.

A) Quod quidem facit, mala a nobis auferendo, quia misericors est, ut dictum est (Conc. XXV). Nam revera, hac sua infinita bonitate et misericordia, repellit

a) plurima mala, quae in nos advenirent ex perfidia daemonis, devorare cupientis, « non patietur vos tentari supra id quod potestis », sed e contra ex ipsa tentatione nostrum trahet derivare proventum, « sed faciet etiam cum tentatione proventum » (2): nam, modo potentiori quam Raphael, Iesus Christus suo triumpho « apprehendit daemonium, et religavit illud in deserto superiori Aegypti » (3). Et haec est alia ratio consolationis, quam habemus per Christum, scire nempe, daemonem, animas nostras perdere ac mactare desiderantem, depelli ac vinci per Christum eas salvare cupientem.

b) Deinde mala aufert, quae in praesenti adveniunt ex inimicorum visibilium insidiis, et quoad corpus et quoad animam; ideo expectamus consolationem eius sicut Simeon iustus erat expectans consolationem Israel: « idest expectans adventum Messiae, sive Christi, qui consolaturus et liberaturus erat

(1) IACOB. III, 11.

(2) I Corinth. X, 13.

(3) TOB. VIII, 3.

Israel, idest, populum fidelem, a Satana, ab Herode, Romanis, Scribis et Phariseis oppressum... Sciebat enim Simeon, ex translato a Iuda sceptro ad Herodem, iuxta oraculum Iacob (1), et ex completis septuaginta Danielis hebdomadis (IX), aliisque prophetiis, Christi adventum instare, ut Israelem, idest, fideles ab omnibus malis eriperet, puta tam a peccatis, quam a miseriis omnibus, partim in hac vita, partim in futura » (2).

c) Et ita nos consolatur, quia pater misericordiarum est: consolari enim, est misericordiae effectus. Ideo super illud: « Benedictus Deus et Pater Domini nostri Iesu Christi; Pater misericordiarum et Deus totius consolationis » (3), scribit S. Thomas: « Recte ergo (Apostolus) gratias agit Patri, quia misericors est; unde « pater misericordiarum »: et quia consolator est; et ideo: « et Deus totius consolationis ». Et agit gratias de duobus, quibus homines maxime indigent. Primo enim indigent ut auferantur ab eis mala; et hoc facit misericordia, quae aufert miseriam; et misereri proprium est Patri. Secundo indigent ut sustententur in malis, quae adveniunt: et illud est proprie consolari ». Quamvis autem auferre mala sit proprius effectus misericordiae, iuxta praedicta, tamen quia liberatio ab his malis, sive praesens sive futura, semper affert consolationem, ideo dixi Cor Iesu esse fontem consolationis nostrae, quia per illud liberamur a malis, quae advenirent, vel a malis quae undique nos circumstant; eo ipso modo quo Simeon erat expectans Christum, quem Evangelista vocat consolationem, quia liberaturus erat populum Israel.

B) Secundo: Cor Iesu est per se Fons totius consolationis, quia in malis, quae in nos adveniunt, nos sustentat, quod est proprie consolari. Audiamus D. Thomam: « Homines indigent ut sustententur in malis, quae adveniunt: et illud est proprie consolari, quia nisi homo haberet aliquid, in quo quiesceret cor eius, quando superveniunt mala, non subsisteret.

(1) Gen. XLIX, 10.

(2) A LAPIDE, In Luc. II, 25.

(3) II Corinth. I, 3.

Tunc ergo aliquis consolatur aliquem, quando affert ei aliquid refrigerium, in quo quiescat in malis. Et licet in aliquibus malis, homo possit in aliquo consolari, et quiescere, et sustentari, tamen solus Deus est, qui nos consolatur in omnibus malis. Et ideo (Apostolus) dicit « Deus totius consolationis ». Qui si peccas, consolatur te Deus, quia ipse misericors est. Si affligeris, consolatur te, vel eruendo ab afflictione per potentiam suam, vel iudicando per iustitiam. Si laboras, consolatur te remunerando » (1). Ergo, iuxta Angelicum, consolari idem est ac refrigerium praebere. Cum autem nemo sicut Cor Iesu reficiat, nam ait: « venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos » (2), aperte, ipsum est fons totius consolationis. Et revera:

a) Consolatur omnes. Venite ad me omnes. « Nemine excluso; nemo enim est, qui non aliquo morbo laboret, et Christi medela indigeat. Omnibus ergo Christus se offert, ut ab eo sanitatem et salutem petant et recipiant. Sic blande correxit, erexit, curavitque Magdalenam, Matthaeum, Paulum, Petrum. Sic etiamnum in Eucharistia, omnes invitat, aitque: Venite ad me, infirmi, esurientes, afflicti; ego reficiam vos » (3).

b) Consolatur praeterea in omnibus, sive plene. Ideo: « qui laboratis et onerati estis »; quicumque sit labor et onus quibus premimini: « qui laboratis, id est qui molestiam patimini: et onerati estis, scilicet fatigati et depressi: ac succumbentes oneri, tum peccatorum, tum legis Mosaicae, tum aerumnarum et tentationum huius vitae » iuxta A. Lapide. In omnibus reficit, in omnibus consolatur, quia, ut diximus supra cum D. Thoma, si peccas, consolatur te, quia ipse misericors est; si affligeris, consolatur te vel eruendo ab afflictione per potentiam, vel iudicando per iustitiam; si laboras, consolatur te remunerando.

c) Et consolatur semper. Consolator enim noster manet in aeternum; et ea charitate, qua compellitur consolari, semper

(1) Expositio in Epist. II ad Corinth. I, 3.

(2) MATTH. XI, 28.

(3) A LAPIDE, hoc loc.

dilexit nos: « in charitate perpetua dilexi te » (1). Unde comparatur matri: « sicut mater unicum amat filium, ita ego te diligebam » (2) quo amore materno semper spondit reficere et consolari: « Quomodo si cui mater blandiatur, ita ego consolabor vos, et in Hierusalem consolabimini » (3). Ideo et « ego reficiam vos ». Ego, Christus, qui sum heri, hodie et in saecula, semper consolabor vos: « idest, refocillabo, fessis requiem dabo, ut vertit Syrus, recreabo, in omni quiete constituam, ait S. Chrysostomus, per verba blandissima, per Sacramenta, quasi pharmaca efficacissima, per gratiam et consolationes internas suavissimas, denique per gloriam felicissimam in coelo » (4).

Et ita Cor Iesu est fons totius consolationis per se, solo suae gratiae auxilio; affert enim refrigerium omnibus, et in omnibus, et semper accedentibus ad se, consolatione indigentibus. Unde ad eum accedendum; accedere quippe debent omnes undequaque afflicti: « in omnibus, enim, tribulationem patimur, sed non angustiamur; aporiamur, sed non destituimur; persecutionem patimur, sed non derelinquimur; deicimur, sed non perimus; semper mortificationem Iesu in corpore nostro circumferentes » (5).

PARS II. — CONSOLATUR OMNES MINISTERIO SANCTORUM.

Secundo Cor Iesu est fons totius consolationis, quia consolatur nos in omni tribulatione nostra, etiam mediate, sive per alios, per ministros, scilicet, suos, per perfectiores, de quorum bonis aliqua utilitas nobis accrescit; unde Apostolus prosequitur: « ut possimus et ipsi consolari eos, qui in omni pressura sunt » (6).

(1) IEREM. XXX, 13.

(2) II Reg. I, 26.

(3) ISAI. LXVI, 13.

(4) A LAPIDE, In Matth. XI, 28.

(5) II Corinth. IV, 8.

(6) II Corinth. I, 4.

« Ubi notandum est, iuxta D. Thomam, quod in donis divinis est ordo; ad hoc enim Deus dat aliquibus specialia dona, ut ipsi effundant illa in utilitatem aliorum: non enim dat lumen soli, ut sibi soli luceat, sed ut toti mundo. Unde vult quod de omnibus bonis nostris, sive sint divitiae, sive potentia, sive scientia, sive sapientia, accrescat aliqua utilitas aliis: « unusquisque gratiam, quam accepit, in alterutrum administrantes » (1). Hoc ergo est quod Apostolus dicit, consolatur nos in omni tribulatione nostra. Sed quare? Non ut solum nobis hoc sit ad bonum, sed etiam ut aliis prosit. Unde dicit: ut possimus et ipsi consolari eos, qui in omni pressura sunt » (2). Quae quidem consolatio tripliciter nobis provenit a Iesu per ministros suos, seu sanctos; scilicet, per eorum tribulationem; per consolationem, et per exhortationem.

a) Per tribulationem sanctorum. Manifestando qualiter Apostolorum consolatio sit ad aliorum utilitatem et consolationem tria dicit D. Paulus se recepisse, iuxta D. Thomam: tribulationem, consolationem, exhortationem: « Accipiendo ergo haec tria passive dicimus, quod Apostoli consolantur, tribulantur, et exhortantur: unde et haec tria, ostendit Apostolus cedere ad consolationem aliorum: et hoc in quodam ordine ». Et primo eorum tribulationem, cum dicit: « sive autem tribulamur » (3). Quasi dicat: vere quidquid recipimus, est in bonum vestrum; quia sive tribulamur, pro vestra exhortatione et salute, quia, scilicet, nostro exemplo, monet vos Deus, ad passionum tolerantiam; unde provenit vobis salus aeterna. Quod fit quando tepidis et pigris, adhibentur passionis sanctorum in exemplum » (4). Sicut enim Apostolos, in tormentis et persecutionibus, consolabatur exemplum passionis Christi, ita quod « ibant gaudentes a conspectu concilii quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumelliam pati » (5); similiter

(1) I Petr. IV, 10.

(2) Expositio ad hunc loc.

(3) II Corinth. I, 6.

(4) D. THOM. Expositio in hoc loc.

(5) Act. Apost. V, 41.

non consolentur passiones sanctorum, quorum « alii distenti sunt, alii vero ludibria et verbera experti, insuper et vincula et carceres; lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisionem gladii mortui sunt » (1).

b) Per consolationem eorum. Prosequitur D. Thomas: « Secundo ostendit (Apostolus) quod eorum consolatio in aliorum utilitatem cedit, cum dicit: « sive consolamur ». Quasi dicat: ipsa nostra consolatio, qua nos spe praemii consolamur, est ad consolationem vestram, in quantum exemplo nostro, vos etiam eandem spem praemii habentes, gaudetis ». Quae consolatio in summum accrescit attendentes consolationem, quam in praemium laborum, iam sancti comprehensores receperunt, quibus ut in aeternum consociemur, nos vocati sumus.

c) Tandem; consolamur per eorum exhortationem. « Tertio ostendit quod eorum exhortatio passiva est ad bonum aliorum, dicens « sive exhortamur », per internam inspirationem, vel per flagella, hoc est, pro vestra exhortatione: scilicet, ut vos ad maiora animemini et salutem speretis »: quod quidem consequimur, et sanctorum attenta meditatione lectionum, et eorum exemplorum imitatione perfecta.

Sic ergo, Cor Iesu est fons totius consolationis, affert enim omnem consolationem, et multifariam. En compendium harum consolationum et modus earum, a Natale Alexandro expositum: « Fideles animas, illum sincere, fideliter, humiliter, perseveranter quaerentes, ob illius absentiam gementes, variis modis Christus Iesus consolatur:

A) Per ministros suos, per sanctos sacerdotes et pastores, qui angelorum ministerium obeunt, sedentes ad tumultum Iesu...

B) Illas consolatur praesentia sua, quamvis non manifesta nec sensibilis, seu sub propria specie, sed sub aliena, in Sacramento Eucharistiae...

C) Illas consolatur verbo suo... Vocat eas nomine suo familiariter cum ipsis colloquitur...

(1) Hebr. XI, 35.

D) Illas consolatur interioribus illustrationibus, et spiritualibus deliciis, quarum gustu, agnoscentes illum in corde suo praesentem, illum unum audire sibi proponunt ut magistrum, illi uni ut sponso adhaerere, illi uni ut Domino famulari...

E) Fideles animas consolatur Iesus suorum sublimitatem mysteriorum, in meditatione, et contemplatione illis aperiendo, tanta interdum luminis et gratiae ubertate, ut aliis etiam ea nuntiare et exponere valeant...

F) Fideles animas consolatur Iesus spe castorum amplexuum, quibus non in terris quidem, sed in coelo conglutinantur Dilecto suo... » (1).

Consequentia. Ergo Cordi Iesu accedendum, triplici via et gradu. Primo: Fide viva, qua omnia mysteria omnesque veritates supernas, mente devota amplectamur, sola Dei auctoritate revelantis. Hic est primus gressus ad Iesum, ut de eo vivamus, eiusque consolationibus participemus: « quia iustus ex fide vivit » (2). Secundo spe firma in eo, eiusque promissionibus et magnis gratiarum praemiis, fundata; quibus dulcem consolationem spopondit elargiri colentibus se, in tot huius vitae aerumnis: « In hac amabili devotione omnia invenient auxilia: in laboribus solatium... in adversis consolationem » (3): et praesertim spe firma gloriae venturae, ubi tristes, lugentes et afflicti, gaudio magno gaudebunt: « intra in gaudium Domini tui »: ut ibi in aeternum consolentur: « beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur » (4). Tertio et praecipue accedendum charitate flagranti, ut velut amicos et dilectos suos consoletur nos verbo, praesentia, auxilio et bonis suis, sicut promissum est: « Ego ipse consolabor vos » (5).

Affectus. O Cor Iesu, complacentia aeterni Patris, Sacramentum Spiritus Paracliti, gaudium Virginis Matris, solatium

(1) In Ioann. XX, 16.

(2) Ad Galat. III, 11.

(3) Vie et Œuvr. tom. II, pag. 286.

(4) MATTH. V, 5.

(5) ISAI. LI, 12.

angelorum, laetitia sanctorum omnium, totiusque curiae coelestis perpetua iucunditas! Quomodo cantabimus canticum in terra aliena? Unde gaudium animae in valle lacrymarum positae, inter tot tantasque aerumnas commoranti? Minime cantare potest ac laetari anima, nisi te cognoscat ac totum possideat et amplectatur, o dulcis Iesu! Cor enim tuum est vera promissionis terra, fluens lacte et melle Cor tuum est vera iustorum patria: et exul a patria nemo gaudet, cantat nemo. « Iesu, dulcedo cordium, fons vivus, lumen mentium, excedens omne gaudium, et omne desiderium » aperi nobis fontem coelestium consolationum, ut inde hauriamus in gaudio. Aperi cor tuum et ingrediemur ut de gaudiis sanctorum aliquantulum percipiamus; et in te et per te in omni tribulatione consolemur.

Deprecatio. Ne despicias, Omnipotens Deus, populum tuum in afflictione clamantem, sed propter gloriam nominis tui, tribulatis succurre placatus (Ex Missali Rom.).



CONCIO XXXV.

THEMA: Ego sum vita.

(Ioann. XI, 25).

IDEA CONCIONIS

PROP. Cordi Iesu adhaerendum, quia est vita nostra.

DIVISIO. I. Est radix vitae; II. Est reversio ad vitam; III. Est conservatio nostra in vita spirituali.

PARS I. Est radix vitae nostrae spiritualis: a) A qua si qui eradicatus sit, vel non insertus, nullum facit fructum vitae; b) Cui tamen qui fuerit insertus uberiores vitae fructus faciet.

PARS II. Est reversio ad vitam nostra spiritualem: a) Remissione peccatorum per collationem gratiae tum sanctificantis, tum sacramentalis b) Reviviscentia virtutum et meritorum.

PARS III. Est conservatio nostra in vita spirituali: a) Politice; b) Oeconomice; c) Ethnice; d) Physice; e) Quasi sol, etc.

Exordium. Ponderatissimum est donum, de quo in praesenti concione disserere debemus, a Corde Iesu procedens; bonum, nempe, vitae; ipsum enim est vita nostra: *Ego sum vita*. Ponderatissimum dico, aestimabilissimum, supremum tum in ratione principii, tum in ratione medii. Ratione principii quidem, quia esse est radix cuiuscumque operationis, sive physicae, sive intellectualis, tam in natura quam in gratia; nemo namque et nihil operatur antequam sit. Hinc est quod super omnia appetamus vitam, et vita sit bonum quod diligentius servare curemus, et dolentius amittamus. Solius instinctus vi a natura inditi, ducta, etiam irrationalia vitam appetunt et mori recusant. Tota omnino physica natura pulchrior ac florentior apparet tempore verno, quod est rege-

angelorum, laetitia sanctorum omnium, totiusque curiae coelestis perpetua iucunditas! Quomodo cantabimus canticum in terra aliena? Unde gaudium animae in valle lacrymarum positae, inter tot tantasque aerumnas commoranti? Minime cantare potest ac laetari anima, nisi te cognoscat ac totum possideat et amplectatur, o dulcis Iesu! Cor enim tuum est vera promissionis terra, fluens lacte et melle Cor tuum est vera iustorum patria: et exul a patria nemo gaudet, cantat nemo. « Iesu, dulcedo cordium, fons vivus, lumen mentium, excedens omne gaudium, et omne desiderium » aperi nobis fontem coelestium consolationum, ut inde hauriamus in gaudio. Aperi cor tuum et ingrediemur ut de gaudiis sanctorum aliquantulum percipiamus; et in te et per te in omni tribulatione consolemur.

Deprecatio. Ne despicias, Omnipotens Deus, populum tuum in afflictione clamantem, sed propter gloriam nominis tui, tribulatis succurre placatus (Ex Missali Rom.).



CONCIO XXXV.

THEMA: Ego sum vita.

(Ioann. XI, 25).

IDEA CONCIONIS

PROP. Cordi Iesu adhaerendum, quia est vita nostra.

DIVISIO. I. Est radix vitae; II. Est reversio ad vitam; III. Est conservatio nostra in vita spirituali.

PARS I. Est radix vitae nostrae spiritualis: a) A qua si qui eradicatus sit, vel non insertus, nullum facit fructum vitae; b) Cui tamen qui fuerit insertus uberiores vitae fructus faciet.

PARS II. Est reversio ad vitam nostra spiritualem: a) Remissione peccatorum per collationem gratiae tum sanctificantis, tum sacramentalis b) Reviviscentia virtutum et meritorum.

PARS III. Est conservatio nostra in vita spirituali: a) Politice; b) Oeconomice; c) Ethnice; d) Physice; e) Quasi sol, etc.

Exordium. Ponderatissimum est donum, de quo in praesenti concione disserere debemus, a Corde Iesu procedens; bonum, nempe, vitae; ipsum enim est vita nostra: *Ego sum vita*. Ponderatissimum dico, aestimabilissimum, supremum tum in ratione principii, tum in ratione medii. Ratione principii quidem, quia esse est radix cuiuscumque operationis, sive physicae, sive intellectualis, tam in natura quam in gratia; nemo namque et nihil operatur antequam sit. Hinc est quod super omnia appetamus vitam, et vita sit bonum quod diligentius servare curemus, et dolentius amittamus. Solius instinctus vi a natura inditi, ducta, etiam irrationalia vitam appetunt et mori recusant. Tota omnino physica natura pulchrior ac florentior apparet tempore verno, quod est rege-

nerationis ac reviviscentiae tempus. Et etiam in ratione medii. Nam vitam gloriae, quod est summum bonum, assequimur per vitam gratiae tamquam medium necessarium; et in ipsa gratia non renascimur, nisi prius in natura nascamur. Semper ergo vita est bonum optimum.

Quaestio praecipua versatur circa sensum, quo in hac concione, vitam percurrere debeamus. Nam in hac Litania-
rum expositione, triplex datur propositio simillima. Prima (Concione XXVII sub deprecatione XXI) qua Cor Iesu pertractatur velut fons vitae. Secunda (Concione XXVIII sub eadem deprecatione XXI), in qua agitur de eo, tamquam de fonte sanctitatis. Tertia est praesens in qua sub deprecatione XXVIII Cor Iesu dicitur simpliciter: vita nostra. Concione XXVII egimus de vita generaliter sumpta: ex hoc namque Cor Iesu est fons vitae quia ab eo, velut a fonte uberrimo, ortus est omnis spiritus vitae naturalis, gratiae et gloriae. Concione XXVIII agitur de vita etiam; sed tantum de spirituali, et sensu strictiori, in quantum importat progressum in perfectionis viam; ideoque dicitur illic Cor Iesu, fons sanctitatis. Restat ergo eandem vitam pertractare spiritualem gratiae, sed modo latiori, in sensu nempe, quo quotquot in Deo vivunt per Christum in eo vivunt. Ideo dicitur: vita nostra; non enim venit vitam naturalem, sed spiritualem gratiae praebere. En quare a me huius concionis praesens statuitur

Propositio. *Cordi Iesu adhaerendum, quia est vita nostra.*

Cum iuxta D. Thomam: « illa proprie sunt viventia, quae seipsa secundum aliquam speciem motus movent » (1) vita est non solum operatio quaedam, sed principium et radix cuiuscumque operationis. Unde « illud in homine radicaliter est vita, quod est principium motus et actionum vitalium in eo » (2). Ita in homine cor dicitur vita hominis, quia ab eo

(1) *Summ. Theol.* p. I, q. XVIII, a. 1.

(2) A LAPIDE, *Ad Philipp.* I, 21.

omnis vitae physicae motus procedit; homo enim ex corde vivit, et ab eo omnia membra vitam hauriunt; quia, scilicet, cor est radix vitae et cuiuscumque operationis vitalis physicae, ita ut sit in homine primum vivens et ultimum moriens. Unde anima est vita corporis, quia est principium motus eius; et Deus est vita animae, quia est similiter causa esse et operationis ipsius, ut scribit S. Augustinus: « Vita carnis tuae anima est, vita animae tuae, Deus est. Quomodo moritur caro amissa anima, quae vita est eius, sic moritur anima, amisso Deo, qui vita eius » (1).

Ita Cor Iesu dicitur, et est vita nostra in quantum per ipsum in vita spirituali movemur; seu ex hoc quod est principium radicale totius et cuiuscumque operationis in spiritualibus. Et hoc tripliciter.

Divisio. I. *Quia est radix vitae;* II. *Quia est regressus ad vitam;* III. *Quia est conservatio in vita.*

PARS I. — EST RADIX VITAE SPIRITUALIS.

Cor Iesu est vita nostra quia est radix, per quam, et in qua vivimus. De eo enim dictum fuit: « In die illa radix Iesse, qui stat in signum populorum, ipsum gentes deprecabuntur, et erit sepulcrum eius gloriosum » (2). Idest ad eum, per quem mors superabitur, omnia festinabunt, ut vivant: « Nunc princeps huius mundi elicietur foras. Et ego si exaltatus fuero, omnia traham ad me ipsum » (3). Ipse Iesus per Ioannem vocat se radicem: « Ego Iesus misi angelum meum testificari vobis haec in Ecclesiis. Ego sum radix, et genus David, stella splendida et matutina » (4). Vera radix, a qua iusti nutrimentum sugunt, ut fructus af-

(1) A LAPIDE, *Ad Rom.* I, 17.

(2) ISAI. XI, 10.

(3) IOANN. XII, 31.

(4) Apoc. XXII, 16.

ferant ad similitudinem ligni, quod plantatum est secus decursus aquarum; et a qua eradicati, vel cui non inserti nullum vitae fructum faciunt, similes seminibus quae, « quia non habebant radicem, aruerunt » (1).

a) Est enim Cor Iesus radix, a qua quisque eradicatus nullum facit fructum vitae. Is assimilatur illis seminibus de quibus A Lapide: « Quia enim tenuem habebant terram, cui mox succedebat petra, hinc partim defectu humoris, partim vis solis ad petram radios suos reflectentis, itaque aestum augentis et intendentis, arefacta et exusta sunt. Porro petra est durities protervae mentis, ait Rabanus, in qua non est altitudo, id est profunditas terrae, id est profunda lenitas animae obediens, et disciplinis coelestibus institutae » (2). Unde tales nullum vitae fructum reddunt; radices enim habent fixas non in Christo, sed in mundo, de quibus legitur: « radices gentium superbarum arefecit Deus » (3). Unde per Ioannem: « Sicut palmes non potest ferre fructum a semetipso, nisi manserit in vita, sic et vos nisi in me manseritis » (4). « Sicut palmes a vite haurit vitam et succum ad producendum uvas, sic et vos a me hauritis vitam gratiae et spiritum ad producendum bona opera, quae mereantur vitam aeternam. Ex hoc loco ergo patet hominem non a se suisque naturae viribus, non etiam exterius ab homine docente vel suadente, sed ab interna Christi gratia, partim actu praeveniente, partim habituali, haurire vim producendi bona opera, praesertim supernaturalia, ac vim per illam merendi augmentum gratiae et gloriae; quia palmes nihil habet a se, sed omnem succum, efficientiam et vim producendi uvas haurit a vite » (5). Unde nisi de radice participemus nullum vitae fructum dare possumus: « quia sine me nihil potestis facere » (6). « Non

(1) MATTH. XIII, 6.

(2) Super hoc loc.

(3) Eccli. X, 18.

(4) XV, 4.

(5) A LAPIDE, hoc loc.

(6) IOANN. XV, 5.

tantum generali et naturali, sed et speciali ac supernaturali gratiae auxilio praeveniente et concurrente, nihil potestis facere, nihil, scilicet, fructus qui sit fructus vitis, id est Christi, vel gratiae, uti praecessit, hoc est, nihil vita aeterna, aut gratia dignum et meritorium, quod uvae et vinum, quod est liquor praestans, repraesentat, uti volebant Pelagiani qui censebant opera bona et meritoria posse absolute fieri per liberum arbitrium, facilius tamen per gratiam » (1). Unde legitur, Sapient.: « Impiorum multitudo non erit utilis, et spuria vitulamina non dabunt radices altas » (2).

b) Sed e contra est Cor Iesu radix, cui si quis insertus fuerit, uberes vitae fructus faciet: « radix autem iustorum proficiet » (3). Ita praeannuntiavit fuit ab Isaia: « Et mittet id, quod salvatum fuerit de domo Iuda, et quod reliquum est, radicem deorsum, et faciet fructum sursum » (4). Ut enim scribit Apostolus: « quod si libatio sancta est, et massa; et si radix sancta, et rami » (5). Radix autem iustorum est Christus, cui per charitatem inserti sunt: huiusmodi vero radices sanctae illi sunt rami: « ego sum vitis, vos palmites » (6); et ideo fructus sanctitatis portant. Iusti rami sunt, non radix: « non tu radicem portas, sed radix te » (7); non enim sanctificant radicem seu Christum, sed ab ipso unice sanctificantur. Et ideo sunt velut arbores, quarum radix Christus est; arbores ergo bonae. Nunc autem, « omnis arbor bona fructus bonos facit » (8). Unde apparet quod fructus iustorum sint fructus vitae: « Qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum » (9). Idest « qui ita manet in me, ut ego etiam maneam in eo, hoc est qui manet in me non per solam

(1) A LAPIDE, hoc loc.

(2) IV, 3.

(3) Prov. XII, 12.

(4) XXXVII, 31.

(5) Ad Rom. XI, 16.

(6) IOANN. XV, 5.

(7) Rom. XI, 18.

(8) MATTH. VII, 17.

(9) IOANN. XV, 5.

fidem, sed per fidem charitate formatam, ita ut ego vicissim eum redamem, meoque spiritu imbuam, hic fert fructum multum bonorum operum et meritorum, quibus augmentum gratiae et gloriae iugiter promeretur » (1).

Et ideo, quia Cordi Iesu insertus, iustus vita vivet, « et erit quasi lignum quod transplantatur super aquas, quos ad humorem mittit radices suas, et non timebit cum venerit aestus. Et erit folium eius viride, et in tempore siccitatis non erit sollicitum, nec aliquando desinet facere fructum » (2), cum e contra, « radices impii siccentur » (3).

PARS II. — EST REGRESSUS AD VITAM SPIRITUALEM.

Deinde Cor Iesu est vita nostra, quia est reversio ad vitam spiritualem, seu via, qua ad vitam gratiae revertimur. Contingit enim non semel hanc vitam ob peccatum mortale amitti; et tunc ad eam resurgimus, seu redimus per Christum; unde illud: « Ego sum resurrectio et vita » (4); quod aliqui sic exponunt « ego sum resurrectio ad vitam » (5).

a) Et haec vita recuperatur primo: remissione peccatorum, mediante sacramento poenitentiae, sive quoad culpam, sive quoad poenam aeternam: « Ego sum, ego sum ipse, qui deleo iniquitates tuas propter me, et peccatorum tuorum non recordabor » (6). « Et cum averterit se impius ab impietate sua, quam operatus est, et fecerit iudicium et iustitiam, ipse animam suam vivificabit » (7). Quod ad hanc vitam quis per poenitentiae sacramentum renascatur sic probat S. Thomas: « poenitentia in quantum est sacramentum praecipue in confessione

(1) A LAPIDE, hoc loc.

(2) IEREM. XVII, 8.

(3) IOB. XVIII, 16.

(4) IOANN. XI, 25.

(5) A LAPIDE, hoc loc.

(6) ISAI. XLIII, 25.

(7) EZECHIEL, XVIII, 27.

perficitur: quia per eam homo ministris Ecclesiae se subiciit, qui sunt sacramentorum dispensatores. Contritio enim votum confessionis annexum habet; et satisfactio pro iudicio sacerdotis, cui fit confessio, taxatur. Et quia in sacramento poenitentiae gratia infunditur, per quam fit remissio peccatorum, sicut in baptismo; ideo eo modo confessio ex vi absolutionis coniunctae remittit culpam, sicut et baptismus » (1). Haec autem gratia, qua liberamur a morte peccati et remissionem peccatorum consequimur, collata fuit a Christo quando sacramentum poenitentiae instituens ait ministris suis, « quorum remiseritis peccata remittuntur eis » (2). Quapropter haec resurrectio ad vitam gratiae, fit virtute Christi huius sacramenti institutoris.

b) Et hoc fit collatione gratiae tum sanctificantis, tum sacramentalis. Sanctificantis quidem, cum peccata remitti nequeant sine illius infusione, qua nempe efficimur amici Dei. Hinc Tridentinum: « Si quis dixerit homines iustificari vel sola imputatione iustitiae Christi, vel sola peccatorum remissione, exclusa gratia et charitate anathema sit » (Sess. VI, c. 2): tum nempe sacramentalis, propriae huic Sacramento, quae nempe nos roborat ad perseverandum (3). Per gratiam hanc duplicem, duplex bonum consequimur: per gratiam sanctificantem aperitur de novo paradisus a cuius introitu prohibebamur per culpam et reatum poenae; quae impedimenta amoveniuntur, per gratiam sanctificantem infusam homini confitenti et subiicienti se clavibus Ecclesiae, quibus aperitur Paradisus. Per gratiam autem sacramentalem firmamur in spe salutis aeternae consequendae: « per confessionem enim homo fit humilior et cautior » (4): et per eam subicitur Christo, a quo provenit nobis spes remissionis et virtus clavium Ecclesiae, cui confitendo se subicit homo.

c) Tandem reviviscentia virtutum et meritorum. « Cer-

(1) Suppl. q. X, a. 1.

(2) IOANN. XX, 23.

(3) DEL VECCHIO.

(4) Magist. Sent. lib. IV, dist. 17.

tum est virtutes infusas ob peccatum deperditas restitui per poenitentiam; cum hae sint proprietates gratiae sanctificantis. Item merita, seu bona opera per peccatum mortificata, quae facta in gratia desierunt meritoria esse, post peccatum, per poenitentiam reviviscunt. Legitur Ezechiel: « Impietas impii non nocebit ei, in quacumque die conversus fuerit ab impietate sua » (1). At opera mortua, facta in statu peccati, licet in se bona, non habent meritum, utpote facta in statu peccati mortalis, idest in statu mortis; cum quae numquam vitam habuerint, nequeunt reviviscere quoad vitam aeternam » (2).

Cum ergo haec omnia, quae in iustificatione efficiuntur, virtute Christi efficiantur, evincitur ipsum esse reversionem peccatorum ad vitam, ideoque ipsum esse vitam nostram spiritualem.

PARS III. — EST STABILITAS SEU PERMANENTIA NOSTRA IN VITA SPIRITUALI.

Est tandem Cor Iesu vita, in sensu quo est vitae nostrae conservatio. Sic enim se gerit in gratia sicut in natura. In natura creavit nos, idest eduxit de nihilo; in gratia eduxit nos de nihilo gentilitatis, seu peccati; ideo dicitur etiam creatio: « creati in Christo Iesu » (3). Item in natura omnia conservat, idest sua virtute sustinet, ne ad nihil revertantur. Et si inanimata et insensibilia, supramodum homines et praecipue iustos suos sustentabit: « Fidelis est Deus qui non patietur vos tentari supra id quod potestis » (4). Sic Cor Iesu est conservatio vitae spiritualis nostrae. Et hoc multipliciter. Super illud: « ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi » (5), audiamus A Lapide: « Tro-

(1) XXXIII, 12.

(2) DEL VECCHIO, tom. II, n. 673.

(3) Ephes. II, 10.

(4) I Corinth. X, 13.

(5) MATTH. XXVIII, 20.

pologice Christus est in anima et cum anima fidei et sancta usque ad finem vitae, donans ei magnum illud perseverantiae donum, quod electos in coelum perducit; ipse enim iustum non deserit, nisi prius a iusto deseratur; ut ait ex Augustino, (Conc. Trident. Sess. VI). Itaque Christus est in anima sancta.

a) Primo politice, quasi rex in regno suo, quod secundum leges iustitiae recte dirigit et moderatur, et quasi dux in exercitu eum roborans, ut hostes omnes, puta mundum, carnem et daemonem superet et debellet.

b) Secundo oeconomice ipse est in anima, quasi pater in domo et familia, quam sapienter ille regit, protegit, et ditat. Rursum ipse est in ea, quasi navarchus in navi, qui eam per undas et fluctus huius maris procellosi, idest, per tentationes huius vitae periculosae, secure dirigit ad portum salutis aeternae. Ipse est in ea qualis auriga est in curru, ut nos quasi dormientes vehat, in urbem et patriam coelestem.

c) Tertio, ethnice Christus in anima est, quasi ratio et prudentia, quae omnes actiones prudenter dirigit, iuxta normam rationis divinae et legis aeternae, quae est in mente Dei...

d) Quarto, physice ipse est in anima id, quod anima est in corpore; ipse enim est quasi animae anima, ipsam vitam gratiae vivificans, ut anima vivat vitam, non animale et carnalem, sed spirituales et divinas...

e) Denique ipse est quasi ignis divinus, animam flamma charitatis illuminans et inflammans. Ipse est in anima id, quod sol est in mundo; scilicet ipse est sol coelestis, totum animae nostrae orbem luce gratiae suae illustrans, vivificans, calefaciens, et bonis virtutum omnium operibus foecundans...

Consequentia. Ergo Cordi Iesu adhaerendum. Sicut enim insitum vivit ex hoc, quod stipiti inoculatur, et unum cum trunco efformat, ita nos vivimus in Iesu in quantum per spiritum suum ei adhaeremus. Audiamus S. Augustinum: « Fiant (fideles) corpus Christi, si volunt vivere de Spiritu Christi. De Spiritu Christi non vivit, nisi corpus Christi.

Intelligite, fratres mei, quid dixerim. Homo es, et spiritum habes et corpus habes. Spiritum dico, quae anima vocatur, qua constas quod homo es; constas enim ex anima et corpore. Habes enim spiritum invisibilem corpus visibile. Dic mihi, quid ex quo vivat? Spiritus tuus vivit ex corpore tuo, an corpus tuum ex spiritu tuo? Respondet omnis, qui vivit. Qui autem hoc non potest respondere, nescio si vivit. Quid respondet omnis qui vivit? Corpus utique meum vivit de spiritu meo. Vis ergo et tu vivere de Spiritu Christi? in corpore esto Christi. Numquid enim corpus meum vivit de spiritu tuo? Meum vivit de spiritu meo, et tuum de spiritu tuo. Non potest vivere corpus Christi nisi de spiritu Christi. Inde est quod exponens nobis Apostolus Paulus hunc panem: Unus panis, inquit, unum corpus multi sumus. O sacramentum pietatis! O signum unitatis! O vinculum charitatis! Qui vult vivere habet ubi vivat, habet unde vivat. Accedat, credat, incorporetur, ut vivificetur » (1).

Affectus. « Ergo, o anima sapiens et sancta, vicario amore et desiderio occurre Deo tuo. Iesus tuus cupit esse tecum; tu vicissim non nisi cum Iesu esse cupias. Deliciae eius sunt esse tecum; deliciae tuae sint esse cum illo. Ab illo ergo sine te regi, flecti et dirigi, uti regnum sinit se regi a rege, exercitus a duce, domus ab hero, navi a nauclero, currus ab auriga, voluntas a ratione, corpus ab anima, mundus a sole. Sufficis tu Deo; sufficiat tibi Deus tuus; ait S. Augustinus » (2).

Deprecatio. Dispone, quaesumus, Domine, voluntates nostras secundum Cor Unigeniti tui, ut eius exemplo id unice semper velimus et operemur, quod placitis tuis, tuaeque gloriae respondeat incremento (3).

(1) *Tract. XXVI in Ioann.*

(2) A LAPIDE, *In Matth.* XXVIII, in fine.

(3) *Ex antiq. Officio Parvo.* Nilles, pag. 443.

CONCIO XXXVI.

THEMA: Ego sum resurrectio.

(Ioann. XI, 25).

IDEA CONCIONIS

PROP. Cordi Iesu nos conformare debemus, quia est resurrectio nostra. DIVISIO. I. Est causa; II. Est exemplar; III. Est praemium resurrectionis nostrae.

PARS I. Est causa: A) Resurrectionis corporum: a) Eorum, quae Ipse suscitavit; b) Eorum, quae apostoli alique sancti suscitaverunt; c) Et omnium in universali carnis resurrectione. B) Est causa resurrectionis animarum: a) Per se; b) Per sacramenta.

PARS II. Est exemplar: A) resurrectionis corporum, quae ad similitudinem corporis Eius erunt: a) Impassibilia; b) Subtilia; c) Agilia; d) Lucida. B) Et animarum: a) Novitate vitae; b) Immortalitate quadam spirituali, sive constantia in statu gratiae.

PARS III. Est praemium resurrectionis: a) Animarum, quae per Ipsum Deum videbunt; b) Et corporum, quae animae gloriam in aeternam participabunt.

Exordium. Postquam, superiore concione, egimus de Corde Iesu prout est vita nostra, ratio ipsa iubet de illo agere in quantum est resurrectio nostra. Nam resurrectio praesupponit et vitam et vitae amissionem, cum mors nihil aliud sit quam vitae amissio, nec quis recuperare possit nisi quod antea perdiderit. Ideo in primis iuxta ordinem deprecationis agendum est de vita; deinde de nova eius per resurrectionem adeptione.

Sed hic ordo videtur pugnare contra ea quae Christus constituit, dicens: « Ego sum resurrectio et vita »: ubi primo

Intelligite, fratres mei, quid dixerim. Homo es, et spiritum habes et corpus habes. Spiritum dico, quae anima vocatur, qua constas quod homo es; constas enim ex anima et corpore. Habes enim spiritum invisibilem corpus visibile. Dic mihi, quid ex quo vivat? Spiritus tuus vivit ex corpore tuo, an corpus tuum ex spiritu tuo? Respondet omnis, qui vivit. Qui autem hoc non potest respondere, nescio si vivit. Quid respondet omnis qui vivit? Corpus utique meum vivit de spiritu meo. Vis ergo et tu vivere de Spiritu Christi? in corpore esto Christi. Numquid enim corpus meum vivit de spiritu tuo? Meum vivit de spiritu meo, et tuum de spiritu tuo. Non potest vivere corpus Christi nisi de spiritu Christi. Inde est quod exponens nobis Apostolus Paulus hunc panem: Unus panis, inquit, unum corpus multi sumus. O sacramentum pietatis! O signum unitatis! O vinculum charitatis! Qui vult vivere habet ubi vivat, habet unde vivat. Accedat, credat, incorporetur, ut vivificetur » (1).

Affectus. « Ergo, o anima sapiens et sancta, vicario amore et desiderio occurre Deo tuo. Iesus tuus cupit esse tecum; tu vicissim non nisi cum Iesu esse cupias. Deliciae eius sunt esse tecum; deliciae tuae sint esse cum illo. Ab illo ergo sine te regi, flecti et dirigi, uti regnum sinit se regi a rege, exercitus a duce, domus ab hero, navi a nauclero, currus ab auriga, voluntas a ratione, corpus ab anima, mundus a sole. Sufficis tu Deo; sufficiat tibi Deus tuus; ait S. Augustinus » (2).

Deprecatio. Dispone, quaesumus, Domine, voluntates nostras secundum Cor Unigeniti tui, ut eius exemplo id unice semper velimus et operemur, quod placitis tuis, tuaeque gloriae respondeat incremento (3).

(1) *Tract. XXVI in Ioann.*

(2) A LAPIDE, *In Matth.* XXVIII, in fine.

(3) *Ex antiq. Officio Parvo.* Nilles, pag. 443.

CONCIO XXXVI.

THEMA: Ego sum resurrectio.

(Ioann. XI, 25).

IDEA CONCIONIS

PROP. Cordi Iesu nos conformare debemus, quia est resurrectio nostra.
DIVISIO. I. Est causa; II. Est exemplar; III. Est praemium resurrectionis nostrae.

PARS I. Est causa: A) Resurrectionis corporum: a) Eorum, quae Ipse suscitavit; b) Eorum, quae apostoli alique sancti suscitaverunt; c) Et omnium in universali carnis resurrectione. B) Est causa resurrectionis animarum: a) Per se; b) Per sacramenta.

PARS II. Est exemplar: A) resurrectionis corporum, quae ad similitudinem corporis Eius erunt: a) Impassibilia; b) Subtilia; c) Agilia; d) Lucida. B) Et animarum: a) Novitate vitae; b) Immortalitate quadam spirituali, sive constantia in statu gratiae.

PARS III. Est praemium resurrectionis: a) Animarum, quae per Ipsum Deum videbunt; b) Et corporum, quae animae gloriam in aeternam participabunt.

Exordium. Postquam, superiore concione, egimus de Corde Iesu prout est vita nostra, ratio ipsa iubet de illo agere in quantum est resurrectio nostra. Nam resurrectio praesupponit et vitam et vitae amissionem, cum mors nihil aliud sit quam vitae amissio, nec quis recuperare possit nisi quod antea perdiderit. Ideo in primis iuxta ordinem deprecationis agendum est de vita; deinde de nova eius per resurrectionem adeptione.

Sed hic ordo videtur pugnare contra ea quae Christus constituit, dicens: « Ego sum resurrectio et vita »: ubi primo

se ostendit resurrectionem, deinde vitam. Numquid potest quis resurgere quin aliquando vixerit? Si sensus verborum attendatur uterque est ordo conveniens. Resurrectio enim est medium inter vitam per mortem amissam et vitam per resurrectionem recuperandam. Dicens ergo Christus «ego sum resurrectio et vita» de vita aeterna gratiae et gloriae praecipue loquebatur, resurrectionem sequente, propterea quod addidit: «qui credit in me, etiam si mortuus fuerit, vivit: et omnis qui vivit et credit in me, non morietur in aeternum»: idest, postquam ad gratiam surrexerit et ad vitam gloriae pervenerit. Ideo primo: «Ego sum resurrectio»; deinde addit: «Ego sum vita».

Quia vero nos, concione praecedenti, praecipue de Corde Iesu diximus, in quantum est causa vitae nostrae spiritualis per gratiam in tempore, et physicae ut dictum est (Conc. XXVII) quae utraque amitti possunt et de facto aliquando ambae amittuntur; en quare hic et nunc de resurrectione agimus, quae utrumque complectitur, scilicet, et recuperationem vitae naturalis et supernaturalis, utraque per peccatum vel per mortem amissa. En ergo stabilita

Propositio. *Corde Iesu conformari debemus, quia est resurrectio nostra.*

Cum duplex sit in nobis substantia, spiritualis, nempe, et corporea, duplici vita constamus. Vivit corpus propter animam: sed et vivit anima propter Deum. Amissio utriusque duplicem generat mortem; quia quando anima discedit a corpore, mortuum hoc manet: «corpus sine spiritu mortuum est» (1); et cum Deus discedit ab anima, haec mortua est, semota a suo principio alente eamque per gratiam vivificante: «qui elongant se a te peribunt» (2). Quia tamen Deus nos immortalitatis participes creavit, formando ad imaginem et similitudinem suam, remedium inventum est ad utramque mortem, a Christo collatum. Nam revera

(1) IACOB. II, 26.

(2) Psalm. LXXII, 27.

Divisio. Cor Iesu est: I. *Causa*; II. *Est exemplar*; III. *Est praemium resurrectionis nostrae: sive causa efficiens, exemplaris et finalis.*

PARS I. — EST CAUSA.

Est causa efficiens resurrectionis et corporis et animae.

A) Et primo resurrectionis corporum, quae omnia virtute a Christo communicata resurgent; ideo «ego sum resurrectio».

a) Est causa resurrectionis eorum, quae Ipse suscitavit. Ita legimus quod suscitavit Lazarum: «Lazare, veni foras. Et statim prodiit qui fuerat mortuus» (1); filium viduae Naim: «Et accessit, et tetigit loculum. Hi autem, qui portabant, steterunt. Et ait: Adolescens, tibi dico, surge. Et resedit qui erat mortuus, et coepit loqui» (2); filiam Iayro: «Recedite; non est mortua puella, sed dormit. Et deridebant eum. Et cum eiecta esset turba intravit, et tenuit manum eius. Et surrexit puella» (3);

b) Eorum, quae Apostoli alique sancti suscitaverunt. Ideo virtute Christi et in nomine eius Petrus suscitavit Tabitham in Ioppe: «Petrus ponens genua oravit; et conversus ad corpus, dixit: Tabitha, surge. At illa aperuit oculos suos; et viso Petro resedit. Dans autem illi manum, erexit eam. Et cum vocasset sanctos et viduas assignavit eam vivam» (4). Item D. Paulus vitae reddidit quemdam iuvenem nomine Eutycum, «qui ductus somno, cecidit de tertio coenaculo deorsum, et sublatus est mortuus» (5). Et quotquot sancti mortuos ad vitam revocaverunt, nomine et virtute Christi fecerunt. Ad ostendendam potestatem Salvatoris haec facta sunt, et adhuc interdum fiunt; est enim Christus resurrectio.

(1) IOANN. XI, 43.

(2) LUC. VII, 14.

(3) MATTH. IX, 25.

(4) Act. Apost. IX, 41.

(5) Act. Ap. XX, 9.

c) Sed imperium in mortuos effulgebit splendore et potestate maxima in universali carnis resurrectione. «Nolite mirari hoc, quia venit hora in qua, omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem Filii Dei» (1). Et omnes ea voce resurgent, quia Ipse prior resurrexit: «quoniam quidem per hominem mors, et per hominem resurrectio mortuorum» (2), «qui est causa efficiens resurrectionis nostrae» ut dicit Glossa super illud: «si Christus praedicatur quod resurrexit» (3). Ad rem D. Thomas: «Principium humanae vivificationis est Verbum Dei, de quo dicitur, «apud te est fons vitae» (4). Habet autem hoc naturalis ordo rerum divinitus institutus, ut quaelibet causa primo operetur in id, quod est sibi propinquius, et per illud operetur in alia magis remota; sicut ignis primo calefacit aerem sibi propinquum, per quem calefacit corpora distantia; et ipse Deus primo illuminat substantias sibi propinquas per quas illuminat magis remotas, ut dicit Dionysius. Et ideo Verbum Dei primo tribuit vitam immortalem corpori sibi naturaliter unito, et per ipsum operatur resurrectionem in omnibus aliis» (5).

B) Deinde est causa efficiens resurrectionis animarum, non naturalis, sed spiritualis ad esse gratiae. Anima enim peccatrix est mortua in vita gratiae: «omnes qui me oderunt, diligunt mortem» (6). «Nomen habes quod vivas, et mortuus es» (7). Et vivificantur a Christo dupliciter.

a) Immediate et per se: «sicut enim Pater suscitavit mortuos et vivificavit, sic et Filius, quos vult, vivificavit» (8); potest enim, efficaci suae gratiae motu, ita voluntatem disponere, vel mutuare ut totaliter iustificetur, vel per baptis-

(1) IOANN. V, 28.

(2) I Corinth. XV, 20.

(3) I Corinth. XV, 12.

(4) Psalm. XXXV, 10.

(5) Summ. Theol. part. III q. LVI, a. 1.

(6) Prov. VIII, 36.

(7) Apoc. III, 1.

(8) IOANN. V, 21.

mum flaminis, si de peccato originali, vel per sinceram contritionem, si de actuali agatur. Sic Magdalenam ac mulierem adulteram disposuit, et a peccatis absolvit, et D. Pauli voluntatem mutavit convertens eum de persecutore in apostolum: «Ego sum Iesus, quem tu persequeris; durum est tibi contra stimulum calcitrare. Et tremens, ac stupens dixit: Domine quid me vis facere?» (1).

b) Mediate seu per sacramenta, et praecipue per sacramentum reconciliationis, quo peccatores ad esse gratiae reviviscunt. Huius autem resurrectionis, quae quotidie invisibiliter operatur, esse causam resurrectionem Christi probat D. Thomas dicens: «Resurrectio Christi agit in virtute Divinitatis; quae quidem se extendit non solum ad resurrectionem corporum, sed etiam ad resurrectionem animarum; a Deo enim est et quod anima vivat per gratiam et quod corpus vivat per animam. Et ideo resurrectio Christi habet instrumentaliter virtutem effectivam non solum respectu resurrectionis corporum, sed etiam respectu resurrectionis animarum» (2). Ideo Apostolus scribit: «et surrexit propter iustificationem nostram» (3).

PARS II. — EST EXEMPLAR.

Christus praeterea est causa exemplaris resurrectionis nostrae, tum corporis, tum animae.

A) Et primo corporis: «Reformabit corpus humilitatis nostrae configuratum corpori claritatis suae, secundum operationem, qua etiam possit subiicere sibi omnia» (4). Ad rem D. Thomas: «sicut resurrectio corporis Christi, ex eo quod Corpus illud est personaliter Verbo unitum, est prima tem-

(1) Act. Apost. IX, 5, 6.

(2) Pars III, q. LVI, a. 2.

(3) Rom. IV, 25.

(4) Philipp. III, 21.

pore: ita etiam est prima dignitate et perfectione, ut dicit Glossa super illud: *primitiae Christus* (1). Semper autem id, quod est perfectissimum, est exemplar eius, quod est minus perfectum secundum suum modum; et ideo resurrectio Christi est causa exemplaris resurrectionis nostrae: quod quidem necessarium est non ex parte resuscitantis, qui non indiget exemplari, sed ex parte resuscitatorum, quos oportet illi resurrectioni conformari, secundum illud: *Reformabit corpus humilitatis nostrae...* Licet autem efficientia resurrectionis Christi se extendat ad resurrectionem tam bonorum quam malorum, exemplaritas tamen eius se extendit proprie solum ad bonos, qui sunt facti conformes filiationi eius » (2). Ad similitudinem ergo eius, corpora beatorum resurgent:

a) Impassibilia; nam iuxta D. Thomam (3): Omne passibile est corruptibile, quia passio magis facta abiicit a substantia. Sed corpora sanctorum post resurrectionem erunt incorruptibilia, ut dicit Apostolus, « seminatur in corruptione, resurget in incorruptione » (4).

b) Subtilia; nam dicit Apostolus: « Seminatur corpus animale, surget spirituale » (5); idest simile spiritui, cuius subtilitas excedit subtilitatem corporis.

c) Agilia; dicente D. Paulo: « Seminatur in infirmitate, surget in virtute » (6); idest movibile et vivum, ut exponit Glossa, quae movibilitas de agilitate ad motum intelligenda est.

d) Lucida, ex redundantia gloriae animae in corpus; scriptum quippe est: « fulgebunt iusti sicut sol in regno Patris eorum » (7).

Et hoc quia Christus surrexit impassibilis: « Christus re-

(1) I Corinth. XV, 20.

(2) Summ. Theol. part. III, q. LVI, a. 1 ad tertium.

(3) Part. III, Suppl. q. LXXXII, a. 1.

(4) I Corinth. XV, 42.

(5) Eodem loco.

(6) Eod. loc.

(7) MATTH. XIII, 43.

surgens ex mortuis iam non moritur » (1); Subtilis; « conturbati vero (apostoli) et conterriti existimabant se spiritum videre » (2); Agilis: « Et ipse evanuit ex oculis eorum » (3); Lucidus: « Gloria et honore coronasti eum » (4).

B) Secundo: est exemplar resurrectionis animarum; et hoc dupliciter.

a) Primo quoad novitatem vitae. Nam resurrectio Christi « similiter etiam habet rationem exemplaritatis respectu resurrectionis animarum, quia Christo resurgenti debemus etiam secundum animam conformari, ut, sicut Christus resurrexit a mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitae ambulemus; et sicut ipse resurgens ex mortuis iam non moritur, ita et nos existimemus nos mortuos esse peccato, ut iterum vivamus in illo » (5).

b) Secundo quoad immortalitatem spiritalem, seu constantiam in statu gratiae. « Nam ille, qui Christo morienti commoritur, simul convivit et resurgenti. Christus autem sic resurrexit a mortuis tamquam numquam de caetero moriturus. Ergo ille, qui mortificatus est peccato, sic Christo resurgenti convivit, quod habeat facultatem numquam de caetero ad peccatum redeundi » (6).

Sic ergo anima Christo resurgenti conformatur, impassibilitate, quatenus de caetero per peccatum non moritur; subtilitate, ex hoc quod a terrenis et sensibilibus abstrahit; agilitate, in quantum in via perfectionis proficit; et tandem claritate, per hoc, quod gratia et charismatibus ornatur.

Et ita Iesus est causa exemplaris resurrectionis corporum et animarum: et in hoc sensu est resurrectio nostra.

(1) Rom. VI, 9.

(2) Luc. XXIV, 37.

(3) Eod. loc. 31.

(4) Psalm. VIII, 6.

(5) Summ. Theol. part. III, q. LVI, a. 2.

(6) Exp. D. THOM. ad Rom. VI, 9.

PARS III. — EST PRAEMIUM.

Restat tandem resurrectionum Christi velut praemium nostrae resurrectionis considerare; non enim est tantum causa efficiens et exemplaris, sed finalis etiam resurrectionis animae et corporis.

a) Et in primis animae. Resurrectio namque animae sive in vita gratiae consideretur, sive pro vita gloriae aeternae sumatur, habet pro praemio Christum eiusque charitatem et dona amissibiliter vel inamissibiliter secundum quod de hac vel de futura vita loquamur. De resurrectione enim ad gratiam legitur: « Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus et mansionem apud eum faciemus » (1). De resurrectione vero ad vitam gloriae dicitur: « Ego... merces tua magna nimis » (2). Est ergo Christus praemium spiritualis resurrectionis.

Quod autem tale praemium detur animae per resurrectionem Christi, patet; si enim Christus non surrexisset, numquam iustificati fuisset: « Surrexit propter iustificationem nostram » (3); idest, ut nos resurgendo iustificaret; quamquam enim « omnes passionem et actionem humanitatis Christi fuerunt nobis salutiferae, utpote ex virtute Divinitatis provenientes, tamen quia effectus habet aliquam similitudinem causae, mortem Christi, quo extincta est in eo mortalis vita, dicit Apostolus esse causam extinctionis peccatorum nostrorum; resurrectionem autem eius, qua rediit ad vitam gloriae, novam dicit esse causam iustificationis nostrae, per quam redimus ad novitatem vitae » (4). Subiectum autem talis iustificationis est anima. Unde sequitur Christum per suam resurrectionem esse finem et praemium resurrectionis animae.

(1) IOANN. XIV, 23.

(2) Gen. XV, 1.

(3) Rom. IV, 25.

(4) D. THOM. super hoc loc.

b) Deinde, corporis. Ad hoc enim resurgemus, ut corpus iterum unitum animae bonis fruatur coelestibus, sed modo proprio et sibi connaturali. Corpus resuscitatum erit quidem gloriosum, sed tamen verum corpus, vera caro: « et circumdabor pelle mea » (1). Quia ergo caro non videbit essentiam divinam, dicente Augustino: « Deum nemo vidit umquam vel in hac vita sicut ipse est, vel in angelorum vita, sicut visibilia ista quae corporali visione cernuntur » (2) necesse est quod videat aliquo alio modo excellentissimo. Modus autem, quo oculus carnis Deum videbit exponitur a D. Thoma dicente: « Cum ergo visus et sensus sit futurus idem specie in corpore glorioso, qui erat in corpore non glorioso, non poterit esse quod divinam essentiam videat, sicut visibile per se; videbit autem eam sicut visibile per accidens; dum ex parte una, visus corporalis tantam Dei gloriam inspiciet in corporibus, et praecipue gloriosis, et maxime in corpore Christi; et ex parte alia intellectus tam clare Deum videbit, quod in rebus corporaliter visis Deus percipitur, sicut in locutione percipitur vita. Quamvis enim tunc intellectus noster non videat Deum ex creaturis, tamen videbit Deum in creaturis corporaliter visis » (3).

Haec ergo visio creaturarum corporalium erit ad modum praemi oculi corporei videntis. Nunc autem inter corpora gloriosa, fulgentissimum est corpus Christi ad modum lucernae ardentis in medio coelo: « claritas Dei illuminabit eam (Hierusalem coelestem), et lucerna eius est Agnus » (4). Hinc humanitas Christi erit praemium sive causa finalis praecipua resurrectionis corporis nostri.

Consequentia. Ergo Cordi Iesu nos conformare debemus. Cum enim forma sit quod dat esse rei, quia corpus

(1) Iob. XIX, 26.

(2) Libr. de videndo Deum. Esp. CXLVII, c. 2.

(3) Suppl. q. XCII, a. 2.

(4) Apoc. XXI, 23.

in resurrectione nova forma indui debet, oportet iam nunc hanc formam lucidam corpori resurgenti procurare. Hoc autem esse, nempe forma gloriosa, non obtinebitur, nisi ab iis, quos praedestinavit conformes fieri imaginis Filii sui. Unde oporteat conformari nunc Iesu, qui reformabit corpus humilitatis nostrae configuratum corpori claritatis suae. Qualis autem debeat esse haec conformatio audi a Luca: « quoniam oportet per multas tribulationes nos intrare in regnum Dei » (1): non enim coronabitur nisi qui, ad similitudinem Christi, legitime certaverit. Sequere ergo Christum patientem, ut comiteris resurgentem: imitare se abnegantem, ut laudes triumphantem; plange hic occisum ut canas vivum in Paradiso.

Affectus. Quam amara est mors negantibus, vel repellentibus te, o dulcissime Iesu! Sed quam dulcis diligentibus!

Illis est damnationis aeternae certissima ianua: His vero vitae immortalis tutissima via. Hanc coelestem vitam quaerere, et resurrectionem tuae conformem consequi doce me. Ad eam per viam rectam procedere, compelle me. Ad eam obtinendam adiuva me. Voca tot mortuos et somnolentos. Ad vitam gratiae revoca omnes, ut ad vitam gloriosam tecum resurgant.

Deprecatio. Deus, qui pro nobis Filium tuum crucis patibulum subire voluisti, ut inimici a nobis expelleres potestatem, concede nobis famulis tuis, ut resurrectionis gratiam consequamur. (Ex Missali Rom.).

(1) Act. Apost. XIV, 21.



CONCIO XXXVII.

THEMA: Ipse est pax nostra.

(Ad Ephes. II, 14).

IDEA CONCIONIS

PROP. In Corde Iesu gaudendum, quia est pax nostra.

DIVISIO. I. Est pax populorum, unitate religionis; II. Est pax civitatis seu societatis hierarchiarum, unione affectuum; III. Est pax individui, tranquillitate interioris ordinis.

PARS I. Nam: a) Iudaeos et Gentiles congregavit in unum; b) Gentiles ad invicem congregavit; c) Omnes Sibi congregavit.

PARS II. a) Recognitione auctoritatis; b) Amore fraternitatis; c) Opere charitatis.

PARS III. a) Subiectione appetitus ad rationem; b) Rationis ad Deum.

Exordium. Duodecim enumerantur ab Apostolo fructus Spiritus Sancti, inter quos tertius est pax: « Fructus autem Spiritus est, charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas » (1).

Quorum quidem nomen genericum fructus a corporalibus est assumptum; dicitur enim in corporalibus fructus id quod ex planta producitur, cum ad perfectionem pervenerit, et quamdam in se suavitatem habet, ut dicit D. Thomas (2). Homo autem potest dupliciter actionem producere. Uno modo secundum propriam virtutem; et tunc actio ista est fructus

(1) Galat. V, 22.

(2) P. I^a II^{ae}, q. LXX, a. 1.

in resurrectione nova forma indui debet, oportet iam nunc hanc formam lucidam corpori resurgenti procurare. Hoc autem esse, nempe forma gloriosa, non obtinebitur, nisi ab iis, quos praedestinavit conformes fieri imaginis Filii sui. Unde oporteat conformari nunc Iesu, qui reformabit corpus humilitatis nostrae configuratum corpori claritatis suae. Qualis autem debeat esse haec conformatio audi a Luca: « quoniam oportet per multas tribulationes nos intrare in regnum Dei » (1): non enim coronabitur nisi qui, ad similitudinem Christi, legitime certaverit. Sequere ergo Christum patientem, ut comiteris resurgentem: imitare se abnegantem, ut laudes triumphantem; plange hic occisum ut canas vivum in Paradiso.

Affectus. Quam amara est mors negantibus, vel repellentibus te, o dulcissime Iesu! Sed quam dulcis diligentibus!

Illis est damnationis aeternae certissima ianua: His vero vitae immortalis tutissima via. Hanc coelestem vitam quaerere, et resurrectionem tuae conformem consequi doce me. Ad eam per viam rectam procedere, compelle me. Ad eam obtinendam adiuva me. Voca tot mortuos et somnolentos. Ad vitam gratiae revoca omnes, ut ad vitam gloriosam tecum resurgant.

Deprecatio. Deus, qui pro nobis Filium tuum crucis patibulum subire voluisti, ut inimici a nobis expelleres potestatem, concede nobis famulis tuis, ut resurrectionis gratiam consequamur. (Ex Missali Rom.).

(1) Act. Apost. XIV, 21.



CONCIO XXXVII.

THEMA: Ipse est pax nostra.

(Ad Ephes. II, 14).

IDEA CONCIONIS

PROP. In Corde Iesu gaudendum, quia est pax nostra.

DIVISIO. I. Est pax populorum, unitate religionis; II. Est pax civitatis seu societatis hierarchiarum, unione affectuum; III. Est pax individui, tranquillitate interioris ordinis.

PARS I. Nam: a) Iudaeos et Gentiles congregavit in unum; b) Gentiles ad invicem congregavit; c) Omnes Sibi congregavit.

PARS II. a) Recognitione auctoritatis; b) Amore fraternitatis; c) Opere charitatis.

PARS III. a) Subiectione appetitus ad rationem; b) Rationis ad Deum.

Exordium. Duodecim enumerantur ab Apostolo fructus Spiritus Sancti, inter quos tertius est pax: « Fructus autem Spiritus est, charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas » (1).

Quorum quidem nomen genericum fructus a corporalibus est assumptum; dicitur enim in corporalibus fructus id quod ex planta producitur, cum ad perfectionem pervenerit, et quamdam in se suavitatem habet, ut dicit D. Thomas (2). Homo autem potest dupliciter actionem producere. Uno modo secundum propriam virtutem; et tunc actio ista est fructus

(1) Galat. V, 22.

(2) P. Ia IIae, q. LXX, a. 1.

naturalis. Alio modo per virtutem altiore Spiritus Sancti; et tunc actio dicitur: fructus Spiritus Sancti. De pace ergo loqui possumus utpote de fructu cuiusdam seminis divini; et non in sensu, quo ab homine producitur, auxilio Spiritus Sancti, sed in sensu adhuc altiori et strictiori, in quantum, scilicet, haec pax est Christus, qui est vere fructus Spiritus Sancti; tum quia propter dilectionem, Verbum carnem assumpsit, tum quia humana natura in Christo fuit virtute Spiritus Sancti formata.

His ergo praemissis, en a me dilucidanda

Propositio. *In Corde Iesu gaudendum, quia est pax nostra.*

Non intelligendum est Cor Iesu esse pacem nostram obiective, seu materialiter, sed potius causaliter; quasi dicam, quia est causa pacis nostrae. Super illud: « Ipse est pax nostra qui fecit utraque unum » (1) scribit D. Thomas: « Est emphatica locutio ad maiorem rei expressionem. Quasi dicat: bene dico quod facti estis prope; sed hoc factum est per Christum, quia ipse est pax nostra, idest causa pacis nostrae. Unde dicebat: « pacem meam do vobis » (2). Hic autem modus loquendi fieri consuevit quando totum, quod est in effectu, dependet ex causa, sicut cum dicimus de Deo, quod ipse est salus nostra, quia quidquid salutis est in nobis causatur a Deo. Quia ergo quidquid pacis est in nobis causatur a Christo, et per consequens quidquid appropinquationis, quia homo quando pacificatus est cum alio secure potest ambulare seu appropinquare ad ipsum, ideo dicit quod est pax nostra. Unde in eius nativitate angeli annuntiaverunt pacem: « gloria in altissimis Deo, et in terram pax » (3). Ipso Christo in corpore existente, mundus maximam pacem habuit, qualem ante non habuerat: « Orietur in diebus eius iustitia et abundantia pacis » (4). Ipse etiam resurgens pacem annuntiavit:

(1) *Ad Ephes. c. II, v. 14.*

(2) *IOANN. XIV, 27.*

(3) *LUC. II, 14.*

(4) *Psalm. LXXI, 7.*

« Pax vobis » (1). His ergo notatis, ad rectum propositionis sensum, dico quod Cor Iesu

Divisio. I. *Est pax populorum unitate religionis;* II. *Est pax civitatis, seu societatis hierarchiarum, unione affectus;* III. *Est pax individui tranquillitate interioris ordinis.*

PARS I. — COR IESU EST PAX POPULORUM
UNITATE RELIGIONIS.

Quia pax, sicut gaudium, est effectus charitatis, cum tamen differant in hoc quod « gaudium dicit charitatis fruitionem, et pax charitatis perfectionem » (2) importat tranquillitatem quamdam procedentem, tum a concordia singulorum hominum inter se, tum omnium cum Deo. Unde tanto maior erit pax quanto in uno omnes conveniant. Nunc autem Christus omnes populos congregavit in unum, secundum illud: « alias oves habeo, quae non sunt ex hoc ovili, et illas oportet me adducere, et vocem meam audient, et fiet unum ovile et unus pastor » (3). Et inde patet quod sit pax populorum.

a) Nam primo Iudaeos et Gentiles, congregavit in unum: « Universam terram ego congregavi » (4). Ex tempore enim, quo Deus elegerat Abraham ut populum sibi efformaret haeredem promissionum, Israel erat velut segregatus a populis nationum, ad quos accedere prohibitum fuit Iudaeis: « in viam gentium ne abieritis » (5). Sed Christus, qui venerat per sanguinem suum omnia pacificaturus, « fecit utraque unum, et medium parietem maceriae solvens » (6): quia scilicet populum Iudaeorum colentium verum Deum et Gentilium ab

(1) *LUC. XXIV, 36.*

(2) *D. THOM. in Expos. ad Galat. V, 22.*

(3) *IOANN. X, 16.*

(4) *ISAI. X, 14.*

(5) *MATTH. X, 5.*

(6) *Ad Ephes. II, 14.*

huiusmodi Dei cultura abhorrentium coniunxit in unum: « Rex unus erit omnibus imperans » (1).

Et hoc fecit, medium parietem maceriae solvens, idest, per remotionem eius quod dividebat. Quod autem dividebat iuxta D. Thomam, « potest dici lex vetus, secundum carnales observantias, in qua Iudaei conclusi custodiebantur, ut dicitur ad Galatas: « sub lege custodiebamur, conclusi in eam fidem, quae revelanda erat » (2). « Ipse stat post parietem nostrum » (3) quia videlicet Christus per veterem legem figurabatur. Christus autem hunc parietem removit: « et ita cum nullum remaneret interstitium, factus est populus unus Iudaeorum et Gentilium. Et hoc est quod dicit: fecit utraque unum, hoc modo solvens medium parietem » (4).

Parietem maceriae, non muri. Nam paries maceriae nec est caemento conglutinator, nec ad multum tempus duraturus; unde, iuxta Angelicum, hic paries maceriae erat lex vetus propter duo. Primo quia non conglutinabatur charitate, quae est quasi caementum conglutinans singulos sibi invicem, et omnes simul Christo. Secundo quia lex vetus non fuit data ut perpetuo duraret, sed usque ad tempus praefinitum (5).

b) Deinde quia non solum Iudaeos et Gentiles inter se, sed et populos nationum ad invicem prope se congregavit in unum, ut legitur: « congregabit ad se omnes gentes, et coarcevat ad se omnes populos » (6). Et hoc fecit unitate religionis, scilicet vinculum tradendo, quo omnes unirentur. Religio enim potest intelligi a religando dicta; unde Augustinus dicit: « religet nos religio uni omnipotenti Deo » (7). « Sive ergo religio dicatur a frequenti relectione, sive ex iterata electione eius, quod negligenter amissum est, sive a re-

(1) EZECH. XXXVII, 22.

(2) III, 23.

(3) Cant. Cant. II, 9.

(4) Exposit. ad Ephes. II, 14.

(5) Loc. cit.

(6) HABAC. II, 5.

(7) Lib. de vera relig. prop. fin.

ligatione, religio proprie importat ordinem ad Deum; ipse enim est cui principaliter alligari debemus tamquam indeficienti principio, ad quem etiam nostra electio assidue dirigi debet, sicut in ultimum finem; quem etiam negligentes peccando amittimus, et credendo, et fidem operibus praestando recuperare debemus » (1).

Sicut ergo unum est obiectum et unus finis religionis omnibus, ita unus spiritus omnium, ut dixit Apostolus: « solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis; unum corpus et unus spiritus, sicut vocati estis in una spe vocationis vestrae » (2). Et per hunc spiritum, populos omnes Iesus congregavit in unum, seu pacificavit, nam exponendo verba allata D. Pauli dicit S. Thomas: « Modus autem servandae unitatis est in vinculo pacis; charitas enim est coniunctio animorum. Nulla autem rerum materialium coniunctio stare potest, nisi ligetur aliquo vinculo; eodem modo nec coniunctio animorum per charitatem stare potest, nisi ligetur. Huiusmodi autem verum ligamen est pax, quae est secundum Augustinum, tranquillitas ordinis; quando, scilicet, unusquisque habet quod suum est... Nunc autem, quia in homine est duplex unitas, una scilicet membrorum ad invicem simul ordinatorum, alia corporis et animae tertium constituentium, Apostolus autem loquitur de unitate Ecclesiae ad modum unitatis, quae est in homine, ideo subiungit: « unum corpus »; quasi dicat: ligemini vinculo pacis, ut sitis unum corpus, quantum ad primam unitatem: ut, scilicet, omnes fideles sint ordinati ad invicem, sicut membra unum corpus constituentia. Et « unus spiritus », quantum ad secundum; ut videlicet unum habeatis spirituales consensum per unitatem fidei et charitatis. Vel unum corpus quoad proximum; et unus spiritus quoad Deum ».

c) Est tandem pax populorum, subiectione omnium Sibi. Pax enim, secundum Augustinum « est tranquillitas ordinis » (3).

(1) Summ. Theol. part. II^a II^{ae}, q. LXXXI, a. 1 corp.

(2) Ad Ephes. IV, 3 et 4.

(3) Lib. IX De Civit. Dei, c. XIII.

Ordo autem includit in se, aliquem modum prioris et posterioris (1). Unde quod ut pax servetur, oportet quod inferior priori subdatur, seu ut unaquaeque res modum suum et locum servet secundum propriam naturam et finem; et tunc pax ex iustitia causatur subtrahendo occasiones litigiorum et tumultuum, qui debito ordini opponuntur; nam iustum est ut unicuique ius suum reddatur. Ideo D. Thomas, exponens conceptum pacis, dicit quod pax non includit tantum ideam ordinis, sed et tranquillitatis per remotionem, seu repressionem cuiuscumque pacem vulnerantis. « Tunc aliqua dicuntur pacem habere, quando eorum ordo inturbatus manet » (2). Et alibi: « Pax est opus iustitiae indirecte, in quantum, scilicet, removet prohibens » (3).

Pax ergo erit in populis quando Deo creatori et domino penitus subiiciantur; et rectores populorum et legiferi auctoritatem suam auctoritati divinae subiectam agnoscant: nam « omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit: non est enim potestas nisi a Deo: quae autem sunt, a Deo ordinatae sunt. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, sibi ipsis damnationem acquirunt » (4).

PARS II. — EST PAX CIVITATIS,
SEU SOCIETATIS HIERARCHIARUM.

Secundo. Cor Iesu est pax nostra, in quantum est pax civitatis, seu causa pacis inter hierarchias societatis, propter unionem affectus; et hoc tripliciter:

a) Primo recognitione auctoritatis. Pax, ut diximus, est tranquillitas ordinis. Ordo autem postulat ut in civitate et familia unusquisque locum occupet secundum naturam et

(1) *Summ. Theol.* part. II^a II^{ae}, q. XXVI, a. 1.

(2) *In Ioann.* I, 7.

(3) *Summ. Theol.* part. II^a II^{ae}, q. XXIX, a. 3 ad tertium.

(4) *Ad Rom.* XIII, 1, 2.

conditionem et finem suum; cum enim aliquid removetur a loco sibi proprio et connaturali, confusio generatur, ut patet in ossibus luxatis, quae acerbissima tormenta in toto individuo generant. In civitate enim impossibile est unum dari omnibus locum; sicut enim in angelis, etsi omnes sint naturae spiritualis, superiores Deus posuit inferiores illuminare, eos constituens intra diversas hierarchias et ordines et gradus, ita homines et bestiae propriis differentiis dignoscuntur, etsi utraque in una eademque ratione generis, vel speciei convenient. Hinc varietas, et totius naturae creatae visibilis ordo et pulchritudo mirabilis, quae enim a Deo sunt, ordinatae sunt. Hinc est quod differentiae secundum gradum dignitatis sint inter homines observandae; tum quia in caeteris generibus, et speciebus inveniuntur, tum quia accidentales sunt et nullo modo dignitatem individui humani minuunt, tum quia non omnes individui conditiones mere accidentales intra speciem ad omnes status habent; tum denique ne confusio oriretur, sed e contra ordo servetur, et hinc oriatur pax civitatis.

Christus autem hunc ordinem servari docuit, ut apertissime testantur praecepta de subiectione potestatibus sublimioribus, de obedientia parentibus, de fidelitate dominis carnalibus.

b) Secundo, amore fraternitatis. Sicut unus est Pater omnium « unus est pater vester, qui est in coelis » (1), et creatione et adoptione; ita omnes sumus fratres in Christo: « omnes autem vos fratres estis » (2); unde vocatur « Primogenitus in multis fratribus » (3); omnes enim sumus Christi fratres, tum quia similitudinem gratiae communicavit, tum quia similitudinem nostrae naturae assumpsit, ut exponit Angelicus. Et propter hoc vehementer desiderat ut nos invicem diligamus: « Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem sicut dilexi vos, ut et vos invicem diligatis » (4).

(1) *MATTH.* XXIII, 9.

(2) *MATTH.* XXIII, 8.

(3) *Ad Rom.* VIII, 29.

(4) *IOANN.* XIII, 34.

Hic autem amor producit, aut parit pacem, quae, ut diximus supra, subsistere nequit absque charitate: et idcirco promittitur adimplentibus mandatum de dilectione: « pax multa diligentibus legem tuam » (1).

Et quia omnibus indiscriminatim imponitur praeceptum de dilectione fraterna; ideo, sicut dux et legifer noster docet inferiores superioribus subesse, ut pax et ordo servetur « servi, obedite dominis carnalibus cum timore et tremore in simplicitate cordis vestri, sicut Christo, non ad oculum servientes, quasi hominibus placentes, sed ut servi Christi, facientes voluntatem Dei ex animo, cum bona voluntate servientes sicut Domino, et non hominibus » (2); ita dominis hanc dilectionem imponit per Apostolum: « Et vos, domini, eadem facite illis, remittentes minas; scientes quia et illorum et vester Dominus est in coelis; et personarum acceptio non est apud Eum » (3). « Domini, quod iustum est et aequum servis praestate, scientes quod et vos Dominum habetis in coelo » (4). Et ita enixe hanc dilectionem dominis imponit ubi ait: « si quis suorum, et maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit, et est infideli deterior » (5).

c) Tertio, opera charitatis. Est Cor Iesu causa pacis civitatis per opera charitatis, quae enixe commendat. Pax enim est effectus charitatis, iuxta D. Thomam, « quia secundum propriam rationem charitas pacem causat; est enim amor vis unitiva, ut Dionysius dicit: pax autem est unio appetitivarum inclinationum » (6). Quanto ergo validior fuerit charitas, tanto validior et firmior erit pax. Nunc, opera charitatis Christus commendat per Ioannem dicens: « Qui habuerit substantiam huius mundi, et viderit fratrem suum necessitatem habere, et clausit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei

(1) *Psalm.* CXVIII, 165.

(2) *Ephes.* VI, 5 et seq.

(3) *Ephes.* VI, 9.

(4) *Coloss.* IV, 1.

(5) *I Timoth.* V, 8.

(6) *Part. II^a-II^{ae}, q. XXIX, a. 3 ad tertium.*

manet in eo? Filioli mei, non diligamus verbo, neque lingua, sed opere, et veritate » (1).

Tota lex in uno sermone completur: diliges Deum..., et proximum tuum sicut teipsum; quo perfecto, oritur vera pax. Si autem non spiritu dilectionis, sed potius spiritu carnis ducitur homo, tunc manifesta sunt opera carnis, scilicet inimitiae, contentiones, aemulationes, irae, rixae, dissensiones, sectae, invidiae, aliaque ab Apostolo numeratae (2).

PARS III.

Deinde Cor Iesu est pax individui tranquillitate interioris ordinis.

Dicit Augustinus: « omnia pacem appetunt » (3); non autem omnes pacem veram; ideoque: « pax, pax, et non erat pax » (4). Est enim quaedam pax apparens et falsa, quae ab ordine devia non tranquillitatem, sed spiritus moerorem, aerumnas, et cordis contritionem generat. Hi sunt qui desideria carnis adversus spiritum concupiscentis et motus mentis contra Deum assurgere contententis, sequuntur, et alunt. Pax individui vera in alio sita est; nam quia pax est tranquillitas ordinis, ubi est specialis ordo, ibi datur specialis pax. Cum autem sit in homine duplex ordo intrinsecus, scilicet subiectionis appetitus ad rationem et rationis ad Deum, et hunc duplicem ordinem Christus doceat servare, et efficiat ut servetur, en quare est causa pacis individui.

a) Et primo homo habet ordinem intrinsecum iubentem voluntatem intellectui et appetitum sensitivum voluntati et rationi subiici. Quod appetitus sensitivus debeat rationi et voluntati subesse postulat ipsa animae natura, quae, velut

(1) *I IOANN.* III, 17.

(2) *Galat.* V, 20.

(3) *Lib. XIX De Civ. Dei, c. XII.*

(4) *IEREM.* VI, 14.

spiritualis, in corpus nata est imperium exercere; ideoque: « sub te erit appetitus eius, et tu dominaberis illius » (1). Qui vero contra se gerunt, sicut equus et mulus agunt, quibus non est intellectus » (2).

Quod autem dominantes inordinato appetitui pacem intrinsecam habeant, ait David: « pax multa diligentibus legem tuam » (3); tunc namque anima est velut fortis armatus custodiens atrium, cui in pace sunt omnia, quae possidet. Quemque ordinem ipse Iesus per gratiam suam servare adiuvat, sicut D. Paulo contigit: « sufficit tibi gratia mea; nam virtus in infirmitate perficitur » (4).

b) Deinde aliud genus pacis individui consistit in subiectione rationis ad Deum; nam ordo postulat hanc mentis subiectionem auctori supremo: « subditus esto Domino » (5); a qua nemo liberatur, dicente Apostolo: « subditus fiat omnis mundus Deo » (6).

« Quae subiectio in duobus consistit. Primo in reprimendo eorum iactantiam, qua se iustos arbitrantur secundum illud a pharisaeo dictum, ieiunio bis in sabbato: et quantum ad hoc dicit Apostolus, ut omne os obstruatur; quia, scilicet, ille sibi iustitiam praesumptuose adscribebat. Secundo in recognitione culpa, confitendo eam Deo sicut infirmus medico. Unde subdit Apostolus: « Et subditus fiat omnis mundus Deo » (7).

Quod autem haec subiectio pacem generet, patet ex hoc quod in hoc stat verus ordo, in quo consistit pax. Quod vero hunc ordinem Christus servare doceat et adiuvet, ex toto Evangelii decursu probatur. Unde patet quod ipse sit vera pax individui.

(1) Gen. IV, 7.

(2) Psalm. XXXI, 9.

(3) CXVIII, 165.

(4) II Corinth. XII, 9.

(5) Psalm. XXXVI, 7.

(6) Ad Rom. III, 19.


(7) Expos. D. THOM., in hunc loc.

Consequentia. Ergo in Corde Iesu gaudendum, quod tam aestimabile donum pacis e coelo tulit, qua Deum et homines ad invicem fraterna charitate coniungeret. In eo dico gaudendum, quia gaudium procedit ex amore propter presentiam boni amati; et hoc bonum quod praesens habemus et intimum, est Cor Iesu, quod inter Deum et homines pacem coaptat et firmat et nos ad invicem eandem servare contendit. Detestemur divisiones, fugiamus a sectis, et quaeramus, amenus, amplectamur et servare studeamus pacem; qua in presenti, vita Paradisus est: qua absente, Infernus.

Affectus. O Cor Iesu, Deus amator pacis! Quam bonum et quam iucundum habitare fratres in unum! Da populo tuo pacem tuam sanctam, placentem, dulcem, coelestem. O princeps pacis! adveniat regnum tuum in universum mundum, ut omnes te agnoscant et colant. O Pastor animarum! fac ut fiat unum ovile, Te rectore, Te duce! Infunde tuam pacem cordibus nostris, ut numquam turbentur, sed in amore et gaudio tui magis magisque firmentur.

Deprecatio. Deus, a quo sancta desideria, recta consilia et iusta sunt opera, da servis tuis illam, quam mundus dare non potest, pacem, ut corda nostra mandatis tuis dedita et, hostium sublata formidine, tempora sint tua protectione tranquilla.





UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

DIRECCIÓN GENERAL DE

CONCIO XXXVIII.

THEMA: Per Dominum nostrum Iesum Christum
nunc reconciliationem accepimus.

(Ad Rom. V, 11).

IDEA CONCIONIS.

PROP. Cor Iesu interpellandum, quia est reconciliatio nostra.

DIVISIO. Est reconciliator: I. Placens; II. Potens; III. Perabundans.
Placens, sanctitate; Potens, merito; Perabundans effectu.

PARS I. Est placens sanctitate, quia: A) Habet perfectiones in reconciliatore desiderandas: nam a) Est sanctus; b) Innocens; c) Impollutus; d) Segregatus a peccatoribus; e) Et excelsior coelis factus. B) Quia non habet imperfectiones quae meritum huiusmodi reconciliationis minuant: nam a) Non oravit pro se; b) Nec pluries, sed semel oravit.

PARS II. Est reconciliator potens, merito sanguinis: a) Ex parte originis huius sanguinis; b) Ex parte causae effusionis eius; c) Ex parte modi quo effusus fuit; scilicet, totaliter, innocentissime, crudelissime, patientissime.

PARS III. Est reconciliator perabundans effectu; nam in eo concordant omnes voluntates, scilicet: a) Dei; b) Angelorum; c) Et hominum.

Exordium. Miserrima erat ante Christum conditio filiorum Adae, tum quia a Paradiso terrestri eiecti, et a coelesti exclusi; tum quia peccatis erant obnoxii, et a daemonibus, quibus serviebant, oppressi; tum denique quia inimici Dei, iram Domini portabant; unde Apostolus « eramus natura filii irae, sicut et caeteri » (1). Non omnes certe idolis addicti erant, nec sub idololatriae iugo dira ferebant, sicut Iudaei,

(1) Ad Eph. II, 3.

qui verum Deum colebant: ideoque non omnes daemonibus famulabantur; attamen universi culpa naturae inficiebantur: «causati sumus Iudaeos et Graecos (id est Gentiles) omnes sub peccato esse» (1). Et hoc sensu intelligendum est quod dicit: «Eramus natura filii irae» id est, per peccatum originale, quod ex primo parente non solum in Gentiles, sed etiam in Iudaeos transfunditur: «Sicut per unum hominem in hunc mundum peccatum intravit, et per peccatum mors, ita et in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt» (2). Ab hoc statu damnationis et mortis spiritualis liberati sumus omnes Iudaei et Graeci per Dominum nostrum Iesum Christum, per quem reconciliationem accepimus. Et en ratio, qua sequens constituitur

Propositio. *Cor Iesu interpellandum, quia est reconciliatio nostra.*

Hoc interest inter propitiationem et reconciliationem, quod propitiatione se habet per modum passivum, reconciliatio vero active sumitur. Nam propitiatione est oblatio quaedam Deo facta, ut ille hominibus propitius, seu beneficus reddatur; et reconciliatio est ad amicitiam primaevam reductus, quae vel ex sola voluntate reconciliandorum procedit, vel locum habet merito alterius, eos reconcilians, et tunc: reconciliator dicitur, vel: reconciliatio, quia causa reconciliationis. Sacratissimum ergo Cor Iesu, sicut fuit in cruce et est nunc in Eucharistia propitiatione nostra, sive hostia Patri oblata pro nobis, ita fuit in cruce et est in Eucharistia et in coelo, reconciliatio nostra, seu reconciliator, mediator, sive pontifex, qui semel per sanguinem crucis suae omnia pacificavit, sive quae in terris, sive quae in coelis. Et quod semel pro universo mundo fecit, nunc pro unoquoque nostrum peramanter facit dilectione amantissima. Et haec est ratio, ob quam eum interpellare debemus. Est enim

(1) Rom. III, 9.

(2) Rom. V, 12.

Divisio. Reconciliator: I. *Placens*; II. *Potens*; III. *Perbundans*.

PARS I. PLACENS.

Primum quod in reconciliatore requiritur est quod sit acceptus reconciliandis, vel saltem ei, cui aliqui reconciliandi sunt: alioquin non mediator pacis erit, sed dissensionis maioris occasio. Sic sacratissimum Cor Iesu est reconciliatio nostra apta; est enim placens Patri, cui peccatores reconciliari tenebantur et tenentur rationibus sequentibus; prima, quia habet perfectiones in reconciliatore ad Deum desiderandas; secunda, quia non habet imperfectiones quae meritum reconciliationis minuere possunt.

A) Apostolus Paulus de hoc Christi ministerio loquens ait: «Unde et salvare in perpetuum potest accedentes per semetipsum ad Deum; semper vivens ad interpellandum pro nobis. Talis enim decebat ut nobis esset Pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus et excelsior coelis factus» (1).

En ergo quare reconciliator placens; est namque:

a) Sanctus. Sanctitas vero, prout consideratur formaliter per ordinem ad verum finem, quem respicere debet, importat puritatem consecratam Deo: quam quidem Cor Iesu a principio suae conceptionis habuit; fuit enim ex tunc Deo consecratum: «quod in ea natum est de Spiritu Sancto est» (2). Quam quidem sanctitatem Daniel praenuntiavit consecratam: «Ungatur Sanctus Sanctorum» (3).

b) Innocens. Proprie enim innocentia dicitur puritas ad proximum; quam quidem puritatem Christus habet, est enim summe innocens, quia peccatum nullum fecit dicente propheta; «ego in innocentia mea ingressus sum». (4).

(1) Ad Hebr. VII, 25, 26.

(2) MATTH. I, 20.

(3) IX, 24.

(4) Psalm. XXV, 11.

c) Impollutus. Est enim sine macula non solum quoad alios, sed nec quoad se: ideo de eo dictum fuit in figura: « Erit autem agnus absque macula » (1).

d) Segregatus a peccatoribus. Id est quod talis reconciliator cum coinquinatis non commisceatur. Christus autem, dicente Apostolo, fuit perfectissime a peccatoribus segregatus; quod intelligi debet de dissimilitudine vitae, non vero de conversatione. Nam quoad dissimilitudinem fuit sanctus et in omnibus bene agens, ideo legitur: « Dissimilis est aliis vita illius » (2). Quoad conversationem, inter peccatores moratus est et conversatus, ideo: « Post haec in terris visus est, et cum hominibus conversatus est » (3).

e) Est excelsior coelis factus. Id est non tantum segregatus a peccatoribus, sed quoad humanam naturam etiam super omnem creaturam sublimatus.

B) Non habet imperfectiones, quae meritum reconciliationis minuant.

Reliquorum mediatorum, seu sacerdotum haec est conditio, ut pro se orent et frequenter. De Christo autem dicit Apostolus: « qui non habet necessitatem quotidie, quemadmodum sacerdotes prius pro suis delictis hostias offerre, deinde pro populo. Hoc enim fecit semel se offerendo » (4). Itaque:

a) Non oravit pro se cum nullam imperfectionem habuerit: nec sacrificium obtulit pro peccatis suis, cum esset innocentissimus, sed tantum oravit pro nobis, et pro nobis obtulit hostiam ut dicit propheta: « Vulneratus est propter iniquitates nostras » (5).

b) Et non pluries oravit, sed semel: « Christus semel pro peccatis nostris mortuus est » (6). « Unica enim eius oblatio et oratio sufficientissima erat, ut totius mundi peccata

(1) Exod. XII, 5.

(2) Sap. II, 15.

(3) BARUCH III, 38.

(4) Ad Hebr. VII, 27.

(5) ISAI. LIII, 5.

(6) I PETR. III, 18.

deleret » (1). Sumitur namque oratio pro oblatione: quia si de oratione proprie sumpta loquamur, non semel, sed pluries oravit; erat enim pernoctans in oratione Dei. Si vero oratio pro oblatione sumatur, semel oravit: « Christus semel pro peccatis nostris mortuus est » (2). Et haec unica oratio efficaciam sufficientissimam obtinuit, dicente Apostolo: « cum clamore valido et lacrymis offerens, exauditus est pro sua reverentia » (3).

PARS II. — EST RECONCILIATOR POTENS.

Cor Iesu non est solum placens Patri sanctitate, sed est etiam potens eum propitium nobis reddere. Quo autem merito? Vel clarius; quid obtulit pretio huius reconciliationis? Respondit Apostolus: « Placuit Patri per Christum reconciliare omnia in ipsum, pacificans per sanguinem crucis eius sive quae in terris, sive quae in coelis sunt » (4). En meritum huius reconciliationis; sanguis Christi, qui in remissionem peccatorum effusus est. Quod quidem pretium ex pluribus aestimandum.

a) Ex parte originis. Est sanguis Christi pretii inaestimabilis et infiniti, sufficiens ad universa delicta delenda; unde Apostolus: « Si enim sanguis hircorum et taurorum, et cinis vitulae aspersus inquinatos sanctificat ad emundationem carnis, quanto magis sanguis Christi, qui per Spiritum Sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis ad serviendum Deo viventi? » (5). Si sanguis et cinis brutorum animalium faciebat quod minus est, sanguis Christi poterit facere quod maius est. Sanguis ille

(1) Vide Exposit. D. THOM. in epist. D. Pauli ad Hebr. cap. VII, v. 27 et sequent.

(2) I PETR. III, 18.

(3) Ad Hebr. V, 7.

(4) Ad Coloss. I, 20.

(5) Ad Hebr. IX, 13 et 14.

mundabat ab exteriori macula, sanguis Christi poterit interius conscientiam mundare. Ratio est quia hic sanguis habet virtutem, seu efficaciam maximam, ex parte eius, cuius est sanguis; est enim sanguis Christi Filii Dei, ideo sanguis efficacissimus ac divinus, ex quo patet quod possit mundare et mundet: « Ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum » (1).

b) Ex parte causae effusionis eius. Christus, merito sanguinis sui, est reconciliator potens, si causam quare sanguinem suum effudit attendamus. Ut exponit D. Thomas (2), causa fuit Spiritus Sanctus, cuius motu et instinctu, scilicet, charitate Dei et proximi, hoc fecit: et ideo per Spiritum Sanctum semetipsum obtulit; ut enim legitur Isaiae (3), Spiritus ducturus erat eum: « cum venerit quasi fluvius violentus quem Spiritus Domini cogit ». Nunc autem ab hoc Spiritu mundamur: « si abluerit Dominus sordes filiarum Sion, et sanguinem Hierusalem laverit de medio eius in spiritu iudicii, et in spiritu ardoris » (4). Unde factum est quod virtute huius Spiritus: « Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi » (5).

c) Ex parte modi, quo effusus est. Nam primo totus effusus est; per vulnus enim lateris a corde profluit parum scilicet aquae et sanguinis quod reliquum erat, quum totus antea per sexcenta corporis vulnera effusus esset: « a planta pedis usque ad verticem non est in eo sanitas » (6). Praeterea innocentissime effusus est: « Ego in innocentia mea ingressus sum » (7). Crudelissime effusus est: « supra dorsum meum fabricaverunt peccatores » (8). « Et ex parte Christi, patientissime hanc effusionem sustinuit: « Obmutui en non aperui os meum » (9).

(1) MATTH. I, 21.

(2) In Epist. ad Hebr. in hunc locum.

(3) LIX, 19.

(4) ISAI. IV, 4.

(5) II ad Corinth. V, 19.

(6) ISAI. I, 6.

(7) Psalm. XXV, 11.

(8) Psalm. CXXXVIII, 3.

(9) Psalm. XXXVIII, 10.

PARS III. — EST RECONCILIATOR PERABUNDANS.

Restat tandem ut aliquid dicamus de effectu huiusmodi reconciliationis, quae est perabundans. Effectu enim effusionis sanguinis Christi, concordant in eo omnes voluntates, scilicet, Dei, angelorum et hominum.

Super illud: « Placuit Patri per Christum reconciliare omnia in ipsum pacificans per sanguinem crucis eius sive quae in terris sive quae in coelis sunt » (1), scribit D. Thomas (2): « Exponit autem (Apostolus) qualis sit ista reconciliatio, et quomodo omnia sint reconciliata. In reconciliatione autem sunt duo considerata: primo in quo conveniunt qui reconciliantur; discordes enim diversas habent voluntates; reconciliati autem consentiunt in aliquo uno: et sic voluntates prius discordes, concordant in Christo. Et huiusmodi voluntates sunt hominum, et Dei, et Angelorum. Hominum, quia Christus homo est; Dei, quia Deus est; Angelorum, quia illorum tam secundum humanitatem, quam secundum divinitatem gubernator est. Item discordia erat inter Iudaeos, qui volebant legem et Gentiles, qui non volebant legem. Sed utrosque Christus concordat, quia ex Iudaeis est, et quia abrolvit observantias legis. Et haec concordia est facta per sanguinem. Inter Deum et hominem causa discordiae fuit peccatum: inter Iudaeos et et Gentiles lex; Christus per crucem destruxit peccatum, et implevit legem. Et ita removit causam discordiae. Et sic reconciliati sumus. Et ita sunt pacata sive quae in coelis, ut Angeli et Deus, sive quae in terris, scilicet Iudaei et Gentiles. Ideo Christo nato dicitur: « gloria in Altissimis Deo, et in terra pax hominibus » (3). Item in resurrectione dicit: « pax vobis » (4). « Ipse est enim pax nostra, qui fecit utraque unum » (5).

(1) Coloss. I, 20.

(2) Expos. in hunc loc.

(3) LUC. II, 14.

(4) IOANN. XX, 19.

(5) Ephes. II, 14.

Consequentia. Ergo interpellandum: nam est advocatus noster; et, sicuti est talis pro nobis Patrem rogans, ita debemus eum rogare, ut pro nobis oret: « nemo venit ad Patrem, nisi per me » (1). Modus autem orationis, ut exaudiamur a Iesu debet conformari interpellationi factae pro nobis ab Ipso. Sicut ergo Iesus Christus « cum clamore valido et lacrymis offerens exauditus est pro sua reverentia » et sine intermissione rogat « semper vivens ad interpellandum pro nobis » ita humillime, reverenter ac perseveranter pulsemus ad ostium cordis eius, ut per pretium sanguinis illius nos et omnes, quos delictorum catena constringit, miseratio divinae pietatis clementer absolvat.

Affectus. O sanctissimum Cor Iesu! profundissima, qua possum reverentia adoro te; ex te sanguis ille meritis affluens effluxit, qui in remissionem effusus est peccatorum; ex te manat aqua salutaris, quae aspersa santificat ad emundationem animae; inde fluit salutare poculum sitim rerum mundanarum extinguens et coelestium vehemens desiderium accendens. O sanguis Christi inebria me! O aqua lateris Christi lava me! O Christe, intra vulnus Cordis tui absconde me.

Deprecatio. Respice Domine de santuario tuo et de excelso coelorum habitaculo, et vide hanc sacrosanctam hostiam, quam tibi offert magnus Pontifex noster, sanctus puer tuus, Dominus Iesus, pro peccatis fratrum suorum: et esto placabilis super multitudinem malitiae nostrae. Ecce vox sanguinis fratris nostri Iesus clamat ad te de cruce. Exaudi, Domine; placare, Domine; attende, et fac ne moreris propter teipsum, Deus meus, quia nomen tuum invocatum est super civitatem istam et super populum tuum: et fac nobiscum secundum misericordiam tuam. Amen. (Indulgent.) (2).

(1) IOANN. XIV, 6.

(2) Oratio ante Euchar. Sacrament. recitanda.

CONCIO XXXIX.

THEMA: Mactabitur et victima pro delicto.

(Levit. VII, 11).

IDEA CONCIONIS

PROP. Cordi Iesu compatiendum, quia est victima peccatorum.

DIVISIO. Est victima: I. Innocens; II. Sancta; III. Beneplacens.

PARS I. a) Est victima innocens; b) Attrita apud Patrem, idest consentiente Patre; c) A peccatoribus.

PARS. II. a) Est victima sancta; b) Oblata Patri; c) Pro peccatoribus.

PARS. III. a) Est victima beneplacens; b) Accepta a Patre; c) Pro peccatoribus.

Exordium. Non datur religio absque cultu, nec cultus sine victima, nec victima absque sacerdotio. Dominus Iesus, qui Patri cultum excellentissimum reddidit, in hoc ab aliis sacerdotibus differt, quod fuit sui sacerdotii et sacrificator et victima, semetipsum enim obtulit immaculatum Deo.

Si ergo quia summus pontifex est, pontifex aeternus, et origo et causa totius sacri sacerdotii, unctus a Deo plenitudine sanctitatis, sacerdotium eius eminet super omne sacerdotium ac sacerdotem, quanto magis actio suprema divini sui ministerii, qua non sanguinem hircorum et taurorum, non panem et vinum, non Isaac iustum, sed semetipsum obtulit Deo, potens erit mundum universum Patri reconciliare?

Hoc revera fecit semel seipsum offerendo Iesus Christus Dominus noster. Quem, etsi permissive, seu indirecte fuit victima sui sacerdotii, se ipsum in manus peccatorum tra-

Consequentia. Ergo interpellandum: nam est advocatus noster; et, sicuti est talis pro nobis Patrem rogans, ita debemus eum rogare, ut pro nobis oret: « nemo venit ad Patrem, nisi per me » (1). Modus autem orationis, ut exaudiamur a Iesu debet conformari interpellationi factae pro nobis ab Ipso. Sicut ergo Iesus Christus « cum clamore valido et lacrymis offerens exauditus est pro sua reverentia » et sine intermissione rogat « semper vivens ad interpellandum pro nobis » ita humillime, reverenter ac perseveranter pulsemus ad ostium cordis eius, ut per pretium sanguinis illius nos et omnes, quos delictorum catena constringit, miseratio divinae pietatis clementer absolvat.

Affectus. O sanctissimum Cor Iesu! profundissima, qua possum reverentia adoro te; ex te sanguis ille meritis affluens effluxit, qui in remissionem effusus est peccatorum; ex te manat aqua salutaris, quae aspersa santificat ad emundationem animae; inde fluit salutare poculum sitim rerum mundanarum extinguens et coelestium vehemens desiderium accendens. O sanguis Christi inebria me! O aqua lateris Christi lava me! O Christe, intra vulnus Cordis tui absconde me.

Deprecatio. Respice Domine de santuario tuo et de excelso coelorum habitaculo, et vide hanc sacrosanctam hostiam, quam tibi offert magnus Pontifex noster, sanctus puer tuus, Dominus Iesus, pro peccatis fratrum suorum: et esto placabilis super multitudinem malitiae nostrae. Ecce vox sanguinis fratris nostri Iesus clamat ad te de cruce. Exaudi, Domine; placare, Domine; attende, et fac ne moreris propter teipsum, Deus meus, quia nomen tuum invocatum est super civitatem istam et super populum tuum: et fac nobiscum secundum misericordiam tuam. Amen. (Indulgent.) (2).

(1) IOANN. XIV, 6.

(2) Oratio ante Euchar. Sacrament. recitanda.

CONCIO XXXIX.

THEMA: Mactabitur et victima pro delicto.

(Levit. VII, 11).

IDEA CONCIONIS

PROP. Cordi Iesu compatiendum, quia est victima peccatorum.

DIVISIO. Est victima: I. Innocens; II. Sancta; III. Beneplacens.

PARS I. a) Est victima innocens; b) Attrita apud Patrem, idest consentiente Patre; c) A peccatoribus.

PARS. II. a) Est victima sancta; b) Oblata Patri; c) Pro peccatoribus.

PARS. III. a) Est victima beneplacens; b) Accepta a Patre; c) Pro peccatoribus.

Exordium. Non datur religio absque cultu, nec cultus sine victima, nec victima absque sacerdotio. Dominus Iesus, qui Patri cultum excellentissimum reddidit, in hoc ab aliis sacerdotibus differt, quod fuit sui sacerdotii et sacrificator et victima, semetipsum enim obtulit immaculatum Deo.

Si ergo quia summus pontifex est, pontifex aeternus, et origo et causa totius sacri sacerdotii, unctus a Deo plenitudine sanctitatis, sacerdotium eius eminet super omne sacerdotium ac sacerdotem, quanto magis actio suprema divini sui ministerii, qua non sanguinem hircorum et taurorum, non panem et vinum, non Isaac iustum, sed semetipsum obtulit Deo, potens erit mundum universum Patri reconciliare?

Hoc revera fecit semel seipsum offerendo Iesus Christus Dominus noster. Quem, etsi permissive, seu indirecte fuit victima sui sacerdotii, se ipsum in manus peccatorum tra-

dens; isti tamen, ex hoc quod occiderunt, directe victimam suae crudelitatis suique odii fecerunt. Et Cor eius, quod tunc amarissimam sustulit passionem, etiam nunc, si possibile esset, sustineret interiorem a renuentibus. En ergo quomodo factum est victima peccatorum; ideoque compatiendum. Unde opportuna videtur sequens

Propositio. *Cordi Iesu compatiendum, quia est victima peccatorum.*

Christum futurum esse victimam peccatorum, Ipse discipulis praenunciavit, quando, assumens duodecim, secreto ait illis: « Ecce ascendimus Hierosolimam et Filius hominis tradetur principibus sacerdotum, et Scribis, et condemnabunt eum morte. Et tradent eum gentibus ad illudendum et flagellandum et crucifigendum » (1).

Tale fuit cruentum sacrificium, cuius victima fuit ipse Christus in tota simul sancta humanitate, dicente propheta: « a planta pedis usque ad verticem capitis nos est in eo sanitas ». Victima tamen innocens, sancta et beneplacens, oblata semel visibiliter et a Patre accepta, sicut semel physice a peccatoribus attrita.

Sed sicut visibile sacrificium signum erat invisibilis sacrificii, et initium sacrificiorum incruentorum; ita deicidium Iudaeorum, quorum victima fuit physice Christus, fuit initium et figura eorum, qui non corpus, sed Cor Iesu crucifigerent. En quare huic compatiendum; nam

Divisio. I. *Est victima innocens, attrita apud Patrem a peccatoribus;* II. *Est victima sancta, oblata Patri pro peccatoribus;* III. *Est victima beneplacens, accepta a Patre pro peccatoribus.*

(1) MATTH. XX, 18.

PARS I. — COR IESU, VICTIMA INNOCENS.

a) Est victima innocens. Sanctus innocens impollutus vocatur a D. Paulo Dominus Iesus (1); sicut iam praedictum fuerat: « Ego autem in innocentia mea ingressus sum » (2). Idest quando omnes in mundum peccatores venerunt, ego in mundum innocens ingressus sum; cum nemo esset pontifex, qui et pro suis et pro populi peccatis offerre non deberet, ego unus ad sancta sanctorum pene innocens ingressus, pro alienis solum peccatis offerre consuevi.

Et tamen victima: « et sanguinem innocentem condemnabunt » (3); nam revera sanctum et iustum occiderunt Iudaei: « vos autem sanctum et iustum negastis, et petistis virum homicidam donari vobis. Auctorem vero vitae interfecistis » (4). Fuit victima, quia horrenda passus est a Iudaeis sub Pontio Pilato; fuit victima innocens quia passus est absque peccato; et sic semel victima cruenta innocens. Incruente tamen pluries est victima in suo SS. Corde, cuius amorem respuentes, immo et lacerantes, rursum peccatores crucifigunt sceleribus multiplicatis: « rursum crucifigentes sibimetipsos Filium Dei » (5).

b) Attrita a peccatoribus; non enim quaecumque sed acerbissima tormenta sustinuit. Ideo: « supra dorsum meum fabricaverunt peccatores » (6). Non tantum occiderunt, sed sciderunt, contuderunt, attriverunt. Unde per prophetam: « Non est species ei, neque decor; et vidimus eum, et non erat aspectus, et desideravimus eum, despectum et novissimum virorum, virum dolorum et scientem infirmitatem; et

(1) Hebr. VII, 26.

(2) Psalm. XXV, 11.

(3) Psalm. XCIII, 21.

(4) Act. Apost. III, 14.

(5) Hebr. VI, 6.

(6) Psalm. CXXVIII, 3.

quasi absconditus vultus eius, et despectus, unde nec reputavimus eum » (1). Ideo victima vere attrita.

Attrita quidem indirecte a se, et consumpta igne charitatis ardentissimo, qua seipsum tradidit in manus peccatorum; directe autem a peccatoribus; ut enim scribit D. Thomas: « Directe persecutores Christi eum occiderunt, quia sufficientem causam mortis ei intulerunt cum intentione occidendi ipsum et effectu subsequente, quia scilicet ex illa causa est mors subsequuta » (2). Similiter nunc Cor Iesu est victima incruenta directe attrita a peccatoribus amorem eius respicientibus, Ecclesiam persequentibus, mandata contemnentibus, schismata seminantibus, et divisionibus unitatem, concordiam, ac pacem communis scindentibus, ministros vituperantibus, et calumniantibus, sacramenta iridentibus, et ipsum Deum blasphemantibus.

Et quod maxime mirandum, victima a propria charitate indirecte occisa: nam, ut ait Angelicus « poterat passionem suam et mortem impedire, vel adversarios reprimendo, ut eum aut non vellent, aut non possent interficere; vel conservare carnem suam ne a quocumque laesivo inflicto opprimeretur » (3). Et tamen non fecit; sicut nunc posset pravam voluntatem persequentium in rectam mutare, et a manibus impii sacrilegi Sacramentum sui corporis liberare, vel auferre, et fideles suos in omnibus victores reddere; et tamen non facit, sed in his omnibus patienter sustinet.

c) Et apud Patrem, idest, consentiente Patre. Qui iuxta D. Thomam: « tradidit Christum passioni; uno quidem modo, secundum quod sua aeterna voluntas praeordinavit passionem Christi ad humani generis liberationem, secundum illud quod dicitur Isaiæ: *Dominus posuit in eo iniquitatem omnium nostrum* (4); Et iterum: *Dominus voluit conterere eum in infirmitate*. Secundo in quantum inspiravit ei voluntatem patiendi

(1) ISAI. LIII, 2, 3.

(2) Part. III, q. XLVII, a. 1.

(3) Loc. cit.

(4) LIII, 6.

pro nobis, infundendo ei charitatem. Unde ibidem sequitur, *oblatus est, quia ipse voluit*. Tertio non protegendo eum a passione, sed exponendo persequentibus. Unde legitur quod pendens in cruce Christus dicebat: *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* (1), quia scilicet potestati persequentium exposuit, ut Augustinus exponit » (2). Unde est quod etiam nunc non ulciscatur iniuriarum proprio Filio suo illatarum; tum quia pro nobis omnibus tradidit illum, tum quia merita Cordis eius iram vindicem detinent in eos pro quibus semper vivit interpellans; et quia sicut tunc passionem in carne sustinendo ab imperio mortis liberabat omnes, ita nunc novam cordis passionem sustentando, conatur etiam perditissimos attrahere, non enim venit ut iudicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum. Ideo de devotione ad Cor suum ait Iesus B. Margaritæ: « Commenda animarum pastoribus ut instrumentum aptissimum, quo corda saxis duriora ad poenitentiae lacrymas emolliant » (3).

PARS II. — COR IESU, VICTIMA SANCTA.

Est deinde SS. Cor Iesu victima sancta, oblata Patri pro peccatoribus.

a) Et primo victima sancta. De Iesu loquens, ait latro pendens: « hic vero nihil mali gessit » (4); idest: « absonum, indecens, incongruum, nihil, quod vel leviter reprehendi, aut culpari posset » (5). Ideo: « quis ex vobis arguet me de peccato? » (6). « Proferte aliquod peccatum quo legem violem, illudque probate, et patiar mihi a vobis non credi; nam alias demonstravi curationem meam in sabbato esse legis non vio-

(1) MATTH. XXVII, 46.

(2) Part. III, q. XLVII, a. 3.

(3) *De magnis gratiar. praem.*

(4) LUC. XXIII, 41.

(5) A LAPIDE, hoc loc.

(6) IOANN. VIII, 46.

lationem, sed sanctificationem. Proferte ergo aliquid meum peccatum si potestis, meque de illo arguite. En mei censuram et iudicium, vobis, licet iuratis meis hostibus permitto ».

« Magna fuit haec Christi innocentia et confidentia, qua non tantum peccatum, sed vel umbram et suspicionem peccati a se remouet, ita ut nullus quidquam ei obicere posset, quod vel minimam peccati haberet speciem. Ipse enim erat impeccabilis, tum propter visionem beatificam, qua fruebatur, uti ob eandem beati in coelo sunt impeccabiles, quia enim Deum vident summum esse bonum, hinc necessario illum totis viribus amant, et oderunt quidquid illi displicet; tum propter unionem hypostaticam cum Verbo; quia enim humanitas eius subsistebat in persona Verbi, hinc Verbum humanitatem suam immunem ab omni peccato in plena sanctitate conservabat. Si enim humanitas Christi peccasset, persona Verbi peccasset; quod est impossibile, actiones enim virtutum, vel vitiorum sunt personarum, et personis attribuuntur. Hinc S. Ambrosius Deum Patrem ita Christum alloquentem inducit: Inter peccatores versatus es, omnium peccata suscepisti, peccatum pro omnibus factus es; sed nullus usus ad te potuit transire peccati. Ita inter homines versatus es quasi inter angelos versareris. Fecisti terram esse quod coelum est, ut ibi peccatum tolleres » (1).

b) Deinde est victima oblata Patri; quia sacrificia offerre est actus religionis, ideoque soli Deo litandum. Unde: « qui immolat diis occiditur; praeterquam Domino soli » (2). Ad rem D. Thomas. « Oblatio sacrificii fit ad aliquid significandum; significat autem sacrificium quod offertur exterius, interius spirituale sacrificium, quo anima se ipsam offert Deo, secundum illud: *sacrificium Deo spiritus contribulatus*; quia exteriores actus religionis ad interiores ordinantur; anima autem se offert Deo in sacrificium, sicut principio suae creationis, et sicut fini suae beatitudinis. Secundum autem veram

(1) A LAPIDE, loc. cit.

(2) Exod. XXII, 20.

fidem solus Deus est creator animarum nostrarum; in solo etiam eo animae nostrae beatitudo consistit. Et ideo sicut soli Deo summo debemus sacrificium spirituale offerre, ita etiam soli Deo debemus offerre exteriora sacrificia » (1).

Certum est autem Christum non fuisse victimam Patri a crucifigentibus oblatam: « si enim cognovissent, numquam Dominum gloriae crucifixissent » (2). Non ergo fuit ab alio oblatus quam a seipso, qui semetipsum obtulit immaculatum Deo, quando potens passionem suam impedire, non tamen fecit. Unde quod fuit victima oblata Patri a se ipso.

c) Sed pro quibus? Pro ipsis crucifigentibus: « Pater dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt » (3); pro peccatoribus omnibus: « quoniam cum adhuc peccatores essemus, secundum tempus Christus pro nobis mortuus est » (4). Unde Angelicus dicit quod passio Christi est propria causa remissionis peccatorum; et hoc propter tria: « Primo per modum provocantis ad charitatem, qua veniam peccatorum consequimur. Secundo per modum redemptionis; cum enim ipse sit caput nostrum, liberavit nos tamquam membra sua, a peccatis, quasi per pretium suae passionis. Tertio per modum efficientiae, in quantum caro, secundum quam Christus passionem sustinuit, est instrumentum divinitatis, ex quo eius passiones et actiones operantur in virtute divina ad expellendum peccatum » (5).

Cum autem in passione Christus semetipsum obtulerit victimam Patri, ut dictum est, sequitur quod sit victima oblata pro peccatoribus, sive, in beneficium peccatorum, in quos praecipue pertransit efficacia illius passionis, per quam Christus factus est victima. Et idem dicendum est de passione Cordis, qua, vera victima amoris fit, in remissionem peccatorum. Ita significavit Iesus B. Margaritae cum Cor suum sacrosanctum

(1) II^a II^{ae}, q. LXXXV, a. 2.

(2) I Corinth. II, 8.

(3) Luc. XXIII, 34.

(4) Rom. V, 8.

(5) Pars III, q. XLIX, a. 1.

detegens inquit: « Vides Cor meum; Cor illud tanto hominum amore succensum, ut nihil praetermiserit, viribus exhaustis penitus atque consumptis, quo amorem hunc immensum certissimis signis testatum eis relinqueret. Eorum tamen pars maxima usque adeo se mihi gratos amicosque non exhibent, ut me etiam iniuriis contumeliisque in hoc amoris mysterio assidue lacessant ». Et inde ostenditur quod etiam in suo SS. Corde se offerat victimam pro peccatoribus.

PARS III. — COR IESU EST VICTIMA BENEPLACENS.

Est tandem Cor Iesu victima beneplacens, accepta a Patre pro peccatoribus.

a) In primis est victima beneplacens; et hoc propter tria: primo quia erga Deum reverens; secundo, quia erga proximum innocens; tertio, quia in se sancta fuit. Erga Deum reverens fuit, ut ait Apostolus: « Qui in diebus carnis suae preces supplicationesque ad eum, qui possit illum salvum facere a morte, cum clamore valido et lacrymis offerens, exauditus est pro sua reverentia » (1), idest, causa reverentiae, qua clamavit. Erga proximum fuit innocens, dicente propheta: « et sanguinem innocentem condemnabunt » (2). In se, fuit victima sancta, immo et sanctissima ipsa sanctitate Dei: « vere, filius Dei erat iste » (3). Cum ergo Deo placeat reverentia: « honora Deum ex tota anima tua » (4), et supramodum innocentia, iuxta illud: « innocentes ac recti adhaeserunt mihi » (5), et plurimum sancta, unde de iusto legitur: « placens Deo factus est dilectus » (6), consequens est quod Cor Iesu sit victima beneplacens supra omnes vi-

(1) Hebr. V, 7.

(2) XCIII, 21.

(3) MATTH. XXVII, 54.

(4) Eccli. VII, 33.

(5) Psalm. XXIV, 21.

(6) Sap. IV, 10.

ctimas legales. Etsi namque plurimas legimus victimas Deo pro peccatis oblatas, ut ipse Dominus iusserat: « mactabitur et victima pro delicto » (1), omnes tamen Deo displicuerunt: « sacrificium et oblationem noluisti » (2); et solum hanc, quam illae figurabant, placide respexit quae erat per se ac plene Patri beneplacens.

b) Ideo accepta ab ipso. Victimae legales solum Deo placebant ex hoc quod victimam novae legis meritissimam figurabant, eodem modo quo fides iustorum antiquorum meritum a Christo venturo sumebat. Signum autem acceptationis oblationum victimarumque illarum erat aliquando ignis, qui descendens e coelo vorabat eas, sicut legitur de Aaron, quo offerente hostias pro peccato, holocausta et pacifica: « apparuit gloria Domini omni multitudini, et ecce egressus ignis a Domino, devoravit holocaustum et adipem, qui erant super altare » (3). Similiter, ubi Christus apparuit coram omnibus victima, a Deo Patre accepta, ignis charitatis e coelo super altare crucis immissus est, qui totam combussit; nam non solum caro igne cruciatuum, sed et anima igne tribulationis fuit combusta et velut consumpta: « tribulationes cordis mei multiplicatae sunt super me » (4).

Etsi in alio rerum ordine, attamen idem ignis adhuc vorat, sub Eucharistia latens, Cor Iesu factum victimam peccatorum, ignis scilicet ardentissimi erga homines amoris, quem misit in terram, et vult vehementer accendi; ideo flammis circumornatum detegens cor, ait Iesus B. Margaritae: « Vides cor meum; cor illud tanto hominum amore succensum ».

c) Sed pro quibus? Pro peccatoribus omnibus habetur; omnes enim sub diabolo tenebantur captivi et pro omnibus mortuus est Christus, imo et quotidie tale est, et offertur. Ad rem S. Augustinus: « Tenebantur homines captivi sub diabolo; et daemonibus serviebant. Sed redempti sunt a ca-

(1) Levit. VII, 2.

(2) Psalm. XXXIX, 7.

(3) Lev. IX, 24.

(4) Psalm. XXIV, 17.

ptivitate. Vendere enim se potuerunt, sed redimere non potuerunt. Venit Redemptor, et dedit pretium. Fudit sanguinem suum, et emit orbem terrarum » (1).

Consequentia. Ergo compatiendum: haec est enim eius voluntas: « vigilate mecum » (2). Ad hoc, Cor suum flammis succensum et spinis circumdantem, Ecclesiae his temporibus monstravit, ut ait B. Margaritae: « Eorum tamen (hominum nempe) pars maxima usque adeo se mihi gratos amicosque non exhibent, ut me etiam iniuriis contumeliisque in hoc amoris mysterio assidue lacerant... Itaque a te requiro ut feria sexta, quae octavam Corporis mei proxima sequitur, Cordi meo colendo peculiariter sit dicata: qua die ad sacram mensam accedendo, iniuriae Cordi meo in altaris mysterio inflictae eo maxime tempore, quo palam fidelium venerationi expositus sum, violati honoris reparatione, sarciantur ».

Cum autem non tantum aliorum, sed et nostrorum sit victima peccatorum, modus compatiendi triplex intelligi potest: primo peccatum a nobis removendo; secundo pro peccatis nostris totiusque mundi, virtute meritorum Christi satisfaciendo; tertio nos nostraque, si hoc Domino placeat, in holocaustum pro reparatione offerendo.

Affectus. O Cor Iesu victima meritissima, Patri placidissima, mundo fructuosissima! Tu victima in vita, victima in Eucharistia, victima in corpore propter tormenta, victima in corde propter despectum! Ad altare Cordis tui accedo, non ut offeram, quia indignus sum, sed confitens coram angelis me inter carnifices fuisse tuos, et sacrilega cogitatione, impiis verbis, iniquis et turpibus operibus te quoque mactasse. Heu pudor! Ad te revertor, moerens, lacrymans, poenitens; sed cor meum non est mundum, manus meae plenae sunt sanguine; et tecum compati ac consolari praesumam?... Verum-


(1) *Tract. CXX in Ioann.*

(2) *MATTH. XXVI, 38.*

tamen quia benignus ac misericors es, o bone Iesu, et praestas super malitia, accedo non tremens, sed fidens pro meis totiusque mundi peccatis te consolaturus, tecum ut condoleam, et compatiar. Suscipe ergo, Sancte Pater, hanc victimam immaculatam, quam, una cum puero tuo innocentissimo Abel, tibi offerimus, ut nobis proficiat ad salutem.

Deprecatio. Deus, qui pro redemptione mundi, voluisti nasci, circumcidi, a Iudaeis reprobari, a Iuda traditore osculo tradi, vinculis alligari, sicut Agnus innocens ad victimam duci, atque conspectibus Annae, Caiphae, Pilati et Herodis indecenter offerri, a falsis testibus accusari, flagellis et opprobriis vexari, sputis conspuui, spinis coronari, colaphis caedi, arundine percuti, facie velari, vestibibus exui, cruci clavis affigi, in cruce levari, inter latrones deputari, felle et aceto potari, et lancea vulnerari, te, Domine, per has sanctissimas poenas tuas, qua ego indignus recolo, et per sanctam crucem et mortem tuam, rogo; libera me a poenis inferni et perducere digneris, quo perduxisti latronem tecum crucifixum. (Ex Ritual. Rom.).





CONCIO XL.

THEMA: Apparebit expectantibus se in salutem.

(Ad Hebr. IX, 28).

IDEA CONCIONIS

PROPOSITIO. Ad Cor Iesu confugiendum, quia est salus in se sperantium.

DIVISIO. Est salus: I. Certa; II. Unica; III. Universalis.

PARS I. Est salus certa: a) Promissionibus Patris; b) Promissionibus ipsius Christi; c) Promissionibus specialibus ad Cor suum confugientibus.

PARS II. Est salus unica: a) Auctoritate missionis; b) Merito sacrificii; c) Altitudine gloriae.

PARS III. Est salus universalis: a) Universalitate fidei; b) Spei; c) Et charitatis.

Exordium. Quia nihil in natura datur quod unius animae pretium possit aequare, idcirco nullum tanti ponderis opus et facinus quam animas, ut salventur curare.

Hanc salvationem animarum ardentissime desiderat Deus, qui « vult omnes homines salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire » (1); propter quod « non misit Deus Filium suum in mundum ut iudicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum » (2). Hanc sollicitate commendat per Christum « qui gaudium suum vocat salutem animarum » (3), iuxta mentem

(1) *Timoth.* II, 4.

(2) *IOANN.* III, 17.

(3) *In epist. ad Hebr.* XII, 2.

Theodoret, ubi ait: « quid prodest homini si mundum universum lucretur, animae vero suae detrimentum patiat? » Seu, ut exponit A Lapid: « quid te iuvabit acquisivisse omnes opes, honores, delicias totius mundi, si propter hoc teipsum perdas, et anima tua, quam unicam et intimam habes, mulcteris ad aeterna gehennae tormenta? Opes enim, honores et delicias perditas recuperare potes; animam semel perditam, in aeternum recuperare non poteris. Illa extrinsecus sunt, et exterius tantum sensus titillant; haec intrinseca tibi est et intima; unde eius dolor vel gaudium tibi pariter intrinsecus est, summus et intimus; illa temporalia sunt et caduca, haec immortalis et aeterna ». Cum autem tot tantique sint hostes ad ruinam huius adlaborantes, Dominus Iesus, mediis supernaturalibus praestitis, novissimum donum cumlavavit, praebens Cor apertum sperantibus in se, ut in eo sint de sua salvatione securi. Et Pater coelestis, velut assignans Cor Filii, commendat quod, tunc temporis, Loth per angelos admonuit: « salva animam tuam. Festina, et salvare ibi » (1). En quare a me sequens statuitur dilucidanda

Propositio. *Ad Cor Iesu confugiendum, quia est salus in te sperantium.*

Levis momenti videtur difficultas explanationis, quae propositionis huius rectae intelligentiae deserviet. Legitur, venisse Filium hominis salvare quod perierat (2), id est, ut Arabicus, quod perditum erat; scilicet, totum genus humanum, Adae, patris sui, peccato perditum, ut exponit A Lapid. Videtur ergo superfluum confugere ad Cor Iesu ut sperantes in se salvi fiant, si iam omnia semel salvavit.

Sed sciendum est opus salvationis duo importare; immunitatem culpae et adeptionem gloriae. Quantum ad primum omnes salvavit in actu primo, quia omnes a diaboli potestate eripuit, et pro omnibus merito satisfecit; ideo per prophetam:

(1) Gen. XIX, 17, 22.

(2) MATTH. XVIII, 11.

« copiosa apud eum redemptio » (1). Sed quantum ad secundum non omnes salvavit, quia merita ipsius, etsi sufficientissima, ut gratiam et gloriam omnes obtineant, hunc supernaturalium effectum adipisci nequeunt, propter voluntatem gratiae obsistentem. Et hinc necessitas confugiendi ad Cor Iesu, ut in gratia et voluntate salvationis perseveremus, sperantes in illud:

Divisio. Est enim: I. *Salus certa*; II. *Unica*; III. *Et universalis sperantium in te.*

PARS I. — EST SALUS CERTA.

Cor Iesu est salus nostra certa, in quantum sumus certi per Christum, seu eo mediante, de nostra salvatione.

a) Et primo promissionibus Patris. Nam ut ait D. Ioannes: « non misit Deus Filium suum in mundum, ut iudicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum » (2); ut enim scribit S. Cyrillus « non missus est ut ille sacrorum interpret Moyses, ut lege terrarum orbem condemnet, neque ad peccatum dumtaxat redarguendum mandatum fert, sed gratiam ad illum tollendum. Ut Filius ac haeres Patris, servitute homines liberat: condemnatricem legem in iustificantem gratiam commutat, suorum criminum, catenis constrictis, peccata dimittit, salvaturus orbem terrarum, non condemnaturus venit. Oportebat enim Moysen, ut famulum, condemnatricis legis ministrum esse; Ipsum vero, ut Filium Dei, execratione et maledictione legis orbem terrarum vindicare et benignitatis exuperantia infirmitatem mundi curare » (3). Ideo per Isaiam dixerat: « prope feci iustitiam meam, non elongabitur, et salus mea non morabitur. Dabo in Sion salu-

(1) Psalm. CXXIX, 7.

(2) III, 17.

(3) Lib. II in Ioan.

tem » (1); quae verba Patres unanimiter de Christo referunt dicta.

b) Deinde est salus certa promissionibus ipsius Christi Redemptoris: « venit enim Filius hominis quaerere et salvum facere quod perierat » (2). Ideo quotquot in Ecclesiam suam ingrediuntur, salvabuntur: « per me si quis introierit salvabitur » (3). Et de hac salvatione per modum iuramenti nos reddit securos: « amen, amen dico vobis, quia qui verbum meum audit, et credit ei qui misit me » nempe Deo Patri, testimonium reddenti per divina opera me Filium eius esse, Deum verum ex Deo vero, genitum et missum in mundum per incarnationem ad reparationem generis humani « habet vitam aeternam » idest certo habiturus est vitam aeternam, si ex fide vivat et mandatis obediat: et in iudicium non venit idest non subiecit damnationi et transit, seu transibit a morte in vitam aeternam ac beatam (4).

c) Tandem certi sumus de salvatione, promissionibus specialibus ad Cor Iesu confugientibus. Audi ipsum Iesum ipsae B. Margaritae dicentem:

« Spondeo eos omnes qui hoc honore Cor meum afficient, ipsius divini Cordis influxu coelestium donorum fore cumulandos ».

« Cura ut haec devotio ubique locorum innotescat eamque hominibus summe commenda tamquam non modo tutum, sed etiam suave et admodum facile medium, verum Dei amorem consequendi ».

« Animarum pastoribus ut instrumentum aptissimum quo corda saxis duriora ad poenitentiae lacrymas emolliant ».

« Fidelibus omnibus, ut modum praestantissimum quo de indomitis animi affectionibus plenum dominium reportent ».

« Quotquot huic sacrosancto Cordi debitam reverentiam et

(1) XLVI, 13.

(2) LUC. XIX, 10.

(3) IOANN. X, 9.

(4) IOANN. V, 24.

amorem adhibere vellent, infinitarum, quas complectitur, divitiarum participes efficerentur ».

« Pollicens insuper eos omnes qui talem imaginem peculiariter colerent, maximis gratiis ab huius divinissimi Cordis plenitudine cumulandos ».

Et sic Cor Iesu est salus certa confugientium ad illud: ita quod de eo videatur D. Paulus dixisse: « Apparebit expectantibus se in salutem ».

PARS II. — EST SALUS UNICA.

Est deinde salus unica. Et hoc tripliciter.

a) Auctoritate missionis. Olim prophetae loquuti sunt populo Israelitico, velut legati missi a Domino, ut ait Moyses: « Qui est misit me ad vos » (1). Item post Christum Apostoli eorumque successores annuntiaverunt opera Dei auctoritate ab ipso Christo commissa, ut ait D. Paulus: « Pro Christo legatione fungimus » (2). Nemo tamen nec ante, nec post Christum, adventavit sicut ille missus. Nam missio Christi potest dupliciter attendi; ut est propria; et secundum quod est delegata. Est propria secundum quod Deus est; et hoc sensu vocatur adventus: « quis poterit cogitare diem adventus eius » (3). Est delegata secundum quod homo est; et hoc sensu dicitur proprie missio: « misit Deus Filium suum factum ex muliere » (4).

Utroque autem modo auctoritas missionis Christi est altissima in suo genere, immo et suprema. Ut Deus, quia est origo et principium totius potestatis: « non est potestas, nisi a Deo » (5). Et ut homo quia plenissimam auctoritatem ade-

(1) Exod. III, 14.

(2) II Corinth. V, 20.

(3) MALACH. III, 2.

(4) Ad Galat. IV, 4.

(5) Ad Rom. XIII, 1.

ptus est et intensive et extensive: « data est mihi omnis potestas » (1). Cum ergo missio ordinetur ad salvationem eorum, quibus quis mittitur, sequitur quod Iesus sit salus unica auctoritate huiusce missionis.

b) Deinde, merito sui sacrificii. Quia, « omnia pene in sanguine secundum legem mundantur, et sine sanguinis effusione non sit remissio » (2) (quae remissio est altera pars salvationis, ut supra dixi) oportebat aliquod sacrificium offerri quod remissionem plenam peccatorum mereretur, tum quia placens Patri, tum quia ex se meritum haberet satisfaciendi. Nam omnia veteris legis sacrificia displicebant Deo: « sacrificium et oblationem noluisti » (3), et solum accepta erant in quantum Christi sacrificium praefigurabant. Nunc autem sacrificium Christi remissionem plenam obtinet: « Sanguis Iesu Christi Filii eius emundat nos ab omni peccato » (4); tum quia victima huius sacrificii Deo Patri facta est placentissima: « placens Deo factus est dilectus, et vivens inter peccatores translatus est » (5); tum quia meritum eius erat infinitum: « in ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare » (6). Hinc est quod non sit sacrificium aliquod meritorium sicut sacrificium Christi; et per consequens ipse solus sit salus unica, merito tanti sacrificii sui.

c) Tandem est salus unica sperantium in se, altitudine gloriae.

Ex hoc dicitur, et est Christus salus nostra, quia hic gratiam, et in futuro gloriam fidelibus impartitur; salvare namque est gratiam conferre et gloriam largiri. Nunc autem et gratia nobis datur e coelo per Christum, qui semper vivit ad interpellandum pro nobis, et per quem gratia et veritas facta est; et ipsa gloria confertur omnibus per Christum, per quem ha-

(1) MATTH. XXVIII, 18.

(2) Hebr. IX, 22.

(3) Psalm. XXXIX, 7.

(4) I Ioann. I, 7.

(5) Sap. IV, 10.

(6) Coloss. I, 19.

bemus accessum ad Deum et introitum in regnum sanctorum, ut enim ipse ait: « nemo venit ad Patrem nisi per me » (1); et hoc ratione altitudinis gloriae, qua Pater subiecit omnia illi: « omnia subiecisti sub pedibus eius » (2). Unde sequitur Christum esse salutem sive salvationem nostram unicam ratione altitudinis gloriae, ubi est a dexteris Dei sedens.

PARS III. — EST SALUS UNIVERSALIS.

Est tandem salus universalis: non omnibus hominibus efficaciter, sed omnibus salvandis. Mors enim Christi est destructiva peccati quoad potentiam, sed non est destructiva peccati quoad omnes effectus. Ideo Apostolus: « Christus semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata » (3); idest removenda, ut exponit D. Thomas: « Nec dicit omnium, quia mors Christi etsi sit sufficiens pro omnibus, non tamen habet efficaciam, nisi quantum ad salvandos; non enim omnes subiiciuntur ei per fidem et bona opera » (4). Unde scribit Apostolus quod « apparebit expectantibus se in salutem ». Nam quamvis omnibus in extremo iudicio apparebit, etiam his, qui eum pupugerunt, his tamen secundum carnem; sed secundum divinitatem solis electis apparebit. Ideo similiter Cor Iesu est salus universalis omnium salvandorum, quibus merita ipsius applicantur et per fidem et per bona opera ipsi coniunguntur, et hoc tripliciter.

a) Universalitate fidei: « Euntes docete omnes gentes » (5). Sicut ego omnia quaecumque didici a Patre meo nota feci vobis; ita vos, quos ministros elegi et constituo, eadem auctoritate, qua Pater misit me, mitto ad omnes gentes

(1) IOANN. XIV, 6.

(2) Psalm. VIII, 8.

(3) Hebr. IX, 28.

(4) In hunc loc.

(5) MATTH. XXVIII, 19.

docendas et instituendas doctrina fidei, quam accepistis a me. Non Iudaeis tantum, sed omnium gentium hominibus praedicate evangelium meum. Ideo legitur: «Euntes in mundum universum praedicate evangelium omni creaturae» (1); idest, euntes qua late patet orbis terrarum, praedicate fidem meam omnibus hominibus, oportet enim omnes ad agnitionem veritatis venire. Non sit apud vos distinctio Iudaei ac Graeci; quia idem Dominus omnium. Muri corruerunt, et mandatum prohibens in viam gentium abire, deinceps derogatur.

b) Universalitate spei. Sicut omnes unam fidem docet, ita omnes in eadem spe firmat. «Sperate in eo, omnis congregatio populi, effundite coram illo corda vestra; Deus adiutor noster in aeternum» (2). Ideo Apostolus: «Apparuit gratia Dei Salvatoris nostri omnibus hominibus, erudiens nos, ut, abnegantes impietatem et saecularia desideria, sobrie et iuste et pie vivamus in hoc saeculo expectantes beatam spem, et adventum gloriae magni Dei et Salvatoris nostri Iesu Christi» (3). Quia ergo omnibus apparuit, omnes habent eandem expectationem spei beatae; cuius obiectum duplex est: primum, gloriae animae post mortem, secundum illud, «scimus quoniam, si terrestris domus nostra huius habitationis dissolvatur, quod aedificationem ex Deo habemus domum non manufactam, aeternam in coelis» (4); et secundum; gloria corporis in adventu Christi, iuxta illud: «seminatur in ignobilitate, surget in gloria» (5).

c) Tandem Cor Iesu est salus universalis, universalitate charitatis. Nam omnes indiscriminatim diligit: siquidem «pro omnibus mortuus est Christus; ut et qui vivunt, iam non sibi vivant, sed ei, qui pro ipsis mortuus est et resurrexit» (6). Ratio est quia omnes ob peccatum mortui erant; «ita in

(1) MARC. XVI, 15.

(2) Psalm. LXI, 9.

(3) Ad Tit. II, 11.

(4) II Corinth. V, 1.

(5) Vide D. THOMAM, Exp. ad Tit. II, 13.

(6) II Corinth. V, 15.

omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt» (1). Non autem oporteret quod Christus pro omnibus moreretur, nisi omnes mortui fuissent peccatis. Cum autem sit pignus supremae charitatis vitam ponere pro dilecto, en quare Christus eandem charitatem in omnes ostendit moriendo pro omnibus. Est ergo salus nostra certa, unica, et universalis.

Consequentia. Ergo ad Cor Iesu confugiendum. Ipsum enim est civitas refugii delinquentibus, reis non aliquorum, sed quorumcumque criminum; quibus divina iustitia minatur horrendum, et recte ad aeterna damnare supplicia. Est pater nolens mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat, qui in cellulam sacrosanctam Cordis sui compellit intrare omnes dicens: salva animam tuam; festina, et salvare ibi. Est amississimus Iesus, qui porrectis brachiis, aspectuque delectabili omnes ad Cor suum invitat spondens nomina eorum scripta in libro vitae mansura.

Affectus. Iram Domini portabo, quia peccavi ei!... Quo fugiam a facie tua? Si ascendero in coelum, tu illic es; si descendero in infernum, ades. Caeterum inimicus pugnat ut apprehendat me secumque trahat in inextinguibiles ignes, ubi fletus et stridor dentium. Supra me video iram vindicem; infra, chaos apertum; iuxta, hostem mactare cupientem. O bone Iesu, per te salvus esse spero; in Corde tuo me veniam consequuturum confido. Si passer invenit sibi domum, et turtur nidum, ubi ponat pullos suos, egone solus ero profugus? Egone unus prohibebor ab aditu in domum Cordis tui? Memento verbi quod dixisti: exi in vias, et sepes, et compelle intrare, ut impleatur domus mea. Per vulnus lateris venio ad Te, ut cum dilectis tuis in te sperantibus valeam in aeternum cantare: Domine, refugium factus es nobis!

(1) Rom. V, 12.

Deprecatio. Anima Christi sanctifica me; Corpus Christi, salva me; Sanguis Christi, inebria me; Aqua lateris Christi, lava me; Passio Christi, conforta me; O bone Iesus, exaudi me; intra tua vulnera absconde me; ne permittas me separari a te; ab hoste maligno defende me; in hora mortis meae voca me, et iube me venire ad te; ut cum sanctis tuis laudem te in saecula saeculorum. Amen.



CONCIO XLI.

THEMA: Voluit Deus notas facere divitias gloriae Sacramenti huius in gentibus, quod est Christus in vobis spes gloriae.

(Ad. Coloss. I, 27).

IDEA CONCIONIS

PROP. In Corde Iesu quiescendum, quia est spes in illo morientium.

DIVISIO. Est spes in illo morientium, nam Cor SS.mum hoc: I. Miseretur morientium in se; II. Accedit morientibus in se; III. Trahit secum morientes in se.

PARS I. Miseretur morientium in se: a) Peccata delens, etsi gravia, etsi plurima; b) Languores suscipiens in plenam eorum satisfactionem.

PARS II. Accedit morientibus in se: a) Hostem animarum removens; b) Languores et animi et corporis levans; c) Spem firmam in misericordiam Dei erigens.

PARS III. Trahit secum morientes in se: a) Eucharistia eos ad Cor suum intime uniens; b) A Purgatorii poenis eorum animas liberans; c) In regnum suum eas statim transferens.

Exordium. Inter tot mala, quae nos undique premunt, sola spes allevat cor nostrum; scimus enim quod fidelis est Deus qui non permittet nos tentari supra id quod poterimus.

Hoc pertinet ad providentiam, qua omnia gubernat, non in universali tantum, sed in particulari; si enim, dicente propheta, numerat multitudinem stellarum, et omnibus eis nomina vocat; producit in montibus foenum et herbam servituti hominum; et dat iumentis escam ipsorum et pullis corvorum invocantibus eum; a fortiori apud eum gressus hominis di-

Deprecatio. Anima Christi sanctifica me; Corpus Christi, salva me; Sanguis Christi, inebria me; Aqua lateris Christi, lava me; Passio Christi, conforta me; O bone Iesus, exaudi me; intra tua vulnera absconde me; ne permittas me separari a te; ab hoste maligno defende me; in hora mortis meae voca me, et iube me venire ad te; ut cum sanctis tuis laudem te in saecula saeculorum. Amen.



CONCIO XLI.

THEMA: Voluit Deus notas facere divitias gloriae Sacramenti huius in gentibus, quod est Christus in vobis spes gloriae.

(Ad. Coloss. I, 27).

IDEA CONCIONIS

PROP. In Corde Iesu quiescendum, quia est spes in illo morientium.

DIVISIO. Est spes in illo morientium, nam Cor SS.mum hoc: I. Miseretur morientium in se; II. Accedit morientibus in se; III. Trahit secum morientes in se.

PARS I. Miseretur morientium in se: a) Peccata delens, etsi gravia, etsi plurima; b) Languores suscipiens in plenam eorum satisfactionem.

PARS II. Accedit morientibus in se: a) Hostem animarum removens; b) Languores et animi et corporis levans; c) Spem firmam in misericordiam Dei erigens.

PARS III. Trahit secum morientes in se: a) Eucharistia eos ad Cor suum intime uniens; b) A Purgatorii poenis eorum animas liberans; c) In regnum suum eas statim transferens.

Exordium. Inter tot mala, quae nos undique premunt, sola spes allevat cor nostrum; scimus enim quod fidelis est Deus qui non permittet nos tentari supra id quod poterimus.

Hoc pertinet ad providentiam, qua omnia gubernat, non in universali tantum, sed in particulari; si enim, dicente propheta, numerat multitudinem stellarum, et omnibus eis nomina vocat; producit in montibus foenum et herbam servituti hominum; et dat iumentis escam ipsorum et pullis corvorum invocantibus eum; a fortiori apud eum gressus hominis di-

rigentur, et viam eius volet, et cum ceciderit non collidetur quia Dominus supponit manum suam.

Cum autem omnia secundum consilium Dei eiusque providentiae definitum, voluntatem ac decretum fiant, hinc oritur fundamentum fiduciae, quam habemus in eo eiusque promissionibus fundatam.

Quae spes cum firma inveniatur in omnibus iustis, qui auxilio supernaturali nituntur, firmior ac tutior est inter cultores Cordis Iesu quod magna gratiarum praemia spopondit et in vita et in morte colentibus se. Ideo haec a me dilucidanda proponitur

Propositio. *In Corde Iesu quiescendum, quia est spes in eo morientium.*

Antequam ad probationem veniam, oportet inquirere quomodo spes morientium in SS. Corde Iesu quietem veram generare possit, cum de ratione spei sit « bonum futurum arduum possibile haberi » (1). Sic enim non quietem sed modo magnum animi angorem gignere videtur, diversa longe a charitate, quae delectationem in bono possesso ac dilecto producit.

Ad quod dicendum est cum D. Thoma possibile esse aliquid nobis dupliciter: uno modo per nosmetipsos; et sic non quietem, sed angorem afferret spes quoad bonum futurum arduum possibile habendum; alio modo per alios. In quantum ergo speramus aliquid, ut possibile nobis per divinum auxilium, spes nostra attingit ad ipsum Deum, cuius auxilio nititur (2); ideoque definitur « virtus theologica per quam certa cum fiducia, beatitudinem aeternam et media illius consequendae a Deo expectamus ». Et haec certa fiducia est, quae veram ac placidam quietem gignit in animis morientium in SS. Corde, quod

Divisio. I. *Miseretur morientium in se;* II. *Accedit morientibus in se;* III. *Trahit secum morientes in se.*

(1) I^a II^{ae}, q. XL, a. 1.

(2) II^a II^{ae}, q. XVII, a. 1.

PARS I. — MISERETUR MORIENTIUM IN SE.

Et hoc dupliciter.

a) Primo peccata delens quantumvis magna, quantumvis plurima. Et revera. Duplex importat misericordia; compassionem scilicet miserentis, et defectus eius, cuius aliquis miseretur. Ex parte namque miserentis, misericordia compassionem importat, quia misericors dicitur quasi habens miserans cor, quia scilicet afficitur quis ex miseria alterius per tristitiam ac si esset eius propria miseria (1). Et deinde importat defectus alterius, seu miseriam, ad quam depellendam, miserans operatur, tamquam si esset propria miseria; et hic est misericordiae effectus.

Nunc autem ex parte miserentis nulla est misericordia SS. Cordis Iesu misericordiae comparanda; hoc namque est Pater misericordiarum, de quo dicit Propheta: « misericors et miserator Dominus » (2). Quamvis enim non competat ei tristari, ut Deus, neque nunc ut homo, quia glorificatum, habet tamen summe causam misericordiae, quae est bonitas, per quam defectus tolluntur; ideoque, quia summe bonum, est infinite misericors. Et idem dicendum ex parte defectus, cuius miseretur. Cum enim nulla inveniatur miseria ac deformitas comparabilis deformitati animae peccatricis, seu animae, quae aliquando peccavit, nulla datur dignior miseratione Cordis Iesu, quod « venit quaerere et salvum facere quod perierat » (3); nam « non venit vocare iustos, sed peccatores » (4).

Hoc de facto probatur. Inter innumeros, qui invisibiliter legimus obdormisse in eo, unum scimus visibiliter prope eum et iuxta Cor eius spiritum Deo reddidisse. Latro pendens a

(1) Pars I, q. XXI, a. 3.

(2) Psalm. CX, 4.

(3) Luc. XIX, 10.

(4) MATTH. IX, 13.

dextris Iesu crucifixi ait: « Domine, memento mei, cum veneris in regnum tuum » (1). Latro, idest, qui fuerat peccator, moritur iuxta Iesum, tamquam supplicii consors vel socius; et moritur in Iesu, idest, in amicitia Iesu; nam fuit conversus « exterius per exempla virtutum, quae in Christo cernebat, eximiae scilicet charitatis, qua illum pro inimicis orantem audierat, patientiae, fortitudinis, modestiae, religionis, ac virtutum omnium. Interius vero per raram et pene miraculosam Dei motionem et illustrationem, qua cognovit Christum esse innocentem, et altioris regni regem, et supremum Dominum, in cuius potestate esset hominem etiam mortuum beare; quare ipsum esse Messiam, Dei Filium et Salvatorem mundi » (2). Ideoque « intellexit quod pro alienis peccatis has plagas susceperet, pro alienis sceleribus haec vulnera sustineret, et scivit quod illa in corpore Christi vulnera non essent Christi vulnera, sed latronis; atque ideo plus amare coepit postquam in corpore eius sua vulnera recognovit » (3). Ideoque audiuit: « hodie mecum eris in Paradiso » (4), ab omnibus anteactae vitae sceleribus absolutus.

Eandem plenissimam veniam promisit se largiturum, B. Margaritam sic affatus, ut ipsa testatur: « Amantissimus Dominus mihi aperuit, cupere se vehementer ab hominibus redamari; seque hoc desiderio excitatum statuisset Cor suum illis manifestare, huncque thesaurum amoris et misericordiae gratiarumque omnium ad salutem et perfectionem conducendum reserare ».

b) Secundo miseretur morientium in se, languores suscipiens in plenam eorum satisfactionem. Corde contritis et iam remissis, non semel deest satisfactio sacramentalis, quae est « voluntaria poenae a confessario inunctae susceptio, tum ad reparandam iniuriam Deo per peccatum illatam, tum ad poenam temporalem redimendam »: non enim remissa culpa

(1) LUC. XXIII, 42.

(2) A LAPIDE, super loc. cit.

(3) S. AMBROS. *Serm.* L.

(4) LUC. XXIII, 43.

quoad poenam aeternam, tota semper remittitur poena temporalis, ut Tridentinum definivit contra novatores: « si quis dixerit totam poenam simul cum culpa remitti semper a Deo, satisfactionemque poenitentium non esse aliam quam fidem, qua apprehendunt Christum pro eis satisfacere, anathema sit ». Haec igitur poena temporalis, vel in hac vita sustinenda est, vel in Purgatorio luenda, (1). Si quis autem morti proximus dolores morbi offerat in peccatorum suorum plenam satisfactionem, ipsamque mortem pro Iesu amore acceptet, nonne bonus est ac misericors Iesus, ut omne debitum remittat rogatus inter gemitus et lacrymas, inter sudores et dolores et agonias horae exitus illius? Certe quidem; ait enim alter ex latronibus consors supplicii « nos quidem iuste, nam digna factis recipimus » (2); quasi diceret: « nos iuste damnati versamur in hac damnatione, idest, poena crucis; nam digna factis recipimus. En actum publicae veraeque contritionis, confessionis, et poenitentiae, quae priora scelera expiavit » (3). Sed audi Iesum dicentem illi: « hodie mecum eris in Paradiso » idest, loco voluptatis (4). « Nota hic liberalitatem Christi, qui supplicum preces excedit et vota. Petierat latro ut Christus existens in regno, sui meminisset dumtaxat; at Christus eodem die illi regnum promittit, ut in eo quasi rex secum regnet » (5). Quod fecit in latrone, comite damnationis, quotidie facit in fidelibus aegrotantibus; nam, « quomodo miseretur pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se; quoniam ipse cognovit figmentum nostrum » (6).

(1) DEL VECCHIO, *De satisfactione*.

(2) LUC. XXIII, 41.

(3) A LAPIDE, hoc loc.

(4) LUC. XXIII, 43.

(5) A LAPIDE, hoc loc.

(6) Psalm. CII. 13.

PARS II. — ACCEDIT MORIENTIBUS IN SE.

Si timore correptus sola mortis consideratione, Sapiens exclamabat: « O mors, quam amara est memoria tua » (1), quam amarior erit adventus eius? Ipsa ascendens per fenestras irruit in omnes; sed antequam nos depascat, horribili percellit morituros formidine, et doloribus angit ac torquet, dicente Propheta: « dolores mortis circumdederunt me » (2). En quare nos oportet esse paratos; si enim est pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum eius, mors peccatorum pessima; venit enim mors super illos, et descendunt in infernum viventes. Ad hoc ergo ut placide in Domino dormiamus, oportet in Corde Iesu quiescere, quod accedit morientibus in se. Triplex formido crudelissime angit hominem in agonia positum: prima, ab hoste maligno proveniens; altera ab ipsius morientis angoribus oriens; tertia a conspectu iudicis imminenti procedens. De quibus omnibus Cor Iesu accedit succurrens quiescentibus in se.

a) Et primo hostem animarum removens, de quo D. Petrus « adversarius vester diabolus, tamquam leo rugiens circuit, quaerens quem devoret » (3). Nam revera daemon, qui homicida est ab initio; qui sibi ipsi mortem peccando intulit; qui primum hominem necavit, et per eum huius progeniem in peccatum et mortem induxit; qui tanto odio etiam Deum prosequitur, ut si possibile esset, etiam ipsum destrueret; qui tandem contra Omnipotentem assurgere impotens in coelo, adversus Christum eius concitavit gentem Iudaeorum; merito, inquam, leo vocatur, quia rugit, quia vigilat, quia expugnat, furit et irruit, quia inopinate venit, praedam capit, et devorat. Et praecipue iustis insidiatur, dicente D. Crisostomo: « sicut navigia vacua non metuunt piratas, sed onusta auro, argento

(1) Eccl. XLI, 1.

(2) Psalm. CXIV, 3.

(3) I Epist. V, 8.

et lapidibus praetiosis: sic et diabolus non facile persequitur peccatorem, sed iustum potius, ubi multae sunt opes, idest, virtutes et merita » (1).

Modum autem, quo ab illius insidiis liberabimur in vita et in morte audi ab Apostolo: « Confortamini in Deo et in potentia virtutis eius. Induite vos armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias diaboli » (2).

Hoc est, interius confidite in Domino, qui vobis auxilium praebebit; nam ad eum pertinet vestra defensio, et potens est et paratus ad defendendum. Et exterius, induite vos dona et virtutes; nam per ea homo protegatur contra vitia et inimicum, qui per insidias et fallacias impugnat Dominum in membris suis, non in se, ut exponit D. Thomas (3). Et si « terrentur principes tenebrarum visa luce bonorum operum, quia stare ante ducem tenebrae non possunt » (4): quanto magis terrebuntur visa luce Cordis Iesu? Et si ad imperium oris eius dicentis « vade retro, Satana » reliquit eum; quanto magis discedet a fidelibus suis in agonia positus; quos induet et auxilio interno gratiae, et reficiet corpore et sanguine suo pretiosissimo?

b) Duplex est genus languorum in hora exitus; unum carnis, alterum mentis. Corpus sudat, cruciatur, elanguescit. Oculi lacrimantur, aures paulatim surdescunt, os sitit, lingua obmutescit, fauces arescunt, viscera uruntur, manus pedesque frigefiunt, cor paulatim intermoritur, totumque corpus alget ac deficit. Spiritus formidat et horrescit a conspectu iudicis venientis, sicut ait propheta « non est pax ossibus meis a facie peccatorum meorum » (5). Sed videamus quomodo allevantur a Iesu morientes in eo; de quibus D. Bernardus scribit: « Iam cantando moritur homo et moriendo cantat. Usurparis ad laetitiam, mater moeroris; usurparis ad gloriam,

(1) Homil. IV in Isaiam.

(2) Ephes. VI, 10.

(3) Expositio in hunc loc.

(4) D. BERNARD, Serm. in Cant. cant.

(5) Psal. XXXVII, 4.

gloriae inimica; usurparis ad introitum regni, porta inferni, et fovea perditionis ad inventionem salutis; transeuntibus per medium tui fidelibus latum laetumque exitum pandis ad vitam » (1). Inde corporis cruciatus laeto animo perferunt sicut S. Camillus de Lellis, qui molestis ac diuturnis quinque morbis, quos misericordias Domini appellabat, fortiter toleratis, inter suavissima Iesu et Mariae nomina, obdormivit in Domino. Item spiritus languores minime sapiunt, sed e contra pacem suavissimam ac dulcedinem, sicut S. Nicolaus a Tolentino, qui sex ante obitum mensibus, singulis noctibus angelicum concentum audivit; unde ad mortem properant, sicut ad epulas invitati, eam vehementissime desiderantes, et cum Apostolo pronuntiat: « cupio dissolvi et esse cum Christo » (2).

c) Tandem morientibus in se accedit, spem firmam in misericordiam Dei erigens. D. Thomas spem comparat anchorae, quae sicut in mari navem immobilem statuit, ita spes animam firmat in Deo dum vivit in hoc mundo, qui est quasi mare. Ista tamen anchora debet esse segura, ne scilicet, deficiat; unde valida probato ferro conflatur. Item debet esse firma, ut, scilicet, non cito a navi removeatur. Ita homo debet alligari spei, sicut anchora navi alligatur. Est autem differentia inter anchoram et spem; quod anchora in imo figitur, sed spes in summo, scilicet, in Deo; nihil enim in praesenti vita est firmum, ubi possit anima firmari et quiescere (3). Et sic bonus Iesus anchoram sui SS. Cordis praebet morientibus; anchoram tutam, firmam, quae in summo scilicet Deo figitur, cuius charitas et misericordia ab ipsa repraesentatur.

PARS III. — TRAHIT SECUM MORIENTES IN SE.

Tertio Cor Iesu est spes in se morientium, quia trahit secum morientes in se; et hoc triplici via ostenditur.

(1) *Sermo in Cant. Cant.*

(2) *Ad Philipp. I, 23.*

(3) *Exp. ad Hebr. c. VI, lect. 6.*

a) Primo; in vita, Eucharistia, eos Cordi suo intime uniens; per modum viatici; seu praebens se eis comitem viae ad aeternitatem. Tobiae misit Dominus Raphaellem socium, ut incolumem duceret ac reduceret. Ipse Iesus appropinquans discipulis euntibus in castellum Emmaus, ibat cum eis; sed paulo post evanuit ab oculis eorum. Morientibus tamen in Corde Iesu non angelum, sed seipsum comitem praebet; neque paulisper, sed in perpetuum.

b) Secundo: post mortem a purgatorii poenis eorum animas liberans; ubi detentae, etsi Deus eas amore prosequatur, et Eum ipsae diligant, non tamen vident; qua visionis beatificae privatione, tormentis torquentur exquisitis. Nam illic non sustinebit Cor Iesu sponsas suas dilectas diutius immorari, sed copia coelestis roris ab omni inquinamento mundabit, et dealbabit, ut ad introitum regni disponantur, iuxta promissa B. Margaritae: « Spondeo eos omnes, qui hoc honore Cor meum afficient, ipsius divini Cordis influxu coelestium donorum copia fore cumulandos ». Et clarius: « In hac amabili devotione invenient, in tota vita, maxime vero in ultimo vitae discrimine refugium optatissimum ».

c) Tertio: trahit secum morientes in se, in regnum suum eorum animas transferens; ubi de morte ac de auctore mortis triumphantes, aerumnis omnibus ac insidiis superatis, et Deo suo et Cordi Iesu quod semper in corde et ore habuerunt, indissolubiliter iuncti, laudes divinas valebunt cum angelis in aeternum cantare.

Consequentia. Ergo in Corde Iesu quiescendum: « Conaberis intrare in Cor Domini Iesu, Ipsumque considerare quale sit ut ad ipsius similitudinem cor tuum efformes. Cor istud sanctissimum est via, per quam venimus ad aeternam mansionem, quae est Christi Divinitas: et ostium, per quod ingredimur ad contemplationem Divinitatis. Ut ergo possis ad contemplationem et amorem divinitatis ascendere, Cor istud Domini, omnium cordium sanctissimum atque mundissimum intenta consideratione penetrare curabis, ut simile cor

aspirando in oratione, et laborando in actione, habere coneris ». (Alvarez de Paz, S. I.).

Affectus. O Cor Iesu, spes in te morientium! Tu spes es nostra dum vivimus. Sicut columba dimissa a Noe, quae non invenit ubi requiesceret pes eius, aquae enim erant super universam terram, ne nos quidem invenimus ubi requiescat cor nostrum; mundana enim vana sunt, et dolosa omnia. Ad te ergo accedimus, ad arcam divinam Cordis tui, requiem exoptatam consequuturi. Admitte nos ad requiem placidam huiusce sacrarii dum vivimus, ut in pace, in te, in tuo amplexu dormiamus et requiescamus in aeternum.

Deprecatio. O clementissime Iesu, amator animarum, per agoniam Cordis tui sanctissimi, et per dolorem Matris tuae Immaculae, lava in sanguine tuo peccatores totius mundi nunc positos in agonia et hodie morituros. Cor Iesu in agonia factum, miserere morientium (Indulgent.) (Ex D. Alphonso).

CONCIO XLII.

THEMA: Super Omnipotentem deliciis afflues.

(Iob, XXII, 26).

IDEA CONCIONIS

PROP. Corde Iesu fruendum, quia est delictum sanctorum omnium.

DIVISIO. I. Fuit delictum iustorum conspectu Eius mortali fruendum; II. Est delictum viatorum vestigia Eius insequentium; III. Erit delictum comprehensorum faciem Eius videntium.

PARS. I. Quorum: A) Alii per revelationem viderunt, unde laetati sunt, sicut: a) Patriarchae; b) Prophetae; Caeterique veteres iusti. B) Alii vero facie ad faciem conspexerunt; ideo fuit delictum: a) Pastorum; b) Magorum; c) Iustorum; d) Magdalenae sedentis; e) Turbarum sequentium; f) Ioannis recumbentis.

PARS II. Est delictum viatorum: a) Reficiens eos in laboribus; b) Alens ad contumelias pro nomine Eius tolerandas; c) Remunerans suavissimis animo donis et gaudiis.

PARS III. Erit delictum comprehensorum faciem Eius videntium; qua visione inebriabuntur deliciis: a) Copiosissimis; b) Et clarissimis; c) Solidissimis; d) Et altissimis seu intimis.

Exordium. Proprium est hominis delicias quaerere, quia connaturale est ipsi eas appetere. At stultorum error hinc emicat, quod, comparati iumentis insipientibus, quibus non est intellectus, vitae futurae obliti, vel eam negantes, et animae dignitatem nobilitatemque spernentes, sic in suis coetibus aiunt: « venite ergo et fruamur bonis, quae sunt, et utamur creatura tamquam in iuventute celeriter; vino pretioso et unguentis

aspirando in oratione, et laborando in actione, habere coneris ». (Alvarez de Paz, S. I.).

Affectus. O Cor Iesu, spes in te morientium! Tu spes es nostra dum vivimus. Sicut columba dimissa a Noe, quae non invenit ubi requiesceret pes eius, aquae enim erant super universam terram, ne nos quidem invenimus ubi requiescat cor nostrum; mundana enim vana sunt, et dolosa omnia. Ad te ergo accedimus, ad arcam divinam Cordis tui, requiem exoptatam consequuturi. Admitte nos ad requiem placidam huiusce sacrarii dum vivimus, ut in pace, in te, in tuo amplexu dormiamus et requiescamus in aeternum.

Deprecatio. O clementissime Iesu, amator animarum, per agoniam Cordis tui sanctissimi, et per dolorem Matris tuae Immaculae, lava in sanguine tuo peccatores totius mundi nunc positos in agonia et hodie morituros. Cor Iesu in agonia factum, miserere morientium (Indulgent.) (Ex D. Alphonso).

CONCIO XLII.

THEMA: Super Omnipotentem deliciis afflues.

(Iob, XXII, 26).

IDEA CONCIONIS

PROP. Corde Iesu fruendum, quia est delictum sanctorum omnium.

DIVISIO. I. Fuit delictum iustorum conspectu Eius mortali fruendum; II. Est delictum viatorum vestigia Eius insequentium; III. Erit delictum comprehensorum faciem Eius videntium.

PARS. I. Quorum: A) Alii per revelationem viderunt, unde laetati sunt, sicut: a) Patriarchae; b) Prophetae; Caeterique veteres iusti. B) Alii vero facie ad faciem conspexerunt; ideo fuit delictum: a) Pastorum; b) Magorum; c) Iustorum; d) Magdalenae sedentis; e) Turbarum sequentium; f) Ioannis recumbentis.

PARS II. Est delictum viatorum: a) Reficiens eos in laboribus; b) Alens ad contumelias pro nomine Eius tolerandas; c) Remunerans suavissimis animo donis et gaudiis.

PARS III. Erit delictum comprehensorum faciem Eius videntium; qua visione inebriabuntur deliciis: a) Copiosissimis; b) Et clarissimis; c) Solidissimis; d) Et altissimis seu intimis.

Exordium. Proprium est hominis delicias quaerere, quia connaturale est ipsi eas appetere. At stultorum error hinc emicat, quod, comparati iumentis insipientibus, quibus non est intellectus, vitae futurae obliti, vel eam negantes, et animae dignitatem nobilitatemque spernentes, sic in suis coetibus aiunt: « venite ergo et fruamur bonis, quae sunt, et utamur creatura tamquam in iuventute celeriter; vino pretioso et unguentis

nos impleamus, et non praetereat nos flos temporis » (1). Et sic, secundum carnem viventes, quae carnis sunt appetunt, ac requirunt et sapiunt, quin umquam appetitus eorum acquiescat; spiritus enim non vivit de his, quae carnis sunt, sed de his quae sunt secundum spiritum. En quare iusti sapientiores ac prudentiores ad fontem aeternum ac copiosissimum deliciarum spiritualium coelestiumque accedunt, ut inde quietem veram, gaudium plenum, fruitionem perfectam, et dulcedines ineffabiles hauriant, quae solummodo intra Cor Iesu reperiuntur, quod est vere delictum sanctorum omnium. En ergo qua de causa sequens stabiliatur a me

Propositio. *Corde Iesu fruendum, quia est delictum sanctorum omnium.*

Nihil aliud significat Cor Iesu esse delictum sanctorum, quam suavissima et intima excitari per hoc delectatio in cordibus colentium illud. Cum autem delectatio sit quies appetitivae virtutis in aliquo bono amato, quam quietem omnes naturaliter appetunt, en quare sancti in Corde Iesu quiescentes summo gaudio afficiebantur, fruebantur enim bono, quod appetebant et amplectebantur summum bonum, quod amare valebant. Ut ergo Cor Iesu nos participes efficiat tantarum deliciarum una cum sanctis ad illud accedamus.

Divisio. I. *Quod fuit delictum iustorum conspectu eius mortali fruendum;* II. *Quod est delictum viatorum vestigia Eius sequentium;* III. *Quod erit delictum comprehensorum faciem Eius videntium.*

(1) *Sapient.* II, 6, 7.

**PARS I. — COR IESU FUT DELICTUM IUSTORUM CONSPECTU
EIVS MORTALI FRUENTUM.**

A) Quorum quidam viderunt eum aspicientes a longe et salutantes, iuxta Apostolum, uti sancti et prophetae adventum Eius expectantes; quamvis enim revelatio non sit proprie visio, et tamen secundum intellectum; ideoque, gratia huiusce fidei, dicit Apostolus: « videmus nunc per speculum in aenigmate » (1). Quia ergo sancti illi viderunt Iesum, aspicientes a longe per visum, laetati sunt in adventu Eius futuro.

a) Patriarchae gavisii sunt. « Abraham, pater vester, exultavit ut videret diem meum; vidit et gavisus est » (2); Idest, exultavit ut videret tempus Incarnationis meae; et quia oculis fidei vidit et lumine prophetiae, ideo gavisus est.

b) Prophetiae gavisii sunt. « Lauda, filia Sion, iubila Israel, laetare et exulta omni corde, filia Hierusalem ». Et quare? Quia: « Dominus Deus tuus in medio tui fortis; ipse salvabit; gaudebit super te in laetitia, silebit in delectione sua, exultabit super te in laude » (3).

c) Iusti gavisii sunt: « Scio quod Redemptor meus vivit; et in novissimo die de terra surrecturus sum; et rursum circumdabor pelle mea, et in carne mea videbo Deum meum » (4).

B) Quidam vero viderunt eum facie ad faciem cum in hominibus versaretur. Si ergo solummodo aspicientes a longe patriarchae, prophetae, omnesque iusti tanto gaudio afficiebantur in sola spe adventus ipsius, quanto magis iusti conspectu eius mortali fruantes, deliciis coelestibus affici, et gaudio spiritali repleri tenebantur, qui eum praedicantem audierunt, et mirabilia operantem viderunt? Huius gaudii, volens D. Ioannes omnes fideles participes fieri, scribit: « quod fuit ab initio,

(1) *I Corinth.* XIII, 12.

(2) *IOANN.* VIII, 56.

(3) *SHOPON.* III, 14, et seq.

(4) *IOB.* XIX, 25.

quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, et manus nostrae contrectaverunt de Verbo vitae... annunciamus vobis... Et haec scribimus vobis, ut gaudeatis, et gaudium vestrum sit plenum » (1). Praetereamus miracula in remedium languentium patrata, ut mentem vertamus ad internas animi consolationes, ad dulcissima gaudia, ad delicias ineffabiles et copiosissimas, quas SS. Cor Iesu commovebat in cordibus diligentium.

a) Vix mundum ingressum, primitias Iudaeorum, pastores, scilicet, vigilantes, quos angelico ministerio primos adhibet adoratores, ita iucundos reddit, et corda et ora ipsorum ita ad Deum collaudandum impellit, ut qui infantem et pauperem ac in praesepio iacentem adoraverant, « reversi sunt gloriantes et collaudantes Deum in omnibus, quae audierant et viderant » (2).

b) Magos gentiles, duce stella, a longe venientes cum muneribus natum Dominum adoratuos ita illuminat ac sanctificat, ut « responso accepto in somnis ne redirent ad Herodem, per aliam viam reversi sunt in regionem suam » (3). Nam « qui munera obtulerant Domino, consequenter responsum accipiunt non per angelum sed per ipsum Dominum » (4). Ideo « alia venerunt via Magi, alia redeunt. Qui enim Christum viderant, Christum intellexerant, meliores utique quam venerant revertuntur. Duae quippe viae sunt: una, quae ducit ad interitum, alia, quae ducit ad regnum. Illa peccatorum est, quae ducit ad Herodem, haec Christus est, qua reditur ad patriam » (5).

c) Quia ad omnes salvandos venerat, omnibus manifestari debebat. Idcirco scribit S. Ambrosius: « Non solum ab angelis et prophetis et a pastoribus, sed etiam a senioribus, et iustis generatio Domini accepit testimonium. Omnis

(1) I Ioann. I, 1.

(2) Luc. II, 20.

(3) Matth. II, 12.

(4) S. Hieron. Comment. in Matth. lib. I, cap. II.

(5) S. Ambros. lib. II in Luc. cap. II.

aetas et uterque sexus, eventorumque miracula Fidem adstruunt. Virgo generat, sterilis parit, mutus loquitur, Elisabeth prophetat, Magus adorat, utero clausus exultat, vidua confitetur, iustus expectat » (1). Sed quomodo Simeon expectans cognovit? quare exultavit? unde prophetavit? Quia dum Iesum in ulnas accepit, se esse Messiam lucis supernae radio monstravit. « O omnipotentia nascentis! O magnificentia de coelo ad terram descendentis! Adhuc in utero portabatur, et ex utero matris a Ioanne Baptista salutabatur. In templo presentabatur, et a Simeone sene famoso, annoso, probato, coronato agnoscebat. Tunc cognovit, tunc adoravit, tunc dixit: Nunc, Domine, dimittes servum tuum in pace, quia viderunt oculi mei salutare tuum » (2).

d) Unde nisi a SS. Corde Iesu gratia, qua Magdalenam ad conversionem vocat, misericordia qua recipit, venia quam bonus largitur? « Ecce mulier, quae erat in civitate peccatrix, ut cognovit quod (Iesus) accubisset in domo Pharisaei, attulit alabastrum unguenti. Et stans retro secus pedes eius, lacrymis coepit rigare pedes eius et capillis capitis sui tergebat, et osculabatur pedes eius, et unguento ungebat » (3). « Quid ergo miramur fratres? Mariam venientem, an Dominum susipientem? Susipientem dicam, an trahentem? Sed melius trahentem dicam et susipientem; quia nimirum ipse eam per misericordiam traxit intus, qui per mansuetudinem suscepit foris » (4). Et ita suaviter ac intime traxit, ut dum Martha satagebat circa frequens ministerium, Maria sedens secus pedes Domini, audiebat verbum illius contemplationis dulcedine capta.

e) Delictum erat omnibus, qui turmatim ad eum undequaque conveniebant: « et sequutae sunt turbae multae de Galilaea, et Decapoli, et de Hierosolomis, et de Iudaea et de

(1) Eodem, loc.

(2) S. Augustin. Sermo XIII de tempor.

(3) Luc. VII, 37, 38.

(4) S. Greg. Homil. XXXIII in Evang.

trans Iordanem » (1). Quae quidem, ad fruendum suavius dulcedine labiorum eius, ita ad eum proxime properabant, quod « et contingit dum iret a turbis comprimebatur » (2).

f) Sed, qui superabunde inter omnes, delicias Sacri Cordis dulcissimas in ipso fonte potavit atque persensit, fuit abs dubio D. Ioannes « qui et recubuit in coena supra pectus eius » (3), quem diligebat Iesus; idest amplioris dilectionis fecerat dignum. Unde de eo scribit D. Augustinus: « Hic tantae sublimitatis principii etiam caetera congrua praedicavit, et de Domini divinitate, quomodo nullus alius, est locutus: hoc eructabat quod biberat: Non enim sine causa de illo in isto ipso evangelio narratur, quia et in convivio super pectus Domini discumbibat. De illo ergo pectore in secreto bibebat; sed, quod in secreto bibit, in manifesto eructavit » (4).

PARS II. — EST DELICIUM VIATORUM VESTIGIA
EIVS SEQUENTIUM.

Vestigia Christi sequimur quando Christi crucem portamus: « Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me » (5). Nec est verus Christi discipulus, qui crucem renuit ferre: « et qui non accipit crucem suam et sequitur me, non est me dignus » (6). Oportet enim ad regnum aeternum pervenire per passiones et tribulationes multas, ad similitudinem eius, « quem videmus propter passionem mortis, gloria et honore coronatum » (7). Nec tamen SS. Cor Iesu deserit sequentes se; sed reficit, alit, et iam nunc magnis animi donis et deliciis remunerat.

(1) MATTH. IV, 25.

(2) LUC. VIII, 42.

(3) IOANN. XXI, 20.

(4) Tract. XXXVI in Ioan.

(5) MATTH. XVI, 24.

(6) MATTH. X, 38.

(7) Ad Hebr. II, 9.

a) Omnes laborantes, omnes crucis pondere oppressos ad se vocat: « venite ad me omnes, qui laboratis » (1). Et quare? Ut reficiat: « et ego reficiam vos ». Sicut enim abundant passiones, quas pro Christo sustinemus, ita per Christum abundat consolatio, qua Deus nos reficit et allevat. Est enim SS. Cor Iesu fons misericordiarum (Concione XXV), et Deus totius consolationis (Concione XXXIV) qui, ut ait Apostolus consolatur nos in omni tribulatione nostra (2). Nam indigemus ut sustentemur in malis, quae nobis adveniunt, quod est proprie consolari, iuxta D. Thomam (3): nisi enim habere-mus aliquid in quo quiesceret cor nostrum quando mala superveniunt, non subsisteremus. Tunc ergo Cor Iesu nos consolatur quando affert nobis refrigerium in quo quiescamus a malis, quae nos ubique circumstant; quamvis enim possemus in aliquo alio sustentari, quiescere, consolari, tamen solum Cor Iesu potest nos in omnibus sustentare; ideoque; venite ad me omnes. Et ita est primo delictum viatorum vestigia eius sequentium, quia scilicet reficit eos in laboribus; nam, si peccatores sunt, reficit quia misericors est; si afflicti, reficit vel ab afflictione liberando quia potens est, vel iudicando quia iustus est; et si laborantes sunt, reficit, quia et allevat in laboribus perferendis, et remunerat pro laboribus patienter toleratis.

b) Verum non tantum adiuvat, sed alit ad ardua appetenda, quaerenda et magna cum animi constantia sustinenda ad similitudinem Apostolorum « qui ibant gaudentes a conspectu concilii quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati » (4). Nam alii martyrii cupidi, instar Francisci Xaverii, ad infideles evangelizandos laeti secedunt, ut per manus eorum fiant dignum Domini holocaustum (5). Alii sponte tormenta quaerunt, sicut germani fratres Iustus

(1) MATTH. XI, 28.

(2) II Corinth. I, 4.

(3) Comment. in Paulum, loc. cit.

(4) Act. Apost. V, 41.

(5) Breviar. rom. 3 dec.

et Pastor, qui e ludo literario neque vocati neque appellati in domum iudicis Daciani properant, christianos se esse publice profitentes et pro Christi fide supra aetatem et corporis vires laeti atque alacres tormentorum cruciatibus sese ultro prae buerunt (1). Alii tandem alacres sustinent, sicuti S. Peregrinus Latiosus, cuius crus cum ex cancri morbo intumisset, atque putredine adeo esset infectum, ut foetorem omnibus inferret, sic tamen absque omni quaerimonia semper fuit, ut cives illum alterum Iob appellarent (2).

c) Est denique delictum viatorum, remunerans eos magnis animi donis, et gaudiis. « Laetabitur virgo in choro, iuvenes et senes simul; et convertam luctum eorum in gaudium, et consolabor eos, et laetificabo a dolore suo. Et inebriabo animam sacerdotum pinguedine; et populus meus bonis meis adimplebitur, ait Dominus » (3).

D. Paulus qui raptus est in Paradisum, ubi audivit arcana verba, quae non licet homini loqui; D. Ioannes evangelista cui Deus dedit Verbum divinum ad similitudinem aquilae altissime volantis, propinquius prae caeteris contemplari; S. Stephanus videns coelos apertos et Iesum stantem a dextris virtutis Dei; S. Franciscus Assisinas, in cuius carne Dominus Iesus passionis suae sacra stigmata renovavit; S. Ignatius a Loyola claris illustrationibus Manresae a Deo illustratus; S. Philippus Neri cuius cor tanto aestuabat ardore ut cum intra fines suos contineri non posset, illius pectus, ut contineret, Dominus mirabiliter ampliavit; S. Theresia, quae audivit Christum data dextera dicentem: « deinceps ut vera sponsa meum zelabis honorem »; S. Rosa Limana, quae meruit a Christo hanc vocem audire: « Rosa cordis mei, tu mihi sponsa esto »; S. Catharina Senensis, in quam Christus ex suis vulneribus quinque splendidos totidem radios per manus, pedes et cor distributos immisit; S. Michael a Sanctis, cui Cor suum Sanctissimum in pectore servandum tradidit Sal-

(1) *Breviar. rom.* 9 august.

(2) *Breviar. rom.* 1 iunii.

(3) *IEREM.* XXXI, 13, 14.

vator divinus, ipse autem cor sibi sumpsit Michaelis dilecti, mystica commutatione mirabili; S. Gertrudis, in cuius corde ipse Christus testatus est iucundam sibi habere mansionem; S. Ioannes a Cruce qui tanto in Deum aestuabat amore ut, cum divinus ignis sese intro diutius continere non posset, ad egrediendum foras cogebatur, coruscante late vultu eius, irradiatione luminis sempiterni; B. Margarita Alacoque, cui Iesus investigabiles Cordis sui divitias revelare dignatus est; tandem alii quamplurimi, qui in hac vita mortali degentes adhuc, coelestibus charismatibus refectioni ac remunerati sunt, apertissime demonstrant Cor Sanctissimum Iesu esse delictum viatorum vestigia Eius sequentium.

PARS I. — ERIT DELICTUM COMPREHENSORUM FACIEM EUS VIDENTIUM.

Sed si SS. Cor ita dulcem reddit vitam temporalem sanctorum qui sequuntur illud, quanta erunt deliciae quibus affluent necesse est, cum viderint Deum facie ad faciem, ac torrente voluptatis Eius potabuntur? Revera tunc Cor Iesu erit delictum comprehensorum faciem Eius videntium: « Ego protector tuus sum, et merces tua magna nimis » (1). Quanta sit haec merces quales futurae sint hae deliciae enarrari nequit, quia sunt supra omnem sensum, iuxta Apostolum: « nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quae praeparavit Deus his qui diligunt illum » (2); quo ostendit, iuxta D. Thomam, illam gloriam visionis aperte ab hominibus ignorari, dupliciter: primo, quia non subiacet sensibus humanis; ideo nec oculus vidit, nec auris audivit. Secundo, quia est supra capacitatem intellectus humani; ideo nec in cor hominis unquam ascendit. « Nam ea, quae a sen-

(1) *Gen.* XV, 1.

(2) *I Corinth.* II, 9.

sibilibus ad intellectum perveniunt, ascendunt in cor, quia sunt in intellectu altiori modo quam in seipsis; sunt enim in intellectu secundum modum eius. Sed illa, quae sunt in intellectu superiora, altiora sunt in seipsis quam in intellectu; et ita quando ab intellectu capiuntur, quodammodo descendunt. Quia igitur illius gloriae notitia, non accipitur a sensibus sed ex revelatione divina, ideo signanter dicit: nec in cor hominis ascendit, sed descendit » (1).

Scimus tamen beatos faciem Dei visuros: « videbimus eum sicuti est » (2): quae visio omnium bonorum erit origo secundum illud: « ostende faciem tuam, et salvi erimus » (3). Sequendo ergo mentem D. Thomae super illud « ut sciatis quae sit spes vocationis eius, et quae divitiae gloriae haereditatis eius in sanctis » (4), dico delicias comprehensorum, Cor Iesu facie ad faciem videntium, esse

a) Copiosissimas; nam « gloria et divitiae in domo eius » (5); quam copiam ad similitudinem torrentis praenuntiatur: « et torrente voluptatis tuae potabis eos » (6).

b) Clarissimas; nam videbunt Deum absque speculo et sine aenigmate; deinde quia in coelo lux erit in aeternum duratura: « non occidet ultra sol, et luna tua non minuetur, quia erit tibi Dominus in lucem sempiternam » (7); praeterea quia iusti claritate fulgebunt: « fulgebunt iusti sicut sol in regno Patris eorum » (8); tandem quia in conspectu omnium tam bonorum quam malorum revelabuntur.

c) Stabilissimas. Idest in perpetuum duraturas; nihil enim erit post tempus nisi aeternitas. Ideo coelestes divitiae haereditas vocantur, nam, quae haereditaria sunt, stabiliter possidentur.

(1) *Expositio sup. hunc loc.*

(2) *I Ioann. III, 2.*

(3) *Psal. LXXIX, 4.*

(4) *Ad Ephes. I, 18.*

(5) *Psal. CXI, 3.*

(6) *Psal. XXXV, 9.*

(7) *Isai. LX, 20.*

(8) *Matth. XIII, 43.*

d) Tandem intimas; nam non erunt de his, quae sunt extra hominem, sicut divitiae et hominum aestimatio; sed de his, quae sunt intra hominem secundum illud: « regnum Dei intra vos est » (1), ita quod nullo moerore turbentur.

Et quia tales coelestes delicias sancti viatores agnoscunt et per revelationem et etiam per nonnullam participationem spiritualis pinguedinis, ideo eas ardentissime desiderant dicentes cum Apostolo: « cupio dissolvi et esse cum Christo » (2); clamat enim ad Deum anima gemitibus inenarrabilibus.

Consequentia. Ergo Corde Iesu fruendum. Nam « hoc distare fratres carissimi, inter delicias corporis et cordis solet, quod corporales deliciae, cum non habentur, grave in se desiderium accendunt; cum vero avide eduntur, comedentem protinus in fastidium per satietatem vertunt. At contra spirituales deliciae, cum non habentur in fastidio sunt; cum vero habentur, in desiderio, tantoque a comedente amplius esuriuntur, quanto et ab esuriante amplius comeduntur. In illis appetitus placet, experientia displicet; in istis appetitus vilis est, et experientia magis placet. In illis appetitus saturitatem, saturitas fastidium generat; in istis autem appetitus saturitatem, saturitas appetitum parit » (3).

Affectus. O si quis delicias D. Ioannis super pectus tuum recumbentis posset degustare! O si quis affectuum B. Magdalenae sedentis secus pedes tuos posset esse particeps! O si quis suavitatem tot sanctorum etiam in mediis cruciatibus immorantium posset sentire! At si tam bonus es ac suavis, ac dulcis diligentibus, dum sumus in via, o amantissime Iesu! quanta erit suavis tua, quam dulces et visio tui, et possessio in patria! O dulciora super mal et favum! O flumina consolationis digna illo Oceano qui Pater totius consolationis est! Vere

(1) *Luc. XVII, 21.*

(2) *Ad Philipp. I, 23.*

(3) *GREG. Homil. in Evangelia. Vide Lect. VII, VIII, IX. Dom. infr. Oct. Corp. Christ.*

inebriabuntur beati, ab ubertate domus tuae. Admitte me, non super pectus, sicut discipulum, nec ad osculum sicut sponsam, sed solum ad pedes velut Magdalenam, et inter crura sicut pueros Hebraeorum, ut inde persentiam ardorem charitatis tuae quae comburat quidquid mali feci, et perficiat quidquid boni facio!

Deprecatio. Concede nobis, misericors Deus, ut pasti deliciis sacramenti Cordis amantissimi Filii tui, Domini nostri Iesu Christi, iis ita inebriemur, ut mortui saeculo, tibi soli vivamus cum Unigenito Filio. (Ex missa *Gaudeamus*).



INDEX

PROLOGUS	Pag. 1
I. De cultu SS. Cordis Iesu in genere	4
II. De cultu privato SS. Cordis Iesu	6
III. Sententiae Patrum et Sanctorum	8
IV. De cultu publico SS. Cordis	14
V. Synopsis historiae cultus publici	16
VI. De obiecto cultus SS. Cordis	21
VII. De motivo cultus SS. Cordis	25
VIII. De fundamento cultus SS. Cordis	27
IX. De fine cultus SS. Cordis	30
X. De specialitate cultus SS. Cordis	33
XI. De excellentia cultus SS. Cordis	36
XII. De felicitate cultus SS. Cordis	39
XIII. De magnis gratiarum praemiis colentibus Cor Iesu promissis	42
XIV. De sodalitatibus sub titulo SS. Cordis Iesu	46
XV. Facta Sanctorum mirabilia	50
Decretum approbationis Litaniarum SS. Cordis Iesu	55
Litaniae de Sacro Corde Iesu	57

CONCIONES.

I. Cor Iesu adorandum, quia est Cor Filii Patris aeterni	59
II. Cor Iesu admirandum, quia fuit in sinu Virginis Matris a Spiritu Sancto formatum	69
III. Cor Iesu aestimandum, quia est Verbo Dei substantialiter unitum	79
IV. Cor Iesu colendum, quia est Maiestatis infinitae	89

inebriabuntur beati, ab ubertate domus tuae. Admitte me, non super pectus, sicut discipulum, nec ad osculum sicut sponsam, sed solum ad pedes velut Magdalenam, et inter crura sicut pueros Hebraeorum, ut inde persentiam ardorem charitatis tuae quae comburat quidquid mali feci, et perficiat quidquid boni facio!

Deprecatio. Concede nobis, misericors Deus, ut pasti deliciis sacramenti Cordis amantissimi Filii tui, Domini nostri Iesu Christi, iis ita inebriemur, ut mortui saeculo, tibi soli vivamus cum Unigenito Filio. (Ex missa *Gaudeamus*).



INDEX

PROLOGUS	Pag. 1
I. De cultu SS. Cordis Iesu in genere	4
II. De cultu privato SS. Cordis Iesu	6
III. Sententiae Patrum et Sanctorum	8
IV. De cultu publico SS. Cordis	14
V. Synopsis historiae cultus publici	16
VI. De obiecto cultus SS. Cordis	21
VII. De motivo cultus SS. Cordis	25
VIII. De fundamento cultus SS. Cordis	27
IX. De fine cultus SS. Cordis	30
X. De specialitate cultus SS. Cordis	33
XI. De excellentia cultus SS. Cordis	36
XII. De felicitate cultus SS. Cordis	39
XIII. De magnis gratiarum praemiis colentibus Cor Iesu promissis	42
XIV. De sodalitatibus sub titulo SS. Cordis Iesu	46
XV. Facta Sanctorum mirabilia	50
Decretum approbationis Litaniarum SS. Cordis Iesu	55
Litaniae de Sacro Corde Iesu	57

CONCIONES.

I. Cor Iesu adorandum, quia est Cor Filii Patris aeterni	59
II. Cor Iesu admirandum, quia fuit in sinu Virginis Matris a Spiritu Sancto formatum	69
III. Cor Iesu aestimandum, quia est Verbo Dei substantialiter unitum	79
IV. Cor Iesu colendum, quia est Maiestatis infinitae	89

V.	Cor Iesu reverendum, quia est templum Dei sanctum	Pag. 99
VI.	Cor Iesu circumambulandum, quia est Tabernaculum Altissimi	107
VII.	Ante Cor Iesu standum, quia est Domus Dei	117
VIII.	Cor Iesu pulsandum, quia est porta Coeli	127
IX.	Ad Cor Iesu ut inflammemur, quia est fornax ardens charitatis	137
X.	Cor Iesu amplectendum, quia est iustitiae receptaculum	149
XI.	Cor Iesu diligendum, quia est amoris receptaculum	159
XII.	Cor Iesu appetendum, quia est bonitatis plenum	169
XIII.	Cor Iesu redamandum, quia est amore plenum	179
XIV.	Cor Iesu imitandum, quia est virtutum omnium abyssus	189
XV.	Cor Iesu semper collaudandum, quia est omni laude dignissimum	201
XVI.	Cor Iesu acclamandum, quia est rex omnium cordium	213
XVII.	Cordi Iesu consociandum, quia est centrum omnium cordium	225
XVIII.	Cor Iesu consulendum, quia in Eo sunt omnes thesauri sapientiae absconditi	237
XIX.	Cor Iesu perlegendum, quia in Eo sunt omnes thesauri scientiae	247
XX.	Cordi Iesu benedicendum, quia in Eo habitat omnis ple- nitudo divinitatis	257
XXI.	In Corde Iesu gloriandum, quia in Eo Pater sibi bene complacuit	269
XXII.	Cordi Iesu gratiae referendae, quia de plenitudine Eius omnes nos accepimus	279
XXIII.	Cor Iesu exoptandum, quia est desiderium collum aeternorum	289
XXIV.	Cum Corde Iesu sustinendum, quia patiens est	299
XXV.	In Corde Iesu confidendum, quia est multae misericordiae	311
XXVI.	Cor Iesu obsecrandum, quia dives in omnes qui invo- cant Illud	323
XXVII.	A Corde Iesu hauriendum, quia est fons vitae	335
XXVIII.	Ad Cor Iesu ut exornemur, quia est fons sanctitatis	347
XXIX.	Cor Iesu offerendum, quia est propitiatio pro peccatis nostris	359
XXX.	Cordi Iesu satisfaciendum, quia est saturatum opprobriis	371
XXXI.	Cor Iesu allevandum, quia est attritum propter scelera nostra	383

XXXII.	A Corde Iesu discendum, quia usque ad mortem obe- diens factum	Pag. 395
XXXIII.	In Cor Iesu ingrediendum, quia lancea perforatum	405
XXXIV.	Ad Cor Iesu accedendum, quia est fons totius conso- lationis	415
XXXV.	Cordi Iesu adhaerendum, quia est vita nostra	425
XXXVI.	Cordi Iesu conformandum, quia est resurrectio nostra	435
XXXVII.	In Corde Iesu gaudendum, quia est pax nostra	445
XXXVIII.	Cor Iesu interpellandum, quia est reconciliatio nostra	457
XXXIX.	Cordi Iesu compatiendum, quia est victima peccatorum	465
XL.	Ad Cor Iesu confugiendum, quia est salus in Eo spe- rantium	477
XLI.	In Corde Iesu quiescendum, qui est spes in Eo morientium	487
XLII.	Corde Iesu fruendum, quia est deliciae Sanctorum omnium	497



ERRATA-CORRIGE

<i>Pag.</i>	<i>lin.</i>	<i>dicit</i>	<i>legatur</i>
17	21	petitionibus	petitionibus
40	7	tristia	tristitia
50	4	in Deus	in Deum
75	2	formatum	formatus
85	3	persona	personae
86	15	adamnantem	adamantem
98	7	exinanians	exinaniens
105	14	babent	habent
106	5	prosequeris	prosequerer is
111	6	decenerunt	decesserunt
114	24	accedatur	accendatur
122	26	nos deberent	non deberent
125	19	commemorantem	commorantem
125	30	ostiarum	ostiarium
131	25	membras	membra
141	5	praeterminis	praetermissis
161	24	versus homo	verus homo
166	23	cupiam	cuipiam
174	26	saculo	iaculo
193	8	incomponibile	impossibile
202	29	proli dolor	proh dolor
216	25	potens	potentes
312	30	non facere	nos facere
318	27	tatione	ratione
321	14	laborati	laboratis
323	3	egens	egeno
329	5	cognitiones	cogitationes
332	20	corhaeres	cohaeres
333	9	eam	iam
333	22	viti	vitae
339	2	conservatur	conservantur
361	10	affingens	affigens
406	12	maneret	manaret
422	1	non consolentur	nos consolentur
430	6	quos	quod
434	23	navi	navis
463	19	abrolvit	absolvit
484	20	gloriae animae	gloria animae

